IVS REGIS,
Siuè
De Absoluto & independenti Secularium Principum dominio & obsequio eis debito.

q-6-56

Aduersus fictam Iuris Subditorum præexistentiam *aut populi in principatum meram cessionem : præcipuè contra Papalem in Reges & Principes Secularem potestatem.*

BIBL. CANT. ACAD.

LIBRI TRES.

In quibus Summo Pontifici Ius non esse *Principes deponere aut ciuiliter plectere* Autoritate sacrâ, Historica & Forensi

Probat GVIL. BARRET, Anglus. *I.C.*

Et obiecta diluit.

Ipse est pater Ammonitarũ vsq; hodie. *Gen.* 19. 38

Hæc origo Principatus.

Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem. 1. *Reg.* 10. 1.

Hæc populo Dei secunda constitutio.

BIBL. CANT. ACAD.

BASILEIÆ.

Apud Hieronomum Pistum platea antiqua sub Leone Aureo. 1612.



679:00

POTENTISSIMO ac Christianissimo Principi, LVDOVICO *decimo tertio*, Dei gratiâ, Galliæ & Navarræ Regi.

COLLECTANEA ista Maiestati tuæ dico, sacroque Sereniſſime Rex, dicâſſem ſi baſilicè ornata; iſto apparatu non dedignare: *Regem non dedecent quæ IVS REGIS ſpectant.* Munus ſiquidem ex ſeipſo Rege dignum, & tanto Rege *ſi materia non ſuperâſſet opus*: Quoniam vero celſa illa, iſtud humile, Tu Magne Rex ab altiora ſpirantibus ipſe diſce, & pleno hauſtu, ſerioque imbibe, (nam illi poſtmodùm a te docendi) munuſculum interim dignatione tuâ ornare ſit volupe: vt diſcant tui, quî tibi docenti, mo-

 nenti,

nenti, mandanti pareant. Et Rege patrono opus est; nam *missilia ista in vulgus* sæpe haud vulgo placent, sæpius alijs non vulgaribus: sed adfulgente coronâ, quod non suadet ratio, dictabit verecundia; nam verè Romanus, *ad fidem faciendam autoritas quæritur*: in re vulgari *Illa*, in maximâ *Maiestas*. Quæ autem maior, aut ad rem magis data quam quæ *Christianissima*? cur autem Christianissima, nisi quia potissima? potissima, quia Maiestas Christianis semper accommodatissima: par enim est, vt plurimũ possint, qui plurimùm prosunt. Profuisse autem plurimùm Numen vestrum quis ambigit? Christianis generatim omnibus (scil: mediterraneis) salutare, ipsis Pontificibus principale & tutelare. Senserе hi & illi. *Stephanum*, *Adriarum & Leonem* susceperunt *Pepinus* & *Carolus*. Suscepisse parum est? regnare fecerunt. Mittam alios quamplurimos: *Alexandro* tertio vndique obsesso, a *Victore* Anti-papa & tribus alijs in Italiâ, a *Cæsare* in Germaniâ, & ab alijs vndiquaq; confœderatis, sola tua mœnia Parisia, sola amœna parœcia. *Illi Alexandro pater Philippus* vester non minùs quam olim & antiquo iure *Patricius* Papæ.

Idem

Idem omnibus Christianis *Asylum*; nam communi & durissimo iugo a Sarracenis post *Caroli* tempora pressi, ad pijssimum *Ludouicum* tanquam ad communem vindicem confugiunt, & excepti pariter: parum illud quoque si intuemur meritum; aliti sunt largiter & liberè, *Agros eis vnde viuerent concessit, & fecit immunes ab omni tributo*, vt patet in diplomate. Meritissimò igitur vestro Imperio cedunt præconia sacra: Agnoscit *Vrbanus* secundus; *Sola gens Francica vel primaria, quam Christianam liceat appellare.* Agnoscit & ornat *Clemens* quintus *cap. Meruit* extrauag. *de Priuilegijs.* Agnoscit & ominatur *Innocentius* tertius; *Regnum benedictum a Deo semper in ipsius deuotione permansit, & ab eius deuotione nullo vnquam tempore discessurum*; & spero *ex Cathedra* non vanus vates; *expedit populo*, Pontifici expedit, crede, Summo.

Cui autem *Christianissimo*, potius quàm *Ludouico*? ita est memoria S. *Ludouici*, ita virtus & ortus huius. Ille olim potestatis regiæ assertor strenuus; idem Iuris pontificij defensor maximus, Illud patet in *Sanctione pragmaticâ*, hoc dum omissa re suâ Pontificem, & præsules Italos consilio &

operâ aduersus minas & potentiam *Fredrici* it vindicatum. Quidni Iste futurus? Regnum, nomen, fides eadem pollicentur eadem. Omnia tibi conueniunt quæ prius illi; quædam subueniunt insuper quæ non illi. Vt potens sis habes regnum; vt pius, exemplum; vt fœlix ecce patronum. Regnum idem quod ille, exemplum magis viuidum quàm ille, patronum quem non ille. Te potentem timebunt, te pium diligent, te fœlicem certatim salutabunt, atque in vota ibunt. Macte igitur Rex Inclyte, sentiat Palatium, sentiat Templum, (inter quæ nuper quoddam litigium) videat Gallia, videat Roma (inter quas rarò aut nunquam dissidiū) iura antiqua redijsse & *Ludouicum*: ita fiet, vt ista lis sine lite terminetur.

Suprà te omnipotens Deus est; & Dominus tuus est. Iuxta te Summus Pontifex est, proximus iste tuus: sic princeps principi, Ecclesia Reipublicæ. Dilige igitur vt proximum, id est, vt teipsum: Sic S. *Ludouicus Innocentium, se & regnum suum ad Pontificis vindictam præbendo*; quem si imitabere, regnum terrenū inpartiendo; cum illo lucraberis, regnū cœleste adipiscendo.

Sed

Sed impartire, non cede: hoc enim esset eum diligere, & non teipsum, quod non admisit *Ludouicus*, nec consulit Sanctus alius, *Sapiens sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus*. Ex cessione oritur grauamen tibi; hinc vestræ angustiæ, & arx obsessa regia: ex concessione oritur leuamen illi; hinc vacationes liberæ, & mitra elata Pontificia. Vt *sacris vacarent* vult Deus, vt *capita attollerent* vult *Constantinus*, vt Iuri Regio humanitus non concesso inhiarent vult neuter. Vt *liberiùs vacarent*, otium fecit *Carolus*; vt *magis splenderent* copiam *Ludouicus* pius; vt a *regalibus abstinerent* sanxit *Ludouicus sanctus*. Hi duces, sequimini modò in honore & virtute qui ordine aut paritate Iuris, rectà vos ducent ad rectum bonumque: Vos Summum Pontificem ad æquum & iustum; æquum est vt concessis ab Antecessoribus gaudeat; iustum vt alienis se non ingerat. Sed ducite vos illum, suadeo, in vestris temporalibus, non ille vos: nam ità sunt mores Romani, qui modò ducit mox coget. Hinc to lites, tot diffidia, non sine Concilio maturo terminanda; quod vt maturetur, vestrum est Principes prospicere, si tarda-

uerit

uerit Pontifex aut moram non purgauerit.

Tu magnæ virtutis hæres, qui Christianissimus, esto paratissimus; ita vult Honor patris, ita Maiestas filij. Sed tui tuorumque immemor, etiam veteris Galliæ & modernæ, quid conor? Illis nunquam alij paræneticj; ista alijs antehac & nunc parænesis: ideo omnes quos mente recolo aut præsens intueor monent vt non monerem. Inprimis ipse Deus qui Galliam quo solet beat modo. Ipsi proaui, omni æuo notissimi, quibus Pontifices summi Encomiastæ maximi; ipse Tu cum vtroq; parēte. Item principes qui sanguine iuncti & qui ordine; ob inclytam fidem & fidam operam ipsi quoq; per orbē inclyti. Splendent illi quia tibi proximi, resplendet Diadema tuum quia tales supposiți. Illustres scientiâ & sanctimonia Præsules; deum timentes atq; Regem: quos (dum perstant) Rex fouebit, atque Deus. Proceres & Senatores verè nobiles; certant in illis virtus & nobilitas quæ prior? illi Regi quis potior? certent semper, vincant nunquam, istud disidium, Regi subsidium erit. Secundæ classis Theologi putà Doctores

scholæ

Scholæ, præ alijs (quoquò vertor) Clari, & ob datam Iuri Regio operam spectatissimi. Præsertim parisienses tam antiquiores quàm hodierni: quos lubentiùs propono; nam dum hos prædico, nostros sc. Britannos laudo. *Religiosi vt imprimis curentur*, voluit Imperator, cauit *Henricus* pater, & non abs re sua; nam si tibi studēt, validè iuuant, *Occulta pugna, sed manifesta victoria*, inquit vir sanctus; & alter, *Tantò magis principum exercitus contrà hostes crescit, quantò Dei exercitus ad orationem creuerit.* Tu istis quod facis facito: digni sunt tui & eximij; Nonnulli malè audiunt, de illis tamèn benè spero. Alij subditi, satis probi, si satis docti; hos monebo & monitores. Tibi, magne Rex, vt accidant quæ accidunt apprecabor.

Maiestati tuæ deuotissimus.

G. B.

Ratio & consilium operis.

ALIOS *sæpè terrent, & sæpè Antecessores, quæ hunt aut illum, & posteros tenent mala; lugent ideo illi, quæ isti luũt. Sic* Otho Frisingẽsis (*quẽ sors exemerat* Lego & relego &c. *Frisingens.* lib. 6. c. 35. *& ordo*) *principum secularium vices, præterita cum cogitat, cumq; futura. Et sæpè plangunt vicini dum proximi ardent, pereunt & silent: nec mirum; nam verum Tragici dictum*, Curæ leues loquuntur, ingentes stupent. *Sic* Iohannes Gerson (*seipso indemni, atq; patriâ, nisi in iure propinquo*) pestem geminam, *non sine gemitu grassari sentiens, vtriusq; ponit & exponit, fontem atq; fomitem; suis dum consulit, dumq; alijs. Quæ vobis præfari atq; præmitti* tanquam ad limina seruum, *officiosũ duxi atq; conductibile vt ducant & dirigant, ad causæ penetralia.* Nomen vnius detractio liuida, alterius adulatio subdola. Prima potestatem Ecclesiasti- De Ecclesiast. potestat. consider. 12.

eam deprimens subjicit temporali, *& addit (eam quæ ille fusè, ego contraham)* Ecclesiasticos nequaquàm esse capaces Iurisdictionis tẽporalis etiamsi principes seculares conferre voluerint, & execrans omnem sacerdotalem pompam seruientium, ciborum, equorum, vèl indumentorum singulos ad primam Apostolorum & discipulorum redigere conatur pauperratem. *Istud os ferum & agreste, pascuis ac opibus recèns concessis inhians (quondàm apertũ & altum) Ecclesiastici, postquam ipsorũ ora ac manus implauerat Benedictio Regum, obturárũt probè, & cõciliárũt sibi; vnde detractio altè sopita est* Sed consurgit, *inquit ille*, ex aduerso blandiens & subdola adulatio, & ad aures Ecclesiasticorũ præcipuè Summi Pontificis insusurrat. O quanta est ecclesiasticæ potestatis sublimitas! quoniã sicùt Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terrâ, sic eam omnem *Petrò* & successoribus eius dereliquit: vndè & nèc *Constantinus* quicquam *Syluestro Papæ* contùlit, quod non esset prius suum, sed reddidit iniustè detentũ. Mentior si non hæc scripta inueniuntur ab autoribus qui sapientes sunt in oculis suis, & ab aliquibus Pontificibus credita. Hanc

æstimati-

æstimationē habuisse visus est *Bonifacius* 8. in quadā decretali, & in hac fundari putatur debellatio infidelium, & eorū bonorum & dominiorum conquisitio ab aliquibus Dominorū Prutenorū, & depositio vnius *Regis Franciæ* per Papā *Zachariam*, tāquam Papa sit qui trāsferre potest Reges & Regna. *Quæ hîc cumulantur, Lector, vides; quo iure non vidit* Gerson, *nec diuersam quam ego video Catastrophen, tu autèm vt vnà mecum faciam.* Adulatio videns hunc sermonem durum esse & minùs credibilem, Reges & Regna transferre; cum Christianissimus Francorum Rex superiorem in temporalibus non agnoscit, ideò transtulit verbum suum, *& scitè; nàm qui iurè temporalia subtrahit, iure in temporalibus præest; quod aduertens* Siluester *non Papa, hanc quoq; potestatem Papæ facit*: Pontifex habet in Reges & principes Christianos vniuersalem spiritualium, & temporalium iurisdictionem, *& consentit* Durandus. Vtraque potestas est necessaria, ideòq; vtramq; *Petro* contulit. *Quod quia illud ævum dogmatizare non ausum, ideò, inquit* Gerson, videns adulatio hoc nimìs durum, & minùs credibile, transfert verbum suum loqui de dignitatibus,

Siluest. Papa num. 11. *Durand.* de *Orig.* Iurisd. q. 1. 3.

officijs & bonis Ecclesiasticorum, quæ omnia sic subijcit Summo Pontifici, vt quid circa ea placuerit disponere, mutando, transferendo, appropriando, hoc possit, hoc teneat, & iure ratum sit, licèt hoc sine causa, & cum peccato peregerit. *Nunc autèm vice versa, aciem istius versatilis gladij auertendo Pontificis iurisdictionem in Ecclesiasticos abbreuiârunt; sed accessione temporalis dominij compensârunt, ampliârunt. Mitem igitur sibi ipsis ac mansuetum fecerunt, sed regibus durum & onerosum; eorum regalia, etiam ipsa regna varijs modis & vicibus transfigendo, & vt ei libitum fuerit, transferendo.* Clericum non potest deponere nisi ex præscripto legis, *vt suo loco dicetur, Regem autem non difficulter, absq; omni constitutione tam humani iuris quàm sacræ paginæ. Pontifex nullâ lege adstringitur, Princeps nullo iure munitur*, Ad patientiam Sacerdotis possidet regnũ, *ad placitum igitur submouetur. Si ambigitur de hæresi, benè est; si cõstat, abunde est; sin minùs, sola exorbitantia satis est: exorbitantia autèm est, si monitis pontificijs quibuscunq; non paruerit*: Ad nutum igitur Sacerdotis *tremuli sunt Reges & pendula regna, vt non ambiguè ipse Pontifex,*

Bonifacc 8. de Maio. & Obed.

Pontifex; etiã Theologi non pauci nec contẽnendi; & Canonistæ omnes. Ausim dicere, ex mẽte horum potiore Iure præest Pontifex Regnis & Principatibus, quam proprietarius suæ villæ aut emphyteusi; & magis sunt obligati etiam mancipati Reges quâm villici. Imò mancipiũ non est mancipium, si iugum spectemus Regis; manu quidem capitur, sed Rex manu tenetur: ideò emancipari potest mancipium, (vnicum miseris solamen) Rex non potest. Contrà (nàm Reges humiliari nihil est, nisi respectiue melioretur Pontifex) alij domini directi & veri, non sunt Domini, aut saltèm vmbratiles *& ficti, si hunc indirectum suspiciamus & transcendentem. Nam demus proprietario potissimum quod legum, aut interpretum facilitate dari possit in rem suam; pleniore tamèn iure donatur Pontifex in rem alienam; nempè principum. V.G. (nam enucleatè omnia edisseram) quodcunq; iure potest dominus verus, 1. veterem suam emphyteusim cassando, aut iura eius reseindendo. 2. nouam alibi fundando. 3. Locando. 4. Transponendo. 5. Emphyteutam absolute summouendo. 6. cũ alio transigendo. 7. subtractione fructuum mulctando. 8. In propriũ vsum repetendo. 9. etiam vendẽdo; idem, istis leguleijs, in dispositione regnorũ*

Pontifici fas est, ius est, & insuper. 10. *Curatorẽ siue Adiutorem dando, vt in casu prodigi, quod domino emphyteutico non conceditur, &* 11 *iura natalia soluendo, quod mortalium nemini.* 12. *Denig, nullũ dominiũ esse ratũ, nisi ab isto domino approbatũ. Mira hæc sed vera, & foribꝰ appendi digna: Sistite paullulũ vt expendatis.*

Primò dic dominum directum (*nam iura volunt* vt quisq; liberè disponat de re sua, nisi interceſſerit impedimentũ) *posse veterẽ villam destituere, & iura eius rescindere: idem quoq; potest Pontifex in iure Regni.* Sic Lessius. Potest ipsa iura regni dissoluere vt non fit diutiùs regnũ, sed libera Respublica aut Ciuitas: neq; principatus, vt *Nauarus* alijs regnis id cupientibus eius iura impertiendo. *Nec minus aperte* Iacobus Almain, Papa potest gentem priuare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam gentem. *Si hoc nimis rigidum; potest parte aliquâ priuare, aut membratim discerpere.* *Sic* Victoria. Pontifex potest Imperia diuidere. Relect. 1. q. 5. propos. 8.

De Iur. & Iust. l. 2. c. 33. dub. 2. Num. 16. p. 71.

De supr. Pot. Eccle. & Temp. q. 2. p i c. t. 5. ad 4. alleg.

2. Nouam fundando. *Ita Neapolim, Siciliam, & alias Prouincias iure regni donauit, & Orientalibus imperio exutis in Germania fundauit.*

3. Locando

3. Locando. *Hoc modo dictum Imperium in Carolum contulit*, aliàs Imperium nullum habuit, *inquit Cardinalis* de Transl. Rom. Imp. l. 1. c. 7.

4. Transponendo. *Sic Regnum Franciæ à* Merouingis *ad* Carolouingos *transposuisse & fæliciter, communis eorum sententia est.*

5. Ipsum Emphyteutam absolutè summouendo. *Quod in quibusdam casibus Domino conceditur, idem Pontifici concedunt Theologi non immitissimi & qui cæteris paullò æquiores. Possitnè Pontifex Regna abiudicata alijs tradere fortasse ambigunt, aut oscitantèr negant: sed* quòd possit Reges deponere & abdicare, nemini Catholico manet dubium, *inquit Cardinalis.*

6. Cum altero transigendo. *Sic* Iohannes 22 *cum* Iohanne *Bohemiæ Rege, vt* Ludouico *deposito* Carolus *dicti Regis filius, Imperij fieret compos, Pontifex voti, vt dicemus alibi.*

7. Subtractione fructuum mulctando. *Ad hunc modum* Gregorius *iunior* Leonem Isauricum *parte imperij mulctauit*, solutionem vectigalium in Italia prohibendo. *Autor est* Bellarminus.

8. In proprium vsum repetendo. *Quod*

Domino conceditur in ædibus suæ habitationi necessarijs, idem sibi adrogat Iohannes. 22. qui per bullas suas promulgari mandat, se totam *Italiam* ab imperio, & regno *Alemannico* separâsse. *Naucler. vol. 3. Gen. 45.*

9. Vendendo. *Sic* Carolus Caluus à Iohanne. 8. *Imperatoris nomen ingenti pretio emit, vt* Rhegino *& alij*. Nequaquàm, *inquit Cardinalis*, non nomen, sed ipsum imperium & ius; nam nudum nomen tanti non emeret. Et *Emanuel Comnenus* petit ab *Alexandro*. 3. vt ob pretium sibi suisque transferret imperium occidentale, *vt habẽt pleræq; historiæ:* quod Pontifex iure potuisset, sed ob quasdam rationes noluit. *Verba sunt ipsius Pontificis &* Bellarmini.

L. 2. Chro. anno. 877. *Bellarm.* de trãs. Rom. Imperij. l. 2. c. 5.

10. Co-adiutorem aut Curatorem dando, *vt in casu prodigi, quod non Domino, sed Iudici conceditur. Hanc quoq; potestatem Pontifici faciunt, eamq; ordinariam: sic* Innocentius 4. *Regi Lusitaniæ, vt* c. Grandi, *de supplenda negligentia Prælatorum, in sexto.*

11. Iura primogenituræ soluendo, *vt diserté* Iohannes de Anania *in cap.* Licet de voto num. 10. Papa priuat laicum ordine genituræ, ratio, quià habet potestatem super Reges & Regna.

12. Vix

12 Vix concedunt vllius Dominium Christiani, aut Ethnici esse iustum aut iure validum, a Pontifice non datum aut approbatum. Non Christiani, vt *Michael Aninyon* in tract. de vnitate ouilis & Pastoris, num. 12. Potestas Imperatoris est a Vicario Christi, cui subordinata est ideò potest de certo genere personarum transferre ad aliud &c. Non Ethnici; vt expresse *Pius* 2. Mahometi Turcarum regi. Nobis transferentibus, quod nunc de facto & iniuriâ tenes, possidebis iure: epist. 396.

Hæc de regnis & ipsis regibus. Sed huic malo soli noxij sunt obnoxij? temerè dictum, & contra ecclesiasticorum mentem; Sibi cauent isti, non innoxijs: nàm consilium cautum est, vt non præsint, qui non prosunt. *Inutiles igitùr non minus rei, quàm qui damnosissimi; & ideò abdicati, si illis credimus,* Orientales & Childericus. *Neque soli inutiles ferent incommodum, sed vtiles & omnes, indemnes prorsus nulli; Ideòque non perperám præmisi, regalia etiám varijs modis impeti & transfigi: nám fac sacrum regis nomen manere* Augustum, *& regnú firmum (si confusim sumptum) non tamen integrum, aut saluo iure regalium. Res liquida est & cottidiana.*

tidiana. V. G. Bona adespòta & incerta principi & magnatibus in ditionibus suis addici, iuris antiqui & indubitati est. Nunc autém horum dispositionem potest Summus Pontifex principibus secularibus subtrahere, & sibi reseruare, *inquit* Lessius *de iure & iustitia. l. 2. c. 14. dub. 6. Qui cæteris præcellunt præ cæteris percelluntur, nec in iure triuiali, sed in rebus maximi momenti: sic* Henricus 7. a Clemente 5. *in sententiâ contra* Rupertum *regem Apuliæ, vt habent Historici, &. C. Pastoralis, Clement.* de sententiâ & re iudicatâ. *Denique vt multa sileam quæ præterita, aut non vsu antiquata, si hodierna praxis seruetur, nullum regibus tribunal, aut forum manebit integrum; non in causis maximè ciuilibus & inter laicos; nam si contractui (qui verè & ex naturâ suâ inter* ciuilissimas *censetur) accesserit sacramenti obligatio, iuris esse pontificij conclamant Canonistæ. Hinc fit quòd serenissimus hispaniarũ rex, in regnis Lusitaniæ & Castellæ, legibus ac edictis cauere adactus sit, vt mutua subditorum pacta sine iuramento aut fide solenni transigantur.*

An hæc vllatenùs ferenda? herelè non; nisi iugum commune, & quod dari possit durissimum

rissimum. Priuati enim à rege pendent, manent aut dissipantur intuitu eius, *stant aut cadunt: ille cuius? Pontificis; illo nutante vacillat, sed premente labitur, immergitur; quomodò non fluctuabitur totus orbis? Nolumus igitur hoc onus: Petra spiritalis ferat, sed secularis grauat (Absit caluminia legenti, sicut liuor dicenti)* Mola asinaria est *ista Petra*, demergatur sola in profundum maris, in collo *nostro* non suspendetur. *Tu, Beate Pater, tuorum compesce temeritatem, aliàs multa incunctanter & non grauatè admisit filialis Eusebia & pia crudelitas, quæ horum iasciciâ & proteruiâ erunt dubia & difficilia. Res tuæ in Galliâ, Germaniâ & Belgio, (nam quæ video & sentio, religio est, non diffitear) crescunt indies; non autem horem procaci eloqui, aut tacito sibi-loquio, sed pietate & patrocinio Principum, vt illi pariter detrimentum non patiantur, patere. Vos (supremi principes) sceptra vobis credita, imo mãdata, aut seruate aut reddite; alioquin vere dici possit*, Sine causa, *etiam sine corde*, portatis gladiũ. *Ego inter vestros vltimus, imperitus & imperatus, tamen non tacebo: sed istius pestis primordia exquirã, peritiores exeolant. Huic pesti in sinu Ecclesiæ fotæ, vitã at spiritũ*

(vt

(*vt* Gerſõ) Adulatio *dedit*, *& ſchola Aulica vim & neruum Aula ipſa*, & Conſtantini *palatium. Non eſt quòd ſuccenſeatis (pacis alumni) niſi vobis ipſis? Veſtro enim factum eſt vitio, & veſtrâ pietate patefactum, nempè* Othonis, *valde pij, valde nobilis*, qui regibus ob veſtrûm amorem & Sacerdotij ſponte exhauſtis & euiſceratis hanc rependi gratiam, (nempè proprio mucrone iugulari) ſeriò dolet, voſque per omnia culpat; *& meritißimò. Cur enim filij non patriſſatis? Secùs beauit amicos & patronos priſca ſacerdotum ſanctitas. Sed magis conducunt mores proaui quàm patris, illum ſectamini? B. hercle Petrus non facilis ad veniam, ſed Leui proiectus ad iram; vos ad eius exemplum.* Ille amore ſaucios, & ob amorem vulneratos perimit; *vos eâdem gratiâ exhauſtos penitus exenteratis & deuoratis.* Patiemur nefas & dedecus? *inquit ille: an impietatem & contumeliam vos? quidni: etſi vindicta iuſta eſſet, potiùs quàm* Ius dare ſceleri? *ſed cum ſine iure*, maledicti patrantes, exoſa paterna domus: *cauete vobis, & toti ordini. Recordamini mecum, ſi placet, patrum veſtrorum animos & armaturam. Illis duodecim duo tantùm erant gladij, & ſatis*

Friſing. in præf. l. 7.

Mat. 18. Gen. 24.

erant

erant: ad inculpatam tutelam satis, ad vindictam nimij, nimius vnus. Sed inter vos singuli bini duodecim paratis gladios, etiam quotquot potestis, & cunctos ad vindictam destinatis; imò quod maius est, & magis arguendum, cunctorum gladios ad eundem finem vobis subordinari vultis. Verùm ità pro me stringatur ensis Domini, & natiuus Gedeonis, sicut nolo me vindicet nouus gladius, & datiuus (seipso iudice & datore) Pontificis & clericorum; & ità artes meas (si non prorsus iners) atque mores resecet gladius Pauli, vt artus & aures horrent gladium Petri.

Hanc pestem late repsisse non est mirum, ecclesiasticis rem suam seriò sapientibus, sedulò agentibus; quos passim sequuntur Canonistæ; ratio est, Norunt vti foro. Non tamen adeò latefunditur vt vēditāt aduersarij; nàm a tempore quo primùm exorta, nunquàm defuere pij, periti & gremiales, qui a veteri Ecclesiæ fide & praxi non defecere, atque huic contravenere. Cardinalis autem, dùm suos succenturiat vt pompam daret, legit hostes; nàm S. Bernardus noster est, nec discrepare Halesium monstrârunt alij: qui duo pluris sunt, si arma virosque canamus, quàm reliqui omnes quos adcenset. Vt alios prætream (quos

delectu

R. Widdringtonus.

delectu eleganti conscripsit alter) isti novo & superuenienti dogmati fere semper restitit regibus semper fida Minorum *fraternitas, quibus sanctiores & doctores magis acutos, ausim dicere, Sol non vidit. Neque desunt hodierni Theologi, ijque eximij, quibus non minùs, nec minùs directe displicet ista indirecta Iuris dicendi potestas. Testis tota Sorbona; testis ista celeberrima Academia; testes sparsi, sed probati Theologi. Vidi multos: quosdam consului pressiùs, non in Galiâ modo & Belgio, sed alibi: verùm quoscunque, quo doctiores, eo istâ insaniâ minus laborantes comperi. Transeant mihi exteri omnes, in Angliam remeabo; quid nostri sensere palam est. Si palam est quod sacerdotes seipsos pontifice contra mandante servaturos palam semel solenniter pollicitisunt, idem etiam semel palam ab alijs fide datâ praestari decernunt. Illud a Tredecem (quorum duo Doctoratu Clari) regnante* Elizabethâ *sub signo & sacramento factum manet; hoc sub serenissimo* Iacobo *fieri docent & consulunt sacerdotes alij, numero quidem & facto posteriores, sed grauitate & autoritate priores: quorum mihi maior autoritas, quoniam maturius eorum consilium & maior dum alijs student pietas. Rem omnem proderit efferre.*

Edicto

Edicto regio de iuramento fidelitatis *quam primùm edito, conueniunt cum Archi-presbitero sacerdotũ primores & doctiores, vt quid facto opus sit videant, doceant. Primó expensâ Theologorũ scholâ ac veterum fide, sibilum aura tenuis mentibus suorum spirant: postmodũ vero consultâ Romana Curiâ* spiritũ grandiorem auribus insusurrant, *sed opinor*, non in spiritu Dominus. *Non ideo dico, quia sententiã Pastoris non timẽdã arbitror*, nam sempér timenda, siue iusta, siuè iniusta, *vt C. sentent: ij. q. 3. sed quoniàm nos didicimus exemplo Maiorum* (addo, *probatæ fidei Præsulum*) *in re dubiâ ac ciuili, Regi, non* Pontifici *esse parendum, vt dicetur posteà. Quid multa? Iuramentũ posse præstari, laicis affatim Autores sunt seniores & sacerdotes saniores. Ratio poscitur? in prõptu est, quià potestas excõmunicãdi tacitè cõceditur, & sola negatur autoritas deponẽdi, quæ Pontifici aut non cõpetit, aut non nisi iure recenti & incerto: adde, vnaqueque ferè linea hanc negat, ne vna quidem illam. Cùm autem excõmunicatio pœna sit merè spiritalis, depositio verò mere temporalis, neque ab illa vllatenus pendeat, vt suo loco dicetur, miror quâ frõte (inspecto Regis ac suo ordine) Illustriss. Cardinalis, Angelis incautis & imperitis*

peritis autoritatiuè traderet, a potentissimo Iacobo *non modo temporalem Pontificis* autoritatem imperi, sed etiam spiritalem; *cùm fidem & obedientiam quam poscit Serenissimus rex, malesido atque excommunicato exhibendam, monuisse ac suasisse* Gregorium *iuniorem constat. Si inferet quòd non sint separandæ, vt sæpè eius verba innuunt, hodierno Doctorum iudicio clarè euincitur, & praxi* 1000. *annorum, in quibus nè vnum excommunicatum fuisse, & simul, moxuè depositum, strictissimum &* tortum *examen prodidit; quam fidem, quæ tempora nobis reddi postulamus.*

Vt igitùr progrediar, non nostros mores, (vt calumniantur aduersarij) sed suorum peperit assentatio. Nos si parasitari didicimus, *exemplo* Gregorij magni *edocti sumus, quem illi ab omni fuco & vafritie, nisi seipsos ab omni mallent verecundia, eximerent. Quod ad me attinet, vires meæ tenues, vota humilia, mandata nulla: qui autem rebus principum vbi ius priuatum agitur sine mandatis se ingerit, hominem leuissimum arbitror. Sed quum de Iure communi quæritur, causa communis est; & tamen cuilibet propria, cuius vita ratio non aliena, sine spe-*

ctabit

habit seipsum, siue totam plebem. Ideò mandat Veritas, mandat Pietas.

Scripsit hac de re Barclaius *doctè, & neruosè, necnon alij; sed vt Cardinali* Bozius, *mihi abeant; Causæ enim, non partibus studeo: sed abeant probati, honorati, non autem* Bozius. *Scriptiones ipsius Cardinalis sæpe, sed saluâ modestiâ sunt excutiendæ, non vt senem militem* ad arma cierem, *aut turbas darem, nam eum video ægrè laturum, sed quia mihi Regiam munienti viam apertè obstant. Copiæ eius in hostico palantes fortè non facile transmouentur? non opus est;* eant quo iuuat *fæliciter, si quid in meis (vix tamen mea) retractandum censuerit, iunioribus mandet, me siue causa non fore renitentem polliceor. Nolo tamen vt mihi obijciant quos ipsi hac in parte damnant, vt* Augustinum Triumphum, Pelagium Aluarum, Siluestrum, Castaldum, Bertrandum, Henricum de Gandauo, *& id genus alios; neque vt me numero & mole recentiorum, quos sibi aduersos (iure vero testium priuandos) non ignorabat* Barclaius; *sed robore & pondere antiquorum premant, aut me illorum fidem & autoritatem sequi liberè sinant. Si enim rectè* Hieronimus *de præscrip:* 400. *annorum, sufficiant nobis mille*

Ad pāmachium & Oceanum.

mille anni, vt cultum & ritum veterem teneamus.

Sed quia de regnis ac supremis sub cælo sceptris disserenti incumbit, vt ijs, quibus iura condere conceditur, terminos promat; par est vt dum taxát quæ sint authentica, authoritatisuè momento firmata adferret. Nihil igitur in texam quod prius aliorum non concinnauit opera; neque vllius fidem sequar, qui non sit ipse fide dignus, aut contra seipsum fide donandus.

Scio mihi multa maria esse transnatanda, atque enatanda; vndosa quidem vt non desit velitanti spes, sed scopulis atque multo aggere omnique arenosâ materiâ tumefacta, vt non deesset naviganti periculum. Illa virtute insulari (præcipuè regiâ) patefacta & propalata, hæc eâdem operâ dispalanda: ingrediar Deo auspice & bonis auibus. Sacra Theologia mare pacificum est, & lites componeret atque dissidia, si partes deponerent studia atque odia. Tu qui θεὸς & λογος primò es inuocandus, vt cùm aduentum suaserit alma pietas, prouentũ daret summa deitas: in verbo tuo laxabo rete, te annuente extraham. Historia, post imperium ab Orientalibus ad Occidentales, qui magis Boreales, translatum, pro naturâ plagæ

versa est in mare gelidum; ecclesiasticis feruet, alijs friget: & non mirum; nam ferè solâ horum arte vecti sumus in hoc pelagus, sed semper euenit (ita est mare temperatum) quod non in hac scaphâ aut isto tempore, patebit alio. Vela igitur dabo vento dextro, & fide bonâ. Ius Canonicum marè rubrum est; quod congruens est, ingurgitat; nihil aduersum fert aut patitur. Puto huic aquæ inesse ignem sacrum; qui hâc, Deo æquoris fauente, præsertim qui præ ceteris vt mero madent, rutilant, & micant vt pulchræ cœli sidera, qui autem, si quod numen insit aut vt virtutem sentiant, aspergi petunt, ardent quasi temerè attigissent sidera, aut vt ardeant sunt proximi, non minus quam hæretici stigmate dogmatico vstulati. Habuistis olim, Principes, virgam, cui cederet istud mare & marini, sed in manus tradidistis Sacerdoti, qui eloquēs est; ille suū ius præscribit, vestrum proscribit. Vestro vero numine fretus, tentabo istud fretum, & lateri eorum adhærens permeabo, aut tanquā in portu nauigabo. Ius Ciuile mare mortuum est; nobis Anglis situ loci, alijs iussu Cleri. In hoc ego aliquam locaui operam, hercle non iniucundam, sed mortuam quoque: hoc accidit inertiâ atque ignauiâ meâ; quod autem ipsum Ius non manet

Augustum, culpâ & conniuentiâ Vestrâ. vacillat, aut valescit illud vt velint isti, sed annuite modò sereniſſimi Principes, videbo quatenus, quoue titulo.

Vt autem sciatis in fluctibus istis turbidis quid agam, quoue pergam, ter (ita sunt sinus nostri æquoris) vela legenda sunt; Tertiâ vice si quid sumptu isto non longi temporis vsurario commodè erit præstinatum, ad Promontorium Bonæ Spei destinaui. Dum autem littora premo, vobis si qui tardiores (talibus nauat ratis nostra) quædam literis maiusculis sunt præ oculis ponenda; nolo expectetis nimium, aut præstolemini longum. In primo libro dignitatem exquiram regiam, & de eius Iuribus fusius disseram. In secundo flectite parùm, & mecum aduertite Regalia Summi Pontificis, vnàque potestatem veré ei competentem, & falsò adscriptam. In tertio, recto cursu pergam ad ea quæ ex facto constant.

LIBER

LIBER PRIMVS A PRIMO Regum orditur Iure eiusque autore, & sic procedit.

CAPVT PRIMVM.

SACRAE, & Augustæ potestatis Regiæ auctor est ipse Deus immediatè, non minùs quàm Pontificiæ; siue spectemus ipsum Ius Regis, formam Regiminis, personamuè Rectoris.

CAPVT SECVNDVM.

Dare potestatem regiam soli Deo competit, & supremo Domino in inuestituràsui feudatarij. Nemo aliàs directè, aut iurè vnquàm contulit. In defectum Rectoris subueniunt quadantenus principes & populus in collatione potestatis. Regnum bello partum valeat vt valere possit; nàm inter Arma Iura silent: Semper tamen probandum, si bellum iure inceptum & gestum.

Caput 3.

Magis clara & illustria sunt indicia & vestigia diuinæ Maiestatis, in dignitate Regiâ, quàm Pontificiâ.

Caput 4.

Reges non tenentur ad obseruationem legum ciuilium coactiuè, aut sub pœna amissionis regni: Secùs autem Summus Pontifex: qui etsi à nemine iudicetur, (quod negant multi Theologi) tamen ipso facto amittit Ius suum, incidens in hæresim.

Caput 5.

Rex iure natali Principatum tenens, iurè non deponitur, (nam natalia non soluuntur) etsi tyrannice regeret. Secùs de Principe ius suum suffragijs obtinente statuendum, aut quandò tota familia ad sceptrum inepta: sed hoc a Deo fieri censendum, qui eos dementauit, & aliam illustrem familiam dotibus uerè regijs auxit; vt in casu Caroli Martelli.

Caput 6.

De obsequio Regibus debito, & multiplici eius obligatione.

Caput 7.

Nulli ſunt exempti a ciuili Regum obedientia iure diuino, non ipſe ſũmus Pontifex.

Caput 8.

Eccleſiaſtici in vniuerſum conſiderati, neque exempti ſunt iure diuino, neque Canonico, ſed ſolo iure ciuili, & propriâ regũ ceſſione.

Caput 9.

Eccleſiaſticorum facultates & bona temporalia proueniunt omnia a beneficentiâ regum, exceptis decimis & oblationibus: & idem dicendum de omni ciuili & mundano eorum honore. Quo poſito, inſulſè & imperitè a Canoniſtis Cardinales Regibus comparantur.

Caput 10.

Principes ſeculares poſſunt & debent (rebus ſuis intenti) legibus ac Edictis ſuis cauere, vt donationes immobiliũ non fiant eccleſijs aut locis pijs abſque eorum licentiâ.

Caput. 11.

Exemptionem Clericorum non posse reuocari verius, ac Iuri conformius arbitror. Item nec bona eorum immobilia ipsi Ecclesiæ incorporata, putà iure ad mandatum principis, etsi in hac re dubij videntur nonnulli Patrum. Et idem dicendum de mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari queant. Secùs autem ad summi Pontificis, qui est supremus bonorum ecclesiasticorum administrator, dispositionem, aut si ipsi ecclesiastici cesserint, aduersus Pij 5. opinionem.

Caput. 12.

Hos Augustos dominos qui eos ditârunt, honorarunt, exemerunt, & irreuocabiliter, posuerunt ecclesiastici infra sortem cuiusuis sacerdotis aut laici excommunicati in pœnalibus.

Libris secundo & tertio exciderunt quædam capita, gratâ & anticipatâ aliorum opera; & quæ restant sunt breuiora

SECVNDVS LIBER DE IVre Pontificis temporali quod habet quodque petit, breuior factus istis nunc Constat Capitibus.

Caput Primum.

SVmmus Pontifex, Iure optimo suos obtinuit Principatus.

Caput 2.

Vnus idemq; iure potest in Sacris & Secularibus præesse simul.

Caput 3.

Pontifex quâ Pontifex, nullam habet secularem authoritatem aut iuris dicundi potestatem, directè, aut indirectè.

Caput 4.

Autorem istius secularis potestatis fuisse Gregorium 7. nec antiquiorem habuisse assertorem, probatur.

Caput 5.

Ex scripturis non probatur, sed earum autoritate euertitur.

Caput 6.

Caput 6.

Neque autoritate Conciliorum: ſed negatur potiùs.

Caput 7.

Rationes allatæ non valent, nec aliæ: nam omnis ratio infirma, cum Theſis noſtra maiore autoritate ſit fundata. Magis tamen ſunt validæ, quæ a noſtris poſitæ.

LIBER TERTIVS DE EIS quæ ex facto conſtant, a Iudæis incipit, hoc ordine.

Caput 1.

Non probatur quod ſupponunt aduerſarij ex praxi veteris Eccleſiæ; nempè Synagogæ.

Caput 2.

55. Ambroſium, *& vtrumque* Gregorium *contra nos in cauſâ Aduocatos probamus: illi & alij omnes vſque ad annum milleſimum ſententiam noſtram.*

Caput

Caput 3.

De Gregorio 7. *& sequentibus: & primò de iure quod adrogant in aliorum Regna, præcipue in* Imperium Angliam *atq;* Hiberniam; *& quâ fide.*

Caput 4.

Facta Gregorij 7. *non sunt in praxi sequenda, & sæpe non sanctiorum; sed illius si admittantur, nullum ius alteri manebit integrum.*

Caput 5.

Henricus 4. *nullo iure erat depositus; à* Gregorio 7. *non omninò, nec ab alijs prætextu legis Ecclesiasticæ, sed ciuilis.*

Caput 6.

Ius bonum orabat Otho, *sed non exorabat; putà vt sibi prodesset: nam facilè repudiant, in quem non facilè consenserant. Imperio priuatur, quia prælio, non placito destituitur.*

Caput

Caput 7.

Litem sustinebat Fredericus *quia* Cæsar, *quã sustinere non potuisset si Maiestate non munitus: nam omnia ei oberant exceptis unctione sua, & fide suorum*: Illa sancta in non sancto ideò non violanda, *ista firmâ in infirmis, ideo Imperium illi manebat firmum. Perdidit operam suam Pontifex non Ius suum Imperator.*

Caput 8.

Secùs in casu Ludouici, *nàm eum exemisset causæ æquitas, etsi priuatus; & solummodò quia* Cæsar *impetitur ab inimicis, inuitis legibus, & ipsâ Theologiâ. Causam proinde eius loquuntur Iura & ipsi Theologi, necnon vnus Pontifex, metu tamen & exemplo factus Aduersarius. Sed Deo probitati causæ & ipsius* Cæsaris *fauente, obeunt* Clemens, Iohannes, & Benedictus *Pontifices. Imperat* Ludouicus.

Caput 9.

Depositio Principum sepositio facta est Credentium, magis quàm Schisma aliud licet maxime

maximè incompatibile. Pono igitur qui primò (quoad posse suum) deposuit, Religionem & Fidem maiori periculo, ac damno exposuit, quam qui dogma imposuit maximè nociuum. Damnum non aliàs resarciendum, nisi dogma sit reuocatum.

LIBER

LIBER

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Sacræ & Augustæ potestatis Regiæ, Autor est ipse Deus immediatè, non minùs quàm Pontificiæ, siue spectemus ipsum Ius Regis, formam Regiminis, personamue Rectoris.

QVæ dicturi sumus, de Rectoribus fidelium sunt intelligenda; atq; ex mente S. *Augustini*: hoc enim postulat *procursus Ciuitatis Dei*, item nomen & ratio. Nomen vnum, si titulum ac honorem spectemus; Ratio eadem, si ipsum Ius, Iuris ordinem, & Autorem; & *procursus* idem, quia in *Ciuitate* eâdem. Primos Principes posuit ipse deus, sed non perennes: potestate igitur eorum abrogatâ in *Saule* & *Eli*, Iura

Iura transfert vt sciant quorum interest, quid possit Deus, atq; paveant; & nouos subrogauit in vtroq; Iure, nempè *Dauidem* & *Samuelem*, continuâ successione vsque ad consummationem secu li permansuros, vt videant alij quid velit Deus, credant & pareant; nam vt disertè idem Doctor, *Regnum diuturnum*, siue vt ille alibi, *æternum in terrena Hierusalem, vmbra est sempiterni regni in cæleſti Hierusalem.*

Aug. de Ciuit. Dei. lib. 17. c. 4 & 6.

Regnum tuum non stabit tibi, inquit ille ex verbis sacræ scripturæ, *At stetit, et stabit non huic sed posteris* (nè vni autem ex illis si *Saulis* spectemus posteros, non ius) *vt saltem per posteros alterum alteri succedentes videretur impleri quod dictum est in æternum*: & in eodem capite. *Regnum quoque isto modo etiam ipsius Saulis qui reprobatus atq; reiectus est, futuri regni erat vmbra in æternitate mansuri.* At non stetit Iudæis? Sed stetit, & stabit Christianis, *Quia Christi Ecclesia ibi præsidet vbi Christi Persecutores prius regnabant.* 23. q. 7. c. Si de rebus. ex *August.* contr. *Petil.*

Apte idcircò ille de Sacerdotio, *Domus tua, & domus patris tui* (non sacerdotium in domo tua, aut patris tui) *transibunt coram*

me

vnctio eternum, & transijt; atq; in ecclesia vos dicti sacerdotes. Aptè etiam de regno; *Regnum tuum non stabit tibi, sed stabit posteritas tua, vt implcatur quod dictum est, in æternum*, id est, in finem seculi; aliàs non *umbra fuit regni in veritate*, id est, post finem seculi *mansura*. Aptè proindè nos quoque nostros istis succedere facimus, tam Reges quàm Pontifices, tam modernos quàm antiquiores; & conuenienter: nam nec huiusmodi illi *Christi Domini*, nisi quia in locum Iura veterum Christorum fuerunt. Cur enim vos vncti? quia Dominus mandauit? nequaquam; sed quia vncti illi. Cur Reges? nouâ quia lege cauetur? noua nec lege, nec nouo ritu. Vncti illi, quia aliàs non Christi; Christi vos, aliàs cur vncti? Vncti illi, & vncti vos, quia ab eodem Domino in *eadem Ciuitate* eodem præcepto iure, ideoq; eodem titulo decorantur. Institutio igitur immediata in vtroque, quæ in nemine; nam *Deus posuit hunc illum*: *institutio perpetua*, & *successio statuta*, etsi fortè *dormiens*, aut *interrupta* (quod in vtroque principatu accidit) *prætermittere*, vt *impleatur quod dictum*

tum est, vsque ad finem seculi permansuri. Sed deficientibus Iudæis aut nostri succedunt, aut nulli: hoc contra mentem *Augustini*, & naturam *Ciuitatis*; illud igitur ad normam veritatis, & cõstitutionem Dei. Demptp hoc, nec Pontificia dignitas immediatè ab ipso Deo (etsi vtraque sit a Iure naturæ vt suo loco constabit) non tamen ab ipso Deo quoad immediatam & primam eius positionem: nam Gentes habuere sua sacra, liturgias, & lbamina, *Mosaicis* & *Leuiticis* antiquiora; (& stricto iure ad sacra tenebantur, quod à vobis aduerti volo, licèt non ad hæc, vel illa determinata) itèm habuere ipsum nomen Pontificium, sicùt & Regium, *etiam Pontificum & Sacerdotum discretiones, vnde vestræ desumptæ sunt*, vt dicetur inferiùs, & iure, quod singulis naturale est in seipsos, mystagogis cessere suis, atque seipsos tradidere in sacris erudiendos. Hinc scholæ illæ *Ægyptiorum*, *Caldeorum*, *Gymnosophistarum*, quibus multi per longa & aspera itinera non sine vario discrimine sese addixere; & hinc recentes institutiones monasticæ, & pædagogicæ in Turciâ, & alijs Regionibus

Maho-

metanis, quæ Cœnobitis & sponte se offerentibus adimplentur.

Ecclesiastici in vno conueniunt, in altero diffident: faciam si potero vt in neutro. Vestrum Pontificatum rectè succedere dicitis sacerdotio *Aaronis*, in cuius locum, etsi non sacerdotium, subuenit Pontifex, vnus vni: at in successione Regum non conceditis? Ratio est, Rex Iudæorum vnus, Christianorum multi: varij autem & contemporanei non sunt vnius & eiusdem successores? Respondeo, non succedunt in eodem Regno, sicut nec vos in eodem sacerdotio, sed *eodem gaudent iure*, nempe quod primo erat concessum 1. *Sam.* 8. vt postea dicetur, & ijsdem tenentur legibus *Deut.* 17. quibus priores adstricti: atque quando regna erant primitùs diuisa, vt in nouâ *Ieroboami* inuestiturâ, tam electio quàm diuisio immediatè erat ab ipso Deo, quod satis est quoad ius successorum, nam aliter nec firmum apud vos nisi Ius *Aaronis*, & S. *Petri* maneat successoribus integrum.

Sed Pontifex nouam habet & immediatam à Christo Domino institutionem, itemq; ipsius Ius; non autem regnum secu-

lare, aut Regum aliquis Christianorum? primò quod *ista potestatis plenitudo* (quâ nunc dominatur Papa) collata sit B. *Petro* ab ipso Domino nonnullis Catholicis hæret, imò negatur: nam volunt hanc eius successoribus accessisse constitutione Ecclesiastica, de qua posteà. Sed concedamus totum; responsio tamen expedita: nam venit Dominus vt sacerdotium antiquaret, & iura faceret irrita, sed non Regnum aut Regalia, (vt palàm profitetur Ecclesia in Solenni Trium Regum) illa igitur soluens hæc non minuit. Nam quî alias? Iura sacerdotalia soluit; ergo non manent; Regalia non soluit, manent proinde firma, atque integra. Neque obstat quod deficit populus cui principes isti & iura dantur, *Non dicam non populo, populus meus es tu*, quomodo non Regibus istius populi, sicut Regibus illius, *Serui mei estis vos*? Ose 2. 24.

Ratio igitur cur non instituit nouos principes sicut nouos sacerdotes, quadruplex est: 1. quia regnum Iudæorum non statim defecit: 2. quia Christianorum non statim succreuit: 3. Illis potior, quia etsi succedunt Reges in alijs locis, & alia plebe, non tamen nouo iure. 4. quæ præci-

pua, quia talem Christus ratione officij non habuit potestatem, vt nouum & secularem potuisset instituere principatum, ergò nec rescindere, nisi quod ordine fundauerat & salubritèr, perditè vastaret & exorbitantèr. *Synagogâ vero honorificè sepultâ* (qui autèm obsequuntur in exequijs nisi qui sequuntur in iure, nempe hæredes qui seruabant legalia, quasi communi lege obstricti) *succedit plebs Christiana*, quemadmodùm statuerat Deus, vt passim Prophetæ. Ita Republicâ Iudaicâ paullatim deficiente succedit Politeia Christiana; nam sicut nos succedimus in eorum iura, sic Reges nostri in Regum iura, saltem secundum vos succedunt in onera; *Pontifex enim potest Regem Christianum exauctorare, quia potuit sacerdos maximus Regem Iudæorum*, vt *Baronius* non raro, & frequenter alij. Nunc igitur ius dicam naturale, commune, & vestrum; *Secundum naturam est commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda*. L. secundum 10. *ff. de Reg. Iur.* consonat Ius vestrum, *Vt sentiat priuilegia, qui sentit onera. c. 55. tit.* eodem. in *Sext.*

Istis positis, primò dico Ciuile regimen,

quo in Christianâ Politeiâ præsunt Reges, non populi cessione vel suffragijs, aut Iure Gentium esse inductum vt frequentèr adversarij; sed immediatè ab ipso Deo primis principibus *Mosi* & *Iosue*, & primis Regibus *Sauli* & *Dauidi* concessum & datum, sicut sacerdotium primo sacerdoti *Aaroni*, & Pontificatum primo Pontifici B. *Petro*. Neque est quod opponatis cum *Iunio* & hæreticis seditiosis (qui *Vindicias* concoquunt & euomunt, cùm principes non sunt ad stomachum) sortilegium *Saulis* aut *Dauidi* inaugurando consensus Hebroniticus; nàm eligit populus quos priùs elegerat Deus, quod regulariter præceptum est *Deut.* 17. 14. & adamussim præstitum in electione dictorũ; quorum regnum immediatè datũ, & ipsos immediatè à Deo electos fatétur Illustris. Cardinalis, & *Becanus*, *IVS* tamen *REGIS* vniuersè astruam.

Bellar. de trãs. Rom. Imper. lib. 1. c. 7. *Becanus* de prim. Reg. Ang. c. 1.

Idem Cardinalis *de Laicis lib.* 3 *c.* 6. fatetur *Ciuile regimen in vniuersum consideratum esse immediatè à solo Deo, nempè à iure naturæ: quòd autem sit Monarchicum Aristocraticum, vel Democraticum, esse à iure Gentium.* Ego verò contrà, vnius regimen, nempè Monarchicum, assero solum esse à natura,

iura, in cæteris verò à recto naturæ tramite homines deuiàsse; nec minùs erràsse qui in humanis Optimatum aut popularium induxerunt dominium, quam qui in diuinis *Presbyterium* aut cincinnatos, & post-natos *super intendentium* choros: sed excusantur à pari culpâ ratione subiectæ materiæ. At Romanos erroris me temerè arguisse optimos politicæ doctrinæ magistros arguetis? misceantur ima supremis & plebe principes, si non hos præ alijs deposco Iudices: nusquam enim Monarchia magis innata quàm Romæ, & in Romanis, sed ad opem Consularem eos adegit immodica dominantium rapina, & indomita libido. Rebus verò iterùm deploratis aut arduis, Monarchiam vnicũ inuenere remediũ, tutamen vnicũ. Vnde nomẽ exosi, non rem ipsam, non Regẽ sed Dictatorẽ decernunt ferè deũ. Quid autẽ tàm salubre quòd hominũ improbitas non fecit damnosum? Sed à Romanis opem petam cùm opus fuerit: rem illustrãt magis quàm probant; res autem ipsa probanda potiùs quàm illustranda. Asseritur vnius Regimen tribus modis, quasi triplici iure; 1. ductum à communi totius humanæ gentis, etiàm

rationalis natura. 2. à naturali dignitate, & iusto priuilegio ipsius Monarchiæ. 3 à natura Monarchiæ.

Primo probatur ex natura communi omnium hominum, tam subditorū quàm principum, à primo ad vltimum Monarchiam cogitantium, & ambientium. Primo ideò dico vanâ eloquentiæ fiduciâ erraſſe *Ciceronem* (quem recte arguit *Bellarminus*) qui vt eam more suo vendicaret, Regiminis, & societatis auctorem statuit; *Fuisse olim tempus*, ait, *quo homines sine Rectore, sine ciuitate more ferarū vixerunt*. Quod falsissimū esse nobis ex sacris literis constat; nam hominum secundus vrbem ædificabat, vt habet textus sacer *Gen. 4. & principatum*, vt *Augustinus de Ciuit. Dei lib. 15. c. 1.* nempe *Cain* in propriâ Ciuitate Monarcha. Hinc nō modò origo iuris sc. *non scripti*, teste canone *Non est peccatum dist. 6.* & *politici regiminis*, vt *S. Augustinus*, sed magis patenter quod nos volumus, Monarchici, pariter & ipsorū Regum ac Rectorum, Sc: Principū Ciuitatū, Tribuū, & familiarum. Nō enim contendimus vt regna sint ampla, sed vt vnus sit rector. Regna initio nō fuisse ampla liquet, cum *Quod occiderit septuaginta Reges*

Lib. 1. de Inuen. De Laicis, lib. 3. c. 5.

Iud. 1. & Iosua Reges triginta vnum trans Iordanum, & terras eorum possederit. Constat tamen regimen fuisse monarchicum dùm omnes dicuntur fuisse reges; nec minùs constat monarchicum solum esse naturale, cùm sit primum.

Quòd regnum cecidit vitio sit naturæ; quòd populus & optimates euecti, artis accidit eloquio. *Tullius* igitur dùm hominibus societatem fecisse ait, impingit vanè; si regibus dedisse socios affirmâsset, dixisset verè, inauditi ènim & ignoti erant in orbe fœcundi Rectores, priusquàm in Græciâ & Latio facundi Rhetores. Vt autem regni specimen retinerent, Græcis nihil antiquius: vt Monarchiæ tanquàm saluti litarent, Romanis nihil promptius. Hæc vobis, politici & historici, satis nota, vestra opera sint alijs familiaria; quæ interim altiùs & salubriùs imbibenda, propino vberiùs & propono.

Quatuor in rem nostram sunt hîc notanda: primùm hic cœpisse politicum regimen contrà Cardinalem *Bellarminum*, qui negare uidetur ob duas rationes, de laicis lib. 2. c. 7. Prima est, quia *potest esse Respublica sine ciuitate materiali*; quod concedimus

dimus, sed plusquàm vno pede claudicabit, & in feritatem verget, vt priùs *Cicero*; magis tamèn claudicat argumẽtum *a posse ad esse*. Sed demus sine ciuitate, at non sine subditis? Hìc autèm origo non modò ciuitatis, sed subditorum. Secunda est, quià *Adamo erant subiecti filij & nepotes*, sed aliud est patria potestas *quæ in nepotibus desinit*, aliud ciuile regimen, quod ad omnes ciues sese extendit, quod hìc *cæpisse auctor est Augustinus*; ordo naturæ indicat, & ipsa ratio.

Secundum est, hìc cœpisse principatum, ac vnius regimen: ædificabat enim ciuitatem, vt se, suos, & suum principatum distingueret a principatu fratris; *nam hinc*, vt fusè disserit *Augustinus*, *initium & distinctio vtriusque politeiæ*, *ciuilis originem habet in* Cain, *& sacra in* Abel. Mystica applicatio, sed distinctio realis; aliàs *Mystologia*, *Mythologia est*.

Tertium est, hunc principatum competere suo possessori omni iure, purà naturali & communi, despotico atque stricto; tanquàm principi, tanquàm communi patri, & supremo domino; sic ènim se habuit *Cain* ad omnes suos ciues & subditos. Nèc

dissimilè

dissimile fuisse ius Romuli in Romanos a quo originem traxerunt, & idem primum magistratuum Ius, & primum iuris originem non negat autor, cuius nec nomen noscitur, nec fides, a quo nemo mouetur nisi mobile vulgus, *de iure magistrat. In subd. 9. 6.*

Quartum est hos subditos similiter omni iure, & omni obsequio teneri huic principi, neque eis licitum esse hoc dominium in alium transferre, eo viuente, & non cõsentiente; contra illos qui temerè asserunt competere populo iure naturæ vt regem adlegant & relegent. Ratio non obscura est, nàm intrinsecum siue adnexum, vel cuiuscũque generis sit dominium aut prælatio simile semper supponit obsequium, & subiectionem, quando superior præest, vt princeps, pater, & Dominus; inferiores obligantur, vt subditi, filij, & famuli, qui inuiti tenentur si sponte recusauerint. Hoc igitur pono tanquàm iuris liquidi & indubitati, cùm succedere nihil sit aliud quàm in ius prioris cedere, (nec dispar conditio, vbi par ratio) non minus est ius vltimi succedentis, quàm primi possidentis. Neque minus debetur quià hæres ignoratur: hoc ènim fit lapsu temporis, non defectu iuris;

nàm

nàm quod primo ius est, secundo, tertio, & millesimo non minus est debitum; & hæres non moritur, nisi moriuntur omnes. Neque hîc valet regula in praxi sæpè seruanda, *idem est non esse & non apparere*: nàm non quæritur quid de facto datur, sed quid de iure debetur; & tamèn non ineptè in successione regum dicitur, *apparent* dum regnant. Quoniàm verò electio venit in defectum successionis, & nihil est aliud quàm idem ius pacto quodam atque modo conferre; dico regem succedentem non posse exauctorari nisi ab ipso omnipotenti Deo qui potest omnia iura soluere: principem verò electum posse, *quia quorum est substituere, eorum est destituere*; & possunt, ferèque semper solent conuentionalitèr substituere, aut sub conditione. Duo posteriora ad alia capita sunt referenda; hîc præmonuisse sat est.

Qui cum onere intrat aut sub conditione datur, mihi in isto tractatu prorex non rex erit; nam pura quæro Regis naturalia.

Secundò vnius regimen mentibus nostris ità insitum esse dico, vt sempèr naturali motu imó impetu agamur in Monarchiam tàm in humanis quam in diuinis. In humanis patet dùm in sacris literis sæpe dicitur. *vnamquamque gentem primis seculis suum habuisse regem*. Alias nationes natu-

ram

tam sequentes Iudæi nisu improbo, & inordinato contra naturantem (quid enim eis opus vicario quibus præerat ipse Deus more consultissimo) sequuti sunt, *habeamus regem sicut & vniuersa habent nationes*, 1. Reg. 8. & alibi, *constituam super me regem sicut omnes per circuitum habent nationes*. Cùm autem dicitur *omnes* habuisse & *vniuersas*, Deut. 17. ostenditur nullam gentem prioribus seculis aberrâsse. Vnde dùm primò, principaliter & communiter in monarchiam feruntur homines, liquidò constat hunc morem & hoc regimen solum fuisse a natura, cætera humanâ solertiâ irrepsisse.

In diuinis quoque probatur, dum Dij gentiles sparsim & seorsim numerantur; Deus *Moab*, *Deus Ammon &c.* sed apertè & sigillatim describuntur dum singuli impotentiæ arguuntur. *Numquid liberauerunt dij gentium vnusquisque terram suam?* 4. Reg. 17. & apertiùs secundum naturam rei & hominum, *Vnaquæque gens fabricata est deum suum* 4. reg. 17. quos Iudæi sequuntur sicut & in humanis, *secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Israel*. Neque est difficultas in dijs *Labani* & similibus quasi multitudinem sonantibus, hij enim erant

domestici

Car. Sig: de antiqu. Iur. ciu: Rom. lib. 1. c. 8.

domestici & familiares, qui rectè appellantur *priuata sacra singularum familiarum*, quorum primordium exponit sacra scriptura, *dolens pater rapti filij fecit imaginem, & inter seruos constituit sacra*, Sap. 14. Vide dij penates & origo idolorum; *quæ primò induxit affectio circa morientes*, vt habet auctor non temnendus: & ideò indulgentiæ primò concessæ paullò ante tempora *Abrahæ*, ob amorem *Beli*, a quo varia & non multùm discrepantia idolorum, & posteà dæmoniorum cognomenta, vt non inscitè creditur. Sed quid istis immoror? Iuris esse naturalis vt vnus præsit in sacris fatentur, è re suâ arbitrantes, sed in ciuilibus negant: inepté? in ciuilibus potiùs? nàm nitimur, vehimur, trahimur in hoc magis quàm in illud: non quòd ciuile regimen sit màgis naturale, sed quià ratione lapsus in sacris màgis deficimus, quià màgis cœcutimus.

Werner: de 6. æta: mundi:

Tertiò vt omnia verba absoluam: tanc ingentem vim habemus, & semper habuimus, tàm in purâ naturâ quàm in massâ corruptâ: præpes erat in illa, præcox in ista, præceps in vtraque. Ratio quoque a natura & ratione ipsa est. In solâ enim monarchiâ

narchiâ salui & tuti; nàm ad principatum dictante vtràque, semper petitur qui optimus, qui potentissimus, vt populi a minùs potentioribus vindicentur. Hoc vt dixi a naturâ didicimus, quâ deprauatâ putabant homines isto modo se posse ab ira & vindictâ ipsius Dei tutari, & ideò vt verè religiosus ex *Philone, tres illi principes, totius orbis soli domini cum populis suis conuenèbant* vt de vna Monarchiâ eminenti & indeficienti consulerent, & re decretâ fundamentaliter struebant: *fecit ciuitatem amor sui*, inquit *Augustinus*, *vsque ad contemptum Dei*, vidit Deus & horruit; ideò linguas eorum diuidendas censuit, vt eo modo corda, & capita: hinc varij duces, varij reges sine vlla dependenti suppositione, aut vicaria ordinatione. Neque solùm humanæ naturæ inditum vnius regimen, sed omni rationali, vnde Angeli ipsius Dei declinantes imperium, aliam sibi præfecere Monarcham; *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*. Nimrod, Suphene & Iectan.

Secundò probatur ex naturali dignitate & infito iure ipsius Monarchæ, cui soli competit esse rectorem, & cæteris præferri, quia inter cæteros optimus. Ratio

clara

clara est; nàm cum a natura est vt sit regimen, & vt sit prælatio, quod omnes fatentur, a natura quòque est vt deferatur optimo & dignissimo. Probatur exemplo ipsius Dei, autoritate veterum Theologorum & recentiorum. Exemplo ipsius Dei liquidè, qui *Saulem elegit, quo in omni Israele non erat melior, 1 reg. 9. 9. & in sap.* sequenti, *cui non erat similis*; sed prauitate aduentitiâ ineptior factus, ius lege naturæ & iustitiæ debitum amisit (nàm vt dixi deberur optimo) proinde regnum transferens omnipotens Deus (cui soli competit vt transferat) iterùm ostendit quid deinceps faciendum; nam secundò *Dauidem* subrogat *cui quoque similis non erat*, & in *Monarchia* ecclesiastica (non enim obest disparitas regni dum agitur de paritate regiminis) præfecit Christus Dominus Beatum *Petrum*, qui non modò primus sed optimus, *qui plus ceteris dilexit. Istis exemplis*, inquit Lessius, *indicauit Deus se velle præstantissimum semper eligi, de Iur. & Iust. lib. 2. c. 34. dub. 14.* Secundò autoritate *S. Gregorij lib. 4. c. 4. in Reg. & c. 3.* fuit docentis *dignissimum semper eligendum*. Denique communi consensu Theologorum, & Iurisperitorum,

ritorum, quos ibidèm refert *Lessius*. Egò alterius ſcriptioni non detraham, nèc meæ addam pompam.

Sed præſtantiſſimus & digniſſimus, quem illi volunt, forſan non exquiritur, niſi dictante Deo vt in exemplis prædictis? Fateor, obligamur tamen ad obſeruationem iſtius naturalis & diuini dictaminis pro acumine noſtro: ideò tenentur tàm Cardinales in electione Pontificis, quàm principes & magnates in electione Imperatoris ſiue Regis ſufficere optimos & digniſſimos. Vbi autèm regna tranſeunt hæreditariò ibi ſubſtituuntur ab ipſo Deo, qui nouit quid cuique genti optimum; qui dat hæredes & ſucceſſores aliquandò iuniores, ablatis aut poſthabitis maioribus, vt *Salomonem, & S. Eduardum* noſtrum; & quoſdam cum ſua prole deficere facit, vt ſufficiantur proxini: alicubi dat mites, alibi, (vt regnum & ſubditi fuerint habiles) màgis rigidos, ſed ſemper maximè idoneos, vt quàm ſcitiſſimè *B. Irenæus, Cuius iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur apti his qui in illo tempore ab illis regantur, lib. 5. cap. 24.* & Origenes. *Dantur nobis principes* nempè a Deo etſi quandoque *nõ*

secundum cor Dei, sed secundum cor nostrum, id est, moribus nostris apti in lib. Iudic. Homil. 4.

Tertiò probatur ex natura ipsius Monarchiæ, nèc minùs clarè; nàm reliqui status veniunt in defectum huius, & quasi deditâ operâ ruinam parant. Quod vt meliùs constet, aduertendum est hominem esse naturâ suâ animal sociale, siuè, vt ciuilis scientiæ Doctor: *animal politicum màgis quàm apes, grues, aut alia quacũque animalia*; quàm celebris autem natura apum & gruum, rectorem præponendo, eique parendo, insscitissimo vix est ignotum. Sed abeat nobis vis bruta; ad manus sunt fortiora. Ipsa Politeia ex natura sua supponit regimen, & adeò necessariò, vt absque eo fingi non possit aut animo concipi, nec quoad nudam entitatem, nec iugem persistentiam: Sublato enim regimine, ruina imminet non modò politeiæ, sed ipsis politicis & ciuibus, nam appositè diuina eloquia, *Vbi non est gubernator populus corruet.* Non *gubernatores*, quià eo modo paratur ruina, etsi pauciſſimi inducantur, nam *imperium potest diuidi* vnde desolatio, vt iterum docuit sacra pagina, & demonstrauit *Caria*,

Arist. pol. l. 1. c. 2.

quam

quam multi imperantes perdidere. Sed Carta nunc alia est atque varia; ratione enim non raræ contingentiæ iuit in prouerbiũ. Præterea ex multis capitibus constare vnum, aut in vno corpore esse multa capita error naturæ est, monstrum est; nàm nihil fecit illa biceps. Da igitùr quod arte excolatur regimen, tamẽ debet illa imitari naturam; at in hæresi artis filiâ (sed adulterinâ) imitata non est? bellua igitùr multorum capitum est illa, & verè dicitur: atque hinc eius ruina, perditis, & perditum euntibus omnibus hæreticis tàm modernis quàm prioribus, permanente solo cœtu fidelium vni capiti adhærente.

Ius Regis similiter ab ipso Deo, & in sacro diplomate; non autèm describitur *Deut 17. vt Becanus de prim. Regis Angl. c. 2. in. 9.* sed potiùs cancellis ibi circumscribitur, siue negatiuè exponitur: potestas verò affirmatiua, vel positiua datur nulla. Ius autèm Regis expressè, & deditâ operâ a *Samuele* ponitur 1. reg. 8. vbi ipsum regnum instituitur, & auspicatur. Neque tyrannum aut regem iniquum instruit vir Dei, vt temerè *Becanus* cum *Caluino*; nàm quæ fusè & explicatè in eodem cap. a Rege

exigenda, & a populo exhibenda, subditis narrat, eadem posse Regem iure principali sibi adrogare & appropriare, ipsi *Sauli* in cap. sequenti subindicat, *& cuius erunt optima quæque Israel, nonné tibi &c?* quem tamèn ad tyrannidem pellicere prophetam voluisse, aut sategisse, dicere vel autumare nefas est.

Neque satis aduertisse videtur *Becanus* Regis ius aut dignitatem, dùm a prophetâ concessa, ille Regi negat, præsertim cùm hæc omnia, ferè communi consensu tàm Theologorum, quàm Iure-consultorum, principi competere non sit ambiguum, & ex eis, vt propheta, *optima*, modò iustum & æquum seruetur; neque tyrannidem sapere nisi grauamen sit immodicum. Quis enim negat Regi *Equites, Tribunos, Centuriones*, & diuersi generis famulos, tàm nobiles quàm plebeios, & vt sumptibus subditorum saltèm in nouo principatu alantur. Itèm vt possit tributa & vectigalia nomine decimarum indicere, quibus eius dignitas sustentetur, & publica impendia exoluantur. Quod autèm *vt ab ipsis liberentur* Iudæos obnixè petituros prædicit *Samuel*, hic sensus est cùm senseritis regiam

pompam

pompam vobis ob dicta onera fore (vt ordini conuenit) grauem, me autèm sine fastu (vt sacerdotem decet) & sine sumptu præfecturam gessisse, neque *in re minimâ vobis incommodâsse, tunc clamabitis ad Deum, sed non exaudiet vos*, ratio est quiâ petijstis *vobis Regem*, qui pro dignitate est sustentandus.

Sed expendamus paucis si placet quæ hìc *iuris* dicuntur *regij*, & conferamus cum illis quæ in Imperijs & regnis Christianâ fide nobilitatis sine tyrannnidis calumniâ indicuntur, exiguntur. Primò vt habeat Rex comitatum Regalem, nihil est magis decorum, aut ipsis famulis magis honorificum: hinc enim secularium dignitatum origo, subordinatio, & nominum distinctio.

Secundò quod calumniæ maximè est obnoxium, *agros vestros &c. Dabit seruis suis*: vt serui Regis alantur, sustententur, iustum est, æquum est; vbi autèm nihil est adespotum, & Regnum nouo iure fundandum, necesse est, vt regio cederet Ius despoticum, nisi sponte quod iustum sit contulerint ipsi subditi.

Tertiò *segetes vestras addecimabit*, vice

huius, *pensiones prædiales* nomine tributi soluuntur; & in alia specie pro diuersa regni ratione *non decimam* sed *octauam decreuere* principes non auari. *L. ex præstatione C. de vectigalibus.* Et alicubi hisce nostris temporibus *ipsa decima nempè ex rebus venditis & permutatis, etiám annonis*; alibi aliud, sed non minus imponitur vectigal pro varietate regnorum; item *portoria, pædagia*, & id genus alia, saluo interim iure fisci.

Quartò, *seruos & asinos vestros ponet in opere suo, &c. & vos eritis eius serui.* Huius generis sunt onera quæ vocamus *munera*, eaque pro ratione concessionis diuinæ sunt triplicia; *realia, personalia, & mixta: Realia* sunt obsequia quæ principi præstantur rebus subditorum, vt iumentis, plaustris &c. *Personalia*, quæ per ipsas personas exhibentur, vt seruire certis temporibus in Aula, vel alibi. *Mixta* sunt, quæ vtrisque constant, vt cùm quis suo sumptu famulatur aut comitatur in itinere aut ad militiam &c.

Potest igitur in istis Tyrannis vitari, & æquitas seruari, (& seruabitur sempèr) si regijs indictionibus ista quatuor non desint.

desint. 1. si sit iusta causa imponendi. 2. si sit vectigali proportionata. 3. si solutio sit cuiusque facultati adæquata, vt pauperes non cogantur plus conferre fortitò, quam qui ditiores. 4. si vltra necessitatem non prorogetur: neque dissentiunt Theologi. Hæc igitur omnia licèt humanâ lege sint decreta, tamèn iure diuino sunt debita, quia iure eodem potestas ordinatur; vnde diuini codices, *Date censum* Cæsari, *reddite tributum cui tributum, & vectigalia cui vectigalia debentur.*

His dictis videamus obiecta. Sunt triplicia. 1. opponunt contra potestatem principis. 2. Contra formam Regiminis. 3. Contra personam Rectoris.

Primò contra potestatem principis, nempè quod sit a populo. Sic enim Cardinalis *Bellarminus* contra *Iohannem Marsilium* in responsione ad tertium capitulum, *Obtinet eam ex translatione quâ populus suam potestatem in principes transtulerunt*, & contra *Barclaium* Cap. 22. & idem passim habetur apud alios. Sed apertè refellitur exemplo primi princi-

pis, quo probatur Dominium esse naturale, & intrinsecum, neque multitudini competere, sed vni cuidam omni iure: Vnde notandum est, si dixisset ex electione populi (sed cautè non dixit vt distingueret ab electione Cardinalium) ius primo aspectu pulchrum fortè insinuasset, sed dum ex *translatione*, planè frustrâ est, nàm vt rectè Leonardus Lessius *de iur. & Iust. libro. 2. caput. 32. dub. 2. diuinæ potentiæ sunt participes*, Non igitùr regnatur populo conferente suam. *Sed diuinam potentiam confert populus?* quam hoc inscitè; sæpe dicitur *Audite Reges, vobis data est potestas a Deo*; sed numquam, attendite populi, vobis a Deo data est vt regibus conferatis, aut data est vobis Reges, at mediãte populo. Sed de hac, & de ipso *Lessio*, qui alibi sublimem secularium principũ potestatem præter modũ alijs submittit & subjicit, alio loco, & fusiùs dicetur.

Secundò opponunt contra formam regiminis. Fatentur esse Iuris naturalis *vt sit regimen seculare ac politicum*, vt Cardinalis suprà: species autem eius & varias formas moribus gentium & ingenio humano esse inductas. Quod libenter nos concedimus,

varietas

varietas enim aduentitia est, & ex solertiâ nata; vnica verò est a natura, nempe Monarchia, sicut superiùs satis me probasse arbitror: nam non minùs naturale est vnius regimen, quam ipsum regimen, & in cæteris errarunt homines cum si sit regimen aut prælatio, naturale est iustum est vt deferatur optimo & dignissimo. Sed tandem in nostram sententiam iuit ipse Cardinalis, in *lib. contra Frat. Paulum Seruit. Non est dubium*, inquit *instinctum quo homines naturalitèr aguntur ad eligendum sibi vnum aliquod caput, à quo regantur, immediatè esse à Deo*, igitur, iudice Cardinale, in hoc vicimus, nisi naturale quoq; arbitratur vt ex multis capitibus hoc vnum constaret caput. Præterea dominium strictè sumptum, & seruitus sunt de iure gentium, sed non regimen: nàm si ideo dicimus quia gentes primi eius cultores, & quia eius distinctiones ab eis didicimus, idem dicendum de sacerdotio: de sacerdotibus enim *Ægyptiorum* constat ante institutionem Biblicam. Et distinctiones vestri sacerdotij ac Hierarchiæ a gentibus desumptas esse autor est *Gratianus*: Nam *de sacerdotibus, Archipresbyteris, Chorepiscopis, Episcopis,*

pis, Archiepiscopis, Metrapolitis, Primatibus, Patriarchis, & summis Pontificibus, sic illorum discretio *a Gentibus maximè est introducta. Dist. 21 in Principio*. Vnde hoc vnum in vobis meritò culpem; si vobis officere possit, nihil ethnicum, nihil gentile agnoscitis: sed si proficiat, ab ipsis Ægyptiorum sacerdotibus immunitatem & priuilegia petere non dedignamini, vt Cardinalis *Baronius* sæpè, & non rarò alij.

Tertia obiectio est de persona Regis. Sic enim Cardinalis *de summo Pontifice lib. 5. c. 7.* & contra *Barclaium. c, 21. de iure humano est quod hunc vel illum habeamus Regem, & quod iste sit Rex potius quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit*. Idem nos de summo Pontifice: quòd iste potiùs quam ille, vota Cardinalium, non Dei voluntas, fecerunt. Sed soluit *Bellarminus* contra *Iohannem Marsilium. Cardinales tantùm personam designant, potestatem non conferunt*. Idem nos in iure principis: nam vt illi sepe fatentur, & diserte ipse summus Pontifex, *In terris Dei vicarius est*, nempe in temporalibus, sicut in spiritualibus Papa. Cur igitur Deus vni, populus conferret alteri? quis fallax Iurium discriminator

Anast. ad Anastasium

inator aut futilis munerum nomencla-
or tam putidè deliraſſet vt *diuinam pote-*
am ac vicariam a populo datam ineptiret
on a Deo; aut huic & non illi? cùm nihil
it naturæ rei magis intrinſecum, aut in-
ærens, quam vt habeat vicarius ab eo po-
eſtatem cuius eſt vicarius; & vt habeat
mmediatè non mediatè, aliàs in caſu no-
ſtro princeps vicarius eſſet populi non
dei: & quamuis haberet poteſtatem a deo,
anquam a primo & principali autore, ſi ta-
mẽ immediatè a populo tanquam a proxi-
mo, nihilominùs dicẽdus eſſet vicarius po-
puli non Dei. *V. G.* Pontifex aut Princeps
Vicarium legit & poteſtatem delegat, ille
alium ſublegat; iſte ſublegatus non dicitur
Vicarius principis, ſed Officialis Vicarij:
verè tamen dici poteſt, etſi non proprie,
habet iſte poteſtatem a principe, quia
habet is qui primò conſtituitur, hic im-
mediatè, ille mediatè: aliàs fingi non po-
teſt vicarium habere poteſtatem a tertio,
ratione Vicariatus: niſi is cuius eſt vicarius
ab eodem habeat: ergo ſi princeps habet
poteſtatem a populo quâ vicarius Dei,
habet quoque ipſe Deus, cuius eſt vica-
rius. Hoc blaſphemum, illud igitur abſur-
dum.

dum. Sed hoc absurdo dato stupidè negatur alterum, principes & populus vicario seculari conferunt potestatem in temporalibus, sed Clerus & Cardinales nullam vicario spirituali in Ecclesiasticis. Rectiùs S. *Ambrosius*, nec ius distinguens nec vicarios, *Ius principis* appellat indistinctè *id diuinum quod humanis autoritatibus est deputatum*. Neque alia distinctio dari potest quã hæc; potestas ciuilis & sacra absolutè sumptæ sunt vtraque a solo Deo tanquam ab Auctore naturæ, secùs ex Hypothesi: nam autoritas spiritualis qua nunc præest Pontifex est a solo Deo tanquam ab Auctore gratiæ. Sed quare non a Natura vt primitus & nunc inter gentes? quia defecit Natura, ideo vt Ecclesiastica potestas prodiret tenus, sola sufficit Gratia.

In cap. 13. ad Rom.

Cardinalis igitur, venia tanti viri sit dictum, non propriè loquitur in materia iuris & momento electionis, aut distinctè, nisi distinguendo vbi non est distinguendum; nam ius quod pontifex habet etsi sit a Deo, electione tamèn acquiritur, sicut & ius principis; quando autem regnum transit iure natali, tunc Rex diuinitus datur, nempè dispositione diuina *aut iussu Dei*,

Dei, vt diximus *Irenæo*, sed in priore casu recte vtrunque confero, Pontificem & Principem, & non sine Canone. *Audacter fortasse aliquid dicimus, tamen quod scriptum est dicimus, non semper principes populi & Ecclesiæ Iudex per Dei arbitrium dantur, sed prout merita nostra deposcunt; si mali sunt actus nostri, &c. Dantur nobis principes secundum cor nostrum.* 8. q. 1. c. *Audacter ex Ieron.* Quid igitur effato *Augustiniano* verius, aut quid scitius? *A deo sunt omnium potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates.* Quare non S. *Præsul*, cùm in manu Dei sit cor hominis, etiam Regis, & quarè non voluntates, cùm a Deo sint omnes animi facultates? responsum pariter scitum ex teipso & Præsule alio, *Homini dedit Deus liberum arbitrium, penes ideo est quemlibet sequi adinuentiones suas.* At non liberam aut vagam potestatem? sed solus Deus ordinariè vni Regi, vnus Rex ordinatè cæteris omnibus: vt posteà patebit ex ipso *Augustino* & *Othone*: mediatè ideo voluntates, immediate potestates. Atque aliquorum vt sint immediatè necesse est, nam fieri aliâs aut fingi non potest: & si aliquorum, certe Regum qui

De Ciuit. Dei, lib. 5. cap. 8.

Deo

Deo proximi & ob proximam & conterminam viciniam Dei cognomento donati, vt dicemus alibi. Concludo igitur, non hunc immediatè, illum mediatè, aut vnum a Deo, alterum a populo dari aut inuestiri docuit antiquitas, sed vtrunq; indistinctè & ab eodem. Atque vt ingenuè fatear quod res est, hæc ratio eo vsque valuit, valetque apud plurimos, vt neutrum principem aut principatum, putent esse immediatè ab ipso Deo, sed hunc a populo, illum ab Ecclesia. Ideoque nonnulli Theologi, eximij quidem & docti, qui nunc scholis quibusdam præsunt, non sentiunt Beati *Petri* principatum fuisse fundatum in distincta, aut maiore autoritate, sed in ordinaria prælatione siue prioritate, neque eum fuisse constitutum ab ipso Domino *Pastorem* vniuersorum quoad iurisdictionem ita vt illi concessum sit Imperium in coapostolos sed solum præmonstrasse Christum, quid deinceps *Petri* successoribus ab Ecclesia numero & facultatibus aucta foret deferendum; quod tempestiuè fuisse factum a patribus Nicenis in primo generali Concilio aiunt. Istis eodem Iure constat Papatus quo Patriarchatus, Archiepiscopa-

episcopatus, Archidiaconatus, & alia Ecclesiastica munia vt ab Episcopatu, presbyteratu, & Diaconatu distinguantur, sc. solo Iure Ecclesiastico. Hi mihi haud sunt probati, quia verba Domini satis videntur clara, presertim cùm sint vltimum eius mandatum & in præsentia reliquorum vni datum. Quæ verba etsi nolo vltra munus concessum extendantur, tamen in omni Iuris constructione nullatenùs sunt restringenda quia nemini quicquam auferunt, sed contrà, omnibus conferunt dum vni. Verùm etsi hos non probo, tamen ob non contemnendam eorum scientiam, & quia fidei tenent vinculum atque de re ipsa consentiunt non damno: probant tamen illi quod ego posui.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Dare potestatem Regiam soli Deo competit, & supremo Domino in inuestiturâ sui feudatarij: nemo aliàs directè aut iure vnquam contulit. In defectum autèm Rectoris subueniunt quadantenus principes & populi in collatione potestatis. Regnum bello partum valeat, vt valere potest; nam inter arma iura silent: semper tamen probandum, si bellum iure inceptum & gestum.

Ierem. Baruch. 6.

VNde sciatis *quod non sunt Dij?* inquit Propheta in Codice non vulgari, *quia neque Regem constituere possunt neque auferre. Potest Papa*, inquiunt qui secularem Pontificis venerantur potestatem; *potest populus* clamant Plebicolæ. Illi Deum faciunt alium, hij *Plures*: ità me solus amet qui vnus, deuoveo hos & illos. Sed dispiciamus singula. Rectè *Becanus* de primat. Reg. Angliæ. c. 1. *Suprema potestas politica potest alicui tribui quatuor modis; vel immediatè a Deo, quo pacto tributa est* Mosi, Iosuæ, Sauli, Dauidi, *vel iure successionis, quo in Hispania, Gallia, Anglia, vel a communitate, quo pacto tribuitur Regi Poloniæ;*

vel

vel iure belli. Sed a Cardinale de transl. Rom. Imp. lib. 1. c. 7. dantur duo alij & accessorij; de quinto non contendam, nam qui eo gaudet, regnat quidem sed iure alieno; igitur sub alterius censetur nomine, neque vllum sibi aut suis ius acquirit, nisi durante vitâ aut beneplacito illius qui in consortium vocauit: & tamen si quid firmioris iuris acquisiuerit, nobis non aduersatur; nam qui totum possidet, quid impedit quin dimidio possit cedere. *Titulũ verò sextum quod a principe Ecclesiastico regnum possit tribui*, aut non probat *Becanus*, aut incautè omisit; verùm ni fallor hanc tradendi principatus potestatem ac de ijs disponendi Pontifici negat, sicut alibi ipse Cardinalis contra *Barcl. c. 16.* Sed ego ordine progrediar.

Soli Deo competit. Probatur autoritate S. *Augustini, de Ciuit. Dei, lib. 5, c. 21, Non tribuamus dandi regni atq; Imperij potestatẽ nisi Deo*, addit *vero*, non vt hominum figmentum *Deum Terminum* excluderet, ipsos verò homines in partem iuris admitteret, sed vt omnibus, omninò, & omni iure interdiceret: quam enim hanc *soli Deo competere* nihil *Augustino* magis exploratũ, nihil ma-

gis indubitatum. Atq; non ſolum in generali trāſpoſitione regnorum, vt ab Aſſyrijs ad Medos, & Perſas, ab illis ad Græcos, a Græcis ad Romanos; ſed etiam dum cuiq; Regi in particulari diſponuntur; & non ſolum Regibus bonis & probati moris, ſed malis & peſſimæ fidei: *Nam qui regnum Conſtantino Catholico, ipſe dedit apoſtatæ* Iuliano.

Huius ſingularis diſpoſitionis regum potentiſſimum monitum fecit per *Danielem* prophetam ipſe Deus, *vt ſcias quod dominatur excelſus ſuper regnum hominum, et cui cunq; voluerit dat illud*, Dan. 4. Dantur ergo regna non *permittente ſolum*, ſed *volente* Deo, imo *iubente*, vt *Irenæus*; ſed preſſius *Alphonſus* ex verbis *Iob Qui regnare facit hypocritam &c. ecce hypocritam regnantem, Deo non ſolum permittente, ſed facient.* Quid ni igitur dicam cum *Friſingenſi, ſi per regna, alia minora munera diſponit Deus?* ſine dubio *ipſa regna* ſolus *ordinat ipſe*. Imo quidni cum *Auguſtino? ipſe iura humana per imperatores & reges ſeculi Deus diſtribuit humano generi. c. quo iure. d.* 8. ergo non ordinatè per genus humanum regibus ſeculi. *Auſer de ſpiritu tuo* inquit Deus *Iſaiæ*,

Alphonſ. contra Hær. verb. Poteſtas.

In præfat. lib. 7.

vt des subordinatis; sed non populo, auferte de potestate vestrâ, vt deferatis principi aut magistratibus: Subordinatio igitur placet; præordinatio impostura est. Sed rem ipsam attingam propiùs; (nam in hoc casu malo Pontificio magis laboramus, quàm populari.) Quod autem Pontifici ius non sit, quis melius nouit quàm qui habuit? aut cui ius testis magis conuenit, quàm ei qui contra nos in causâ producitur, nempe *Gregorio* secundo, qui in Epistola posteriori ad *Leonem Isauricum* (quam agnouit Cardinalis *Baronius* & edidit) expresse fatetur *se introspiciendi in palatium potestatem non habere, nèc regias dignitates deferendi.* Baron. tom. 9. ann. 726.

Hic tria sunt notanda quæ nostram causam firmissimè muniunt, & aduersam euertunt. Primum est, *Pontificem non habere potestatem introspiciendi palatium*, ac iura Regis hæritici, (eo enim loco habuit *Leonem*) ergò non potest eum deponere. Secundum, non debet iuribus regijs se immiscere sicut (vt verba sequentia sunt) nec *Imperator iuribus Ecclesiasticis*: Vos autem nullam omninò Imperatori in sacra potestatem conceditis, igi- Lex Imperatorium d. 10.

tur nec vllam habet Pontifex, quâ Pontifex in ſecularia, ac proinde non poteſt regna deferre, aut transferre. Tertium eſt, *non habet poteſtatem deferendi dignitates*, puta ordinem ac honorem regium, ſicut nec Imperator *electionibus Epiſcoporum ſe ingerendi, aut conſecrationes faciendi.* Igitur *Leo* tertius non iure Pontificio nomen *Cæſaris Carolo* (nam præter nomen nihil contulit vt inferiùs dicetur, & tamen de hoc dubitatur) ſed iure titulum non potuit, *non enim habuit poteſtatem dignitates regias deferendi.* Hic veſtrum ſolenne, & pancreſton *de extraordinariâ & indirectâ Poteſtate* obliquum & tortum eſt; nam vis ſita eſt in paritate vtriuſq; iuris, proindè ſicut in nullo caſu Regi conceditis poteſtatem ordines ſacros conferendi, *aut iura Eccleſiaſtica diſſoluendi*, ſic nec vllo euentu Pontifici competit autoritas *Dignitates Regias deferendi*, aut Iura Regalia minuendi.

Sed vt pergam, iſtam opinionem in hoc vltimo æuo ferè ſoli propugnárunt & propagarunt Canoniſtæ; nam inter Theologos patroni illius deficiunt in diès;

neque

neque ego assertorem doctum aut sacra iura vel mediocritèr sapientem, præter vnum (si bene memini) vnquàm sum allocutus. *Pontificem posse Reges deponere* istis verbis nititur: *Quicquid ligaueris, &c. quod possit subditos ab obedientia liberare*, fundatur in istis, *quicquid solueris, &c.* & sustragantur perplurimi: quam tamen vim sancti & antiqui Pontifices (de iure Regnorum aut principatuum non somniantes, neque quomodo se vi & ferro a sæuitiâ principum vindicarent; sed *patientiâ, oratione, & lachrymis, quæ sunt arma & munimenta sacerdotũ se munientes*) non omnino perceperunt: Verum quod regnum depositi alij tradere, aut alium in eius locum iure Apostolico sufficere possit, nullo nititur loco, nullo iure; ideò docti concorditer negant, sed debere illud ijs manere integrum, ad quos de iure pertinet. Sic ipse Cardinalis *Potest Papa regem deponere, & eius subditos ab obedientiâ liberare; quis autem in eius locum succedere debeat, liberum relinquere ijs ad quos de iure pertinet, cont. Barcl. c. 16.* Quod dùm cõcedunt de principatu non occupato si talis occurrerit (etsi quo iure Pontifici

competat aut quo iure Pontifex concedat non video, nec neruosus euicit *Victoria*) non contendam, hoc solum conor, vt cuique suum ius maneat illæsum.

Nemo aliàs *directè* aut iure vnquam detulit: nam rectè Canon. *Quis erit qui audeat ex plebe? aut quis ex sacerdotibus, qui se idoneum ad hoc iudicet, nisi cui a Domino reueletur, sicut* Mosi: *Assume Iesum filium Nun &c.* c. Si ergò 8.q.1. Hic vnum obstat; *nempè Imperium ab Orientalibus*, a Leone tertio *ad Francos translatum in persona Caroli Magni*; nam de regno *Pipini* patris satis alij, & satis de Imperio (quod historiæ fidem aut finem attingat) si Cardinalis non toties perfricte ingeminásset *hoc a solo Pontifice, & iurè, rite, atque legitimè factum*; *& imperium* a Leone *habuit, aut nullum habuit*, & alij de alijs Imperatoribus *Si non a Domino Papa, a quo?* hoc igitur altius repetendum, vt videamus quid factum, quidue a Pontifice fieri iure potuisset. Hoc satis patet ex dictis & aduerso dogmate; nam qui dispositionem & traditionem regni principis exauctorati Pontifici negant, *Leonem Carolo* Imperium iure non detuliſſe inferunt. Etsi enim

enim Orientalem Imperatorem ob iustam causam potuisset imperio priuare, non tamen ius eius alteri tradere. Sed reuerâ neque imperij, aut imperij partis, neque iuris minimi (nisi in abstracto coronæ ritu contra omnium mentem Ius constare velimus) ei auctor erat: omnia autem meliùs constabunt, si priùs de istis quæstionibus.

Prima est, quid sit Imperium, quisue dicendus Imperator? 2. si quod Imperium in Italia Constantinopolitanis Imperatoribus priùs ademerat *Leo*, aut antecessorum aliquis, vt Imperium in hunc iure transtulisse dicamus, quo alium antea iure priuauerant? 3. an *Carolus* nouo imperio, aut principatu, aut aliquâ imperij parte ratione suæ coronationis sit auctus? 4. An ius aliquod eius successores ratione istius fictæ translationis, aut factæ coronationis fuerint adepti, & an ex dispotione aut concessione Pontificis? 5. Vtrùm Imperatores succedentes ius aliquod administratorium, siue *in re*, siue *ad rem* imperij, quisque ratione coronationis suæ acquisiuerint? 6. An corona a Pontifice adepta semper dat titulum? 7. An electio principũ,

coronâ a Pontifice non petitâ aut non impetratâ, dat ius & titulum?

Prima, quid imperium, & quis dicendus Imperator? Imperium dupliciter accipi potest; 1. respectiuè ad subditos 2. cõparatiue ad alios principes. Primo modo, sumptum nihil differt a potestate regia aut alio supremo principatu, etsi in modo subiectionis dari possit aliqua discrepantia; nàm potest quis imperio subesse, neque vt princeps feudatarius superiori domino, neque vt subditus suo principi; ideoque rectè distinxit *Clemens* 5. in casu *Ruperti* Regis Apuliæ, sed contra seipsum, nàm etsi quis tenetur vt feudatarius alio principi, hoc tamèn non impedit, quò minùs in causa imperiali possit proscribi. Sed vbi habetur ista differentia, rectiùs dicitur officium pactum quàm obsequium. Verùm huius tractatio non est istius loci, nec mei propositi, solum hoc ad rem nostram facit, Princeps non potest nouo imperio addici nisi seipso consentiente, putà non Galliæ aut Angliæ Rex Imperio Germanico, aut cuiuis nouo. Neque potest, subditus nisi quatenus principi suo obligetur. V. G. Non potest princeps suum subditum

ditum inuitum principi alio putà Imperatori ſubijcere, niſi quatenùs ſeipſum ſubdidit eidem, & tunc ſubditus exhibebit illi nouo principi obſequium dùm præſtat homagium ſuo, ſcilicèt comitando eum ad aulam illius principis, aut àliàs ſeruiendo: nâm, communis eſt D D: opinio ad *L. Debitorum* 25. C. de pactis, *principes ſubditos alienare & alterius Imperio ſubÿcere Nequeunt*. Non igitùr potuit *Leo* principibus Italis dare Imperatorem veterem, cuius iugum a longo tempore excuſſerant, multò minus nouum niſi ipſis conſentientibus: neque populo Romano, niſi ſeipſum ſubiugâſſet, quod noſtri negant. Pace tamen eorum eo tempore aliud obſequium Imperatori iure antiquo erat debitum, (vt patebit in proxima quæſtione) quàm illud quo ſummo Põtifici erant obſtricti; & hoc ſponte deferunt ipſi ciues Romani *Carolo* dùm certatim ad imperij titulum capeſſendum inuitant, (nèc deeſt hiſtoriæ autoritas in hac parte, vt rectè alij) & multò màgis Italiæ proceres qui priùs conſilium iniuerant de nouo, & Occidentali Imperatore ſubrogando. Non igitùr *Carolus a Leone*, tanquàm a Pontifici, iure imperij donatus

tus (secùs cæremoniâ coronæ) neque ab eo tanquàm ab Italiæ principe primario vllatenùs euectus, nisi alijs principibus, & populo, vnà suffragantibus.

Secundò accipitur comparatiuè ad alias dignitates seculares; in statu politico ad regiam, ducalem &c. in statu Polemico, ad tribunitiam, Chiliarchalem &c. Munus hoc a Græcis consensu regum primò latum, & vni eorum vt *rectori regum* delatũ: a Romanis autoritate Senatus decretum (secùs quandòque datum) quo vnus in re bellicâ omnibus alijs præerat, quorũ nonnulli (dempto hoc) erant eiusdem ordinis. Sed re benè gestâ munus istud bellico apparatu munitum aciem reliquit, & occupauit Reipublicæ arcem. Apud nos primò exẽplo Romano potiùs quàm lege diù prorogatum, posteà principum & Præsulum imperialium sanctione confirmatum. *Gregorij* 5. hac in parte autoritatem & factum non pluris facio quàm ineptias imò mendacia quorundam eidem subseruientia, quibus omnibus supersedeo, vt eorum consulam fidei, & honori. In re apertâ cur vobis essem molestus, cùr mihi? Amẽs est qui Imperialem dignitatem ordinãdi potestatem Pontifici

Pōtifici facit; Audax ipse Pòntifex si adrogaret. Quis enim Imperator dicendus? ex comparatione patet & consensione: nempè qui omnibus in eodem orbis tractu regibus & principibus præfertur, & qui aliquibus eorum præficitur. Hanc igitùr quæstionem absoluam verbo. Vt sint Reges, a iure diuino & naturæ est, vt vnus eorum præ alijs, aut pauci vocentur imperatores non alij, solâ humanâ fit constitutione. Etsi igitùr in ius regium possit Pontifex habere potestatem, ratione diuinæ ac indirectæ concessionis, quam vos supponitis, non tamèn in dignitatē imperialem putà decernendam, quæ solo nititur humano consensu. Aùt igitur *Papa est Dominus totius terræ* & hominum terræ quod in Triumpho & alijs damnatis, aut non eòusque extendit se eius potestas vt ab eo Iurè detur imperator, quod nos ponimus.

Secunda quæstio. Si quod imperium in Italia Constantinopolitanis imperatoribus *Leo*, aut antecessores ademerant; vt imperium in hanc iure transtulisse dicamus, quo priùs alium iure priuauerant? & respondeo prorsùs nullum. Non *Leo, nàm hâc parte imperij* Gregorium *iuniorem mul-*

ctâsse

Etâſſe Leonem Imperatorem iure pontificio, Cardinalis & pauci alij autores ſunt. Paſtores herclè haud probi aut prouidi, ille & ſeptem alij qui per annos ferè 100. Eccleſiam *operâ aduocatâ* (ſupinâ eorum incuriâ) deſtitui paſſi ſunt? cautiùs & diligentiùs *Gregorius* 10. *& Clemens* 6. *electoribus mandant vt dare Eccleſiæ aduocatum* (eo ènim nomine dignati ſunt Imperatorem) accelerarent, *aliàs darent ipſi*. Neque priuauit *Gregorius*: nàm imperium *Leonis* declinabant & exuebant Itali, *Gregorio* deditâ operâ diſſuadente veritas hiſtoriæ eſt. *At vectigalis ſolutionem in Italiâ prohibuit?* quòd prohibuit omninò falſum, & quòd diſſuaſit, modo & formâ allegatis græcum eſt commẽtum. Sed de vectigale ſuo loco dicturus, hîc que apud hiſtoricos fuſè & variè narrantur, componam & exponam quàm breuiſſimè (nempè quomodò, quandò amiſſum hoc imperium, & penes quos manſit tẽpore tranſlationis, & penes quos poſteà) ordine, & ſeruatâ hiſtoriæ fide, quam qui non callet, nè temerè damnet.

Itali aſſiduis Exarchorũ rapinis grauati, màgis verò ab ipſo *Leone*, nouo, & immodico cenſu (quo *prouincias ipſam Romam*

&

& basilicas depraedatus est) exhausti, defectionem meditantur; inter quos primi erant Rauennates, & Veneti. Hij summum Pontificem consulentes, rationem cum alijs Italiæ proceribus ineunt, vt abrogatà Orientalis Imperij maiestate, eis non tantùm inutili sed onerosa, alius in Italico solo Romanus Imperator deligeretur, vicinus & commodus. Pius Pontifex, nempé *Gregorius*, audito consilio stupet: autoritate igitùr sua, & sanctitate, qua pollebat, intercedens, fidem seruandam monet, suadet, & persuadet, *Tale consilium eo tempore compescuit*, inquit historicus omninò vester. *Leone* autèm in subditos nõ minus sæuiente, & prouincias (ita in eum ingraueſcebat in oriente Sarracenorum manus) màgis vastante, iterùm commouentur Itali, & tanto furore tantaque rabie, vt abiectâ omni subditorum modestiâ, reuerentiâ, eius iugum excutere inconsulto Pontifice, & Magistratus Cæsareos pellere, exterminare non sunt veriti, non sine magna eorum strage & cæde. In isto impetu periere *Paulus* Exarchus & eius filius a Rauennatibus occisi; itèm *Marinus Spatharius* cum *Adriano* a Romanis; atque hìc finis Exarchali

Anastasius Biblioth.

chalis potentiæ, etsi non Exarchorum in Italia, quâ ad nihilum penè redactâ Prouinciales sibi ipsis ex suis præficiunt Rectores; & hinc apud illos origo ducum, inter quos primus, istis posterioribus turbis paulò antiquior, Venetus. Iterùm verò ab Imperatore alius mittitur Exarchus, nempè *Eurithius*, maiora habens mandata, sed vires minores; nàm omni ferè præfectura orbatus nomen sustinuit ægrè, vnde paulatim, & intra paucos annos Orientalium indignans imperium defecit Italia tota, circa annum 756. Exindè creuit potestas Pontificis & Regis Longobardorum, sed potentior *Luitprandus* Longobardus; ideò quòd sæpè imò ferè sempèr intèr de nouo iure litigantes accidit, proximum *Gregorium* istius successorem bello petit; a quo liberatur Pontifex ope *Caroli Martelli* qui *Caroli* magni Auus. Huius operâ pax inter *Luitprandum* & Pontificem initur, Pontifici valdè commoda; nàm ille omnes ciuitates (Rauennâ exceptâ) quas ante *Aribertus* Rex ecclesiæ donauerat, Pontifici tradit, & insuper addit agrum Sutrinum, magnum & vtilem, ex dono proprio. Hinc Pontificum res indiès augeri,

geri, & Longobardorum minui cœperunt, *id ſeduló operante glorioſiſſimo Martello.* Verùm *Aiſtulpho* & *Deſiderio* iura Longobardorum tenentibus, ſed intra limites ſuos ſe non continentibus, neque *Pipinum & Carolum* in Pontificum gratiam ſuperuenientes & irruentes ſuſtinentibus penitùs defecerunt; quorum ditiones vicinas & commodas ſuo imperio adijciunt præfati principes, reliquas Pontifici & Eccleſiæ ſacrant. Ecce decurſus rerum Italicarum a *Gregorio* 2. qui primus Iuris Cæſarei fertur iudex & arbiter vſque ad *Carolum*, & Italiæ ſtatus tempore coronationis; in quo manſit aliquandiu non ſine cottidiano rei Papali, gratiâ *Caroli* & *Ludouici* additamento. Ex quibus iſta patent; 1. Pontifices neminem Imperatorum iure vllo priuaſſe. 2. *Leonem*, in *Carolum* nullum imperium, ſecùs *Carolum* in *Leonem* tranſtuliſſe. 3. Orientales eo tempore in Italia nullum imperium habuiſſe, neque ratione iſtius coronationis quicquam amiſiſſe, nàm ab annis 80. iura perdiderant, & ſi quid inane & contemnendum ſupererat ante annos 40. 4. Iſta peruenisſe ad ipſum ſummum

mum Pontificem, & alios Italiæ principes, & Communitates 5. *Carolo* verò aut eius patri nihil, quod proprio marte non erat partum. Multi ideoque autores, ijque probatiſſimi de coronatione *Caroli* pauca, de tranſlatione imperij nihil referunt.

Tertia. An *Carolus* nouo imperio aut principatu, aut aliqua imperij ſui parte ratione coronationis ſit auctus? & reſpondeo ſimilitèr quòd non. Non in Italia, nàm totum illud occupauerat ab anno 773. qui finis erat regni Longobardici: Suum igitùr imperium Italicum fere annos 29. poſſederat ante dictam tranſlationem, & cum potiori iuris adminiſtratione, vt mox dicetur non alibi; nàm ſola virtute ſua, patris auique omnem ſuam parauerat ditionem. Quod vt meliùs pateat, quo modo & tempore ſuos principatus ſit adeptus, dicam paucis. Quos cùm adcenſuero, dicetis faxo, non fuiſſe rem operoſam aut difficilem *Carolum Cæſaris* Titulo inſigniuiſſe, aut opus alicuius grauis viri, minùs Pontificis autoritate; nàm ſi infimi ordinis plebeius *Viuat Auguſtus* acclamâſſet, ipſum immenſum Imperium ſuum Dominum deſignâſſet.

Carolus

Carolus, *Auus* Imperium a Saxonibus tot gentium & principatuum patribus, & fundatoribus auſpicatus eſt; non regnandi libidine, vt liquet in ſceptro Franciæ ab eo bis recuperato & bis reddito, ſed virtutis & probitatis amore; vt feros nimiumq; graſſantes domaret, & vt duceret ad mores cultiores: duxerunt etiam ad ſanctiores ipſe & eius liberi, operâ & vigiliâ noſtrorum Monachorum. Proximos addit Alemannos, ſub quo nomine *Auſtriaci* cenſentur & *Thuringi*. Suevi & Bauari ſponte, ſaltem haud ægre parent; quibus ſubactis acceſſione Burgundiæ & Friſiæ auctus eſt. *Pipinus* pater, *Childerico* tonſorato, regno Franciæ nobilitatur, & inſuper adiungit proprio ſed marte difficillimo Aquitaniam. Ipſe *Carolus* citeriorem Hiſpaniæ partem primò ſubigit, deinceps Pannoniam, Sclavoniam, & diuites Hunnos, necnon reliquas Longobardorum prouincias, quæ Aui & Patris armis ſuperarant. Vbi nunc beneficium *Leonis*? an in ipſa Roma quicquam cum corona acquiſiuit *Carolus*? nequicquam quidem, ſed de facto perdidit. Nam qui anteà cauſas Pontificis, & aliorum coram ſe dici fecerat,

posteà neminem Pontifici mouere litem passus est, sed litigantes omnes ipsius Pontificis Tribunali sisti curabat. Ex istis igitur patet respõsio ad obiectionem Cardinalis *Bellarmini* de sex titulis. Sic ille, *Sex sunt tituli quibus homines regna ac imperia possidere solent. Ius belli, Beneficium diuinum, Successio hæriditaria, Electio populi, donum principis, Summi totius Ecclesiæ Præsulis Decretum.* Carolus *autem Imperium Germanicum nec armis ipse occupauit, nec successione hæreditariâ, nec diuinâ aut humanâ electione: imperium igitur habuisse a Pontifice maximo, aut omninò non habuisse constat.* Miror tanti viri incogitantiam. Nihil hac futilius, nihil retorta ratione fortius. V. G. Imperium Germanicum aut nullum est, aut ex supradictis principatibus constat. principatus autem prædictos partim iure successionis, partim iure belli habuit, nullum autem concessione summi Pontificis. sed contrà, quosdam principatus *Carolus* concessit summo Pontifici, & quædam iura, vt suo loco dicetur. Potiùs igitur *Leo* Pontifex regnaba beneficio *Caroli*; *Carolus* non imperaba beneficio *Leonis*.

Quarta. An ius aliquod eius successo-

res

res ratione istius fictæ translationis, aut factæ coronationis sint adepti, & ex an ex dispositione vel mente Pontificis? Fuisse adeptos fateor, sed Pontifice invitissimo: hoc pacto. Amplum *Caroli* imperium in varia regna & principatus ex dispositione *Ludouici* pij erat diuisum: vnde Imperator, penes quem Italia manebat, etsi *Augustus*, angustum tamèn habebat imperium si Aui & Patris spectemus; ideò in ipsã Romam, ac vetera Imperatorum iura, renitente summo Pontifice, sese ingerit. Diuisio erat quadripartita ad hunc modum. *Ludouicus Pipinum* filium secundum, Aquitaniæ regem creat, & ei, seipso superstite, regnum tradit; quo defuncto in eius iura succedit *Pipinus* dicti *Pipini* filius. *Ludouicum* filium tertium, Bauariæ, regio similitèr titulo, præficit. *Carolum Caluum* natu minimum, Alemaniæ, Rhetiæ, & Burgundiæ; *Lotharium* verò primogenitum imperij consortem facit. Mortuo *Ludouico* succedit in imperio *Lotharius*, & fratres suos, odio *Calui*, (fratris quidèm sed non vterini) debitâ imperij parte (patris mandatum faciens irritum) piuare conatur. Hinc orta dissidia, & graue bellum non

ſine communi cæde, & totius imperij clade, (ratione varij martis) confectum. Tandèm rebus omnium fractis, de diuidendo imperio conſulunt; & conſentiunt, vt Gallia, nempè a Britannico Oceano vſq; adMoſam flumen cederet *Carolo*; Orientale regnum vſq; ad & trans Rhenum *Ludouico* (ſub illo tractu cenſebantur eo tempore hij principatus, Pannonia, Bohemia, Morauia, Sclauorum ditio, Bauaria, Turingia, Saxonia, & Sueuia) Italia verò cum ipſa vrbe Romá, Gallia Narbonenſis, & Gallia Belgica, a Moſa vſq; ad Rhenum, vt iuris eſſent imperatorij. Vnde Imperator *Lotharius Ludouicum* filium ſuum quem regni ſocium adſciuerat, in Italiam cum ingenti exercitu mittit, vt non amitteret ſi quid ad vetus *Cæſaris ius* pertinere dignoſceretur. *Ludouicus* ipſam Romam, anuuente tandèm *Sergio* Pontifice ingreditur, & Romanos Imperatori fidelitatem, iniuſſu Pontificis, iurare facit. Hinc variæ & frequentes ſimultates ac lites inter Ponfiticem & *Cæſarem* de vtriuſq; iure, vno ſæpè alteri non cedente; neque ſolùm inter *Sergium* & *Lotharium*, ſed inter eorum ſucceſſores:

ceſſores: nam *Lotharius* ſecundus & *Innocentius* ſecundus de Ducatu Apuliæ contendentes (vtroque ſui iuris eſſe aſſerente) non alias conueniunt, niſi *vt in dando Duci vexillo vterque manum adhiberet.* Et ſempèr adeò difficultèr Imperatorem iure ſuo in Italiá frui paſſi ſunt Pontifices, vt *Fredericus* primus, rem totam Italiæ principibus & Iure-conſultis deferre coactus ſit, nimirùm vt eorum communi ſententiá, *quo iure Italia Cæſari ſubiaceat*, decerneretur. Illi verò vnanimi conſenſu Imperatori adiudicant *Omnia regalia, putà monetas, telonia, nauigia, dignitatum, iudicum & conſulum confirmationes, vectigalia prætoria, & ab antiquo conſtituta, & exactiones pro neceſſitate imperij;* neque ab hoc onere ipſam Romam, aut B. *Petri* Patrimonium eximunt. An hæc ex mente Pontificis? Ex facto vnius aliorum ſenſum deprehendite. *Adrianus* quartus, omnibus vijs & modis, omnibus viribus, & omni induſtriá intercedit: *Imperatorem iniuſtum, ſæuum & ſuperbum & ingratum* aiens, *& quòd non liceat ei niſi conniuente ſummo Pontifice ad vrbem Romam mittere legatos; aut fiſci aduocato*

caſtella vèl oppida Papæ vrgere collectis, niſi quandò primùm Romæ geſtare coronam incipit imperij. Quod reor eſſe verum, non quòd iure non poſſit, ſed quòd Sacramento, quo coronâ acceptâ ſe nolle ſanctè pollicetur, ſemetipſum adſtrinxit. Ius igitùr quod *Caroli* ſucceſſoribus ratione iſtius tranſlationis obtigit, non Pontificibus autoribus aut adiutoribus, ſed inuitis & maximè reluctantibus, obtigiſſe nihil clarius.

Quinta, vtrùm Imperatores ius aliquod adminiſtratorium *ſiue in re, ſiuè ad rem Imperij*, quiſque ratione coronationis ſuæ, acquiſiuerint? & reſpondeo paritèr quòd non; ſed potius amittunt; non quòd ſacra vnctio imperialem minuit maieſtatem, ſed quòd ius ſuum ſe nolle perſequi ſpondent. Probatur clarè ex ſuperiùs dictis, quià ex conſenſione principum & Iureconſultorum tota *Italia imperio ſubiacet*, in oneribus prædictis & ex confeſsione *Adriani*, *fiſcus poteſt oppida & caſtella Eccleſiæ vrgere collectis ab electione ad coronationem*; ſecùs poſt, quià tunc abſtinet a patrimonio B. *Petri* ratione iuramenti. Recte igitùr Hiſtoricus & Iuriſ-peritus,

Electus

Electus in regem seu Imperatorem a principibus regni de iure potest statim ex ipsa electione licitè nomen Regis Romanorum assumere, & iura ac bona regni & Imperij in Italiâ, & in alijs prouincys eiusdem imperij administrare; Quod vberiore probatione non eget; cum exempla *Conradi* & *Henrici* satis firmāt, & sūt satis nota, presertim *Henrici*, quia eius nominis primus. Quod autē multùm se fatigat Cardinalis *Bellarminus* narrando *quanti fecerunt Reges Germaniæ pontificiam coronationem* parùm nobis officit: *non enim inanis dicenda est cæremonia*, vt vult ille *Imperatorem a Pontifice benedici*, & ipsius imperium auspicari, supremum Dominum a supremo Patre, etsi ius nullum confert, sed sancta, fausta, & commoda. Nauel. vol. 3. Gen. 31.

Alia exempla mittam, (vt *Demetrij* Rufforum Regis, qui filium suum ac hæredem ad regni iura initiandum, vt a summo Pontifice auspicaretur, Rufsiá Romam misit) hæc ratio eousq; valuit (nempè faustum fælixque vt esset imperium) quòd *Iustinum* Imperatorem a Constantinopolitano Patriarchá prius vnctum & coronatum, a *Iohanne* Papá iterum benedici, Lamberti Scaff.

et manu Apostolica diademate donari petijsse nonnulli tradunt: quòd autem ius aliquod, aut iuris titulum, *Iohanne Iustino* contulit aut conferre potuit nemo asserit. Neque a minore & subdito inaugurari, vt Regem Galliæ ab Archiepiscopo Rhemensi, & Angliæ a Cantuariensi, *inanis est cæremonia*, etsi ius non dat, multò minus a Christi Vicario, a quo fortè secundùm sanctiones imperiales ius Titulare accipiat, sed maioris momenti nullum. Neque diffitetur *Adrianus* 4. in Epistola ad Archiepiscopos Moguntinum, Treuirensem, & Colonienſem, *nomen imperatoris a Pontifice, regnum & imperium ipsum ab electoribus*, & in Cap. *Legimus d.* 93. vbi textus habet *exercitus facit imperatorem*, Glossa addit, *verus est imperator antequam a Papa sit confirmatus*. Recte igitur respondent Basilienses in casu *Ludouici* Bauari, presente Bambergensi præposito, & post obitum ipsius *Ludouici*. *Domine Bambergensis, quemcunque imperatorem electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamsi nunquam papam requirat*: In supplement. Vrsperg.

Sexta.

Sexta. An corona a Pontifice adepta ſemper dat titulum ? reſpondeo vt priùs quod non; niſi præceſſerit principum electio. Hoc ſatis conſtat in *Vidone*, *Lamberto*, *Ludouico & Berengarijs* a Pontifice ſuſceptis & coronatis ſine præuiâ & legali principum electione, imò electoribus aliter de imperio diſponentibus. Hos qui Imperatores dixerit, & ſeriò, niſi cum quibuſdam hiſtoricis *Vmbratiles*: hunc ego dicam politicum, hiſtoricum, aut Theologum ? hercle non; & ſi litem fouere vellem, exoptarem aduerſarium. Non politicum; nàm imperium aut regnum diuidi oportuit, priuſquàm duo Reges aut Rectores inducantur, (niſi ſecundus ſit ſolum modò in conſortium adſcitus) aliàs imperium lacerat, Rectorem vtrumque lancinat, ſubditos ſinguſos odio huius aut illius enecat. Non hiſtoricum ; nàm ad Francos & Germanos Imperium tranſlatum, & apud illos manſiſſe, non Italos, eſt hiſtoria. Non Theologum ; nàm cui bono? ſed Nævos illius ævi traducere non propoſui; ideò quædam cruda & non bene digeſta ſciens prætereo.

Septima quæſtio eſt. An electio Principum,

pum, coronâ a Pontifice non petitâ aut non impetratâ, dat ius & titulum? Huic ineſt difficultas: quod ius dat, non ambigitur, exemplis *Ludouici*, *Conradi*, & *Henrici* ſatis probatur, & ex ſupradictis: quòd titulum det, coronâ non petitâ, non temerè affirmatur, & Iuri veſtro conſonum arbitror 1. quià textus iſtum *Henricum* a Pontifice non coronatum vocat *Henricum* primum. *d. 63. c. Conſtitutio* Henrici *primi*, & *primi* Othonis. 2. quia *Gloſſa eum dicit verum imperatorem a Pontifice non confirmatum*; qua verò lege *imperator verus*, cùm vt vos vultis nudè *ſit deſignatus*? Qui autèm verùm *Henricus* in Canone ſit iſte non coronatus dubitat, hunc ego non leuitatis arguam nèc temeritatis, ſecùs inſipientiæ, aut incogitantiæ, cui illud hæret quod ab alijs communiter eſt receptum. Si autem corona a Pontifice petita ſit, & non impetrata, hunc defectum defectum tituli non operari liquidum eſt; nàm *Ludouicus* 4. non a Pontifice, ſed a Senatoribus Romanis coronatus eſt, *aſſerentibus hoc ius eis competere, pontifice nolente*. Si ille non Imperator, cùr tantùm ſe torquet Pontifex vt fiat eximperator? (Quouis proceſſu ſubmouetur,

ſubmouetur, qui ſine iure promouetur) Si verus Imperator (quod omnes fatentur) cùr tantum ſibi adrogat Pontifex, quaſi ſine eius autoritate dari non poſſit Imperator. Ecquis nunc in Iure imperiali dando vel decernendo locus Pontifici? profectò quâ Romæ vrbanus dictator, primus; quâ vnus e principibus Italiæ (ita eo tempore erant ſuffragia) medius, qua Papa non vltimus (nam hunc plebi Romanæ relinquo) omnino nullus. In *Leone* vis maxima, in *Leone* autem vis nulla 1. autoritate eius Orientalibus nihil ablatum 2. in *Carolum* nihil tranſlatum 3. Cæſaribus ſuccedentibus quiddam delatum, ſed iniuſſu eius & ſucceſſorum 4. nèque ratione Coronæ manu Pontificis datæ, ſed Iuris ab Electoribus conceſſi 5. quandò igitur conueniunt, potiora ſunt ſuffragia principum. 6. quandò non conueniunt, iuſtum eſt Imperium illius, & iure validum, quem eligunt principes Pontifice non confirmante 7. ſi autèm Pontifex coronat, quem principes non eligunt, nihil agit. Iſtis conſideratis *Legatus ille* qui in conſeſſu procerum dixit, *Si imperator ab Apoſtolico imperium non habet, a quo habet?* ludibrio habitus, *ſtolidiſſimè*

dissimè respondisse meritò arguitur.

Reliqua festinantèr percurram. De potestate supremi Domini non est difficultas; nàm regnum ac prouinciam posse in feudum tradi nemo ambigit; & rite fit istis seruatis 1. Feudatarius debet a domino inuestiri, & in possessionem mitti 2. debet iurare fidelitatem, nàm inde origo nominis 3. feudum sempèr conceditur sub onere: *in feudo puro* tantùm tenetur ad obsequium, idque solùm quandò interpellabitur; *in feudo* autèm *mixto* potest ad obsequia certis vicibus præstanda obligari feudatarius, aut ad pensionem annuam 4. ex natura rei, si obsequium non præstiterit, ius perdit; ratio est, amittit feudum quià non seruat fidem: sed si conceditur sub pensione annua, tunc solùm tenetur ad redditum; æquitas quòque iuris clara est, nàm obligatur ad redditum, non ad fidem.

Sed exceptis ipso Deo & supremis principibus, regna conferre nemini datur. Ratiò est, quià *nemo potest dare quod ipse non habet*, aut mandatum acceperit ab habente, quod in idem recidit. Petitur ex intima natura, fundamentis vtriusque Iuris, & ipsâ Theologiâ. *Nemo plus iuris ad alium transferre*

potest,

poteſt, quàm ipſe habet. L. nemo plus. ff. de reg. Iur. Igitur nemo poteſt regnum dare cuius ipſe non eſt dominus. Conſentit Ius veſtrum. *Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur. c. 79. tit. eod. in Sexto.* Nec diſſentit Theologia; nàm rectè *S. Bernardus de conſid ad Eugen. l. 2. Nec tibi ille dare potuit quod ipſe non habuit.* Non *S. Petrus Eugenio; non Eugenius* Imperatori aut Regi.

In defectum autèm Rectoris ſubueniunt principes & populus in collatione poteſtatis ob dictam rationem; nàm vbi non eſt gubernator, *populus ſecundum naturalem inſtinctum* (vt dixi ex Cardinale) poteſt & debet præficere ſibi Rectorem. *Debet*, quià naturæ dictamen ſequendum ad quod ſtrictè tenemur, vt ſuperiùs. *Poteſt*, quià quiſque habet poteſtatem in ſeipſum, quâ poteſt cedere & alteri tradere: quod factũ eſſe non eſt dubium ex mente omnium in nouæ Reipublicæ inſtitutione, aut veteris mutatione; in tali ènim caſu transfert quiſque poteſtatem ſuam in Regem ſiue Rectorem. Maiorem tamèn habet Rex poteſtatem quàm quæ eo modo transfertur; Probatur, quià maiorem in me habet Rex poteſtatem,

potestatem, quàm ego vnquàm habui in meipsum, vt alibi dicetur. Vnde autèm hæc maior? ab ipso Deo; præter potestatem quam ipse transtuli, *particeps quòque est diuinæ*, vt dixi ex *Lessio*. Vnde autèm huius certitudo? ex dispositione diuinâ: at non obligatur Deus? recte: sed ordinatè cooperatur; Lex ènim Naturæ, Lex Dei est: legem autèm Dei qui sequitur, gratiam Dei assequitur.

Dixi Populus debet & potest, (totam intellige mecum Rempublicam, aut qui mandatum habent vt spondeant nomine Reipublicæ) sed nemo alius; probatur ex sacra scriptura. *Iud. 17. 6. In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat*, ratio manifesta est, quià nemo habebat potestatem in alium, sed quisque tantùm in seipsum. Nemo igitùr potest alteri dare præfectum (nàm hoc supponit potestatem maximam) sed est communi consilio præficiendus. Quatuor ex hoc loco & praxi Iudæorum sunt notanda. 1. vbi regnum non inchoatum; aut vbi habetur pro *derelicto* (si aliter non disposuerit Deus) dare dominium iurisdictionis soli competere populo, & Reipublicæ;

publicæ, quià ſolus populus habet poteſtatem in ſeipſum. 2. Hoc iure populus non eſt priuandus (ſcilicet non præſidente more conſulto ipſo Deo vt apud Iudæos, cui autoritatiuè competit) niſi ob culpam; nàm priuari ſuo iure pœna eſt, quæ non irrogatur niſi ratione culpæ: igitur ſi populus non peccauerit, non eſt plectendus. Hoc valet contra aſſertores Pontificiæ poteſtatis in caſu *Childerici & Pipini*: nàm etſi priuari poſſit *Childericus*, quià ineptus, non tamèn Reſpublica quo minus iure ſuo frueretur 3. Deficiente Rege, aut ſeculari principe, non ſuccedit Sacerdos maximus, aut princeps eccleſiaſticus putà non iure ſacerdotij (ſecùs præfecturâ delegatâ) vt in veteri eccleſia vidimus; contra illos qui in adminiſtrationem ſecularem, vacante imperio, Pontificem ſuccedere faciunt, contra omnem iuris ordinem, & æquitatem, niſi lege Imperiali ſit cautum: ſed cautũ non eſt, nam in Francofordianis, comitijs an: Do: 1337. decernitur, *hoc nullâ ſcriptura, nulla ratione introductum ſed ſola vſurpatione*. 4. Sicùt in regimine non ſuccedit, ſic Regem non ſubrogat, neque iure poteſt, niſi cum iniuria populi.

Krantz: Sax: Hiſt: lib. 9. c. 15.

Ex

Ex istis constat quid de regno Galliæ *Pipino* vt ferunt a *Zacharia* Pontifice tradito censendum ; nempè an factum, & quo iure, Quid factum a populo, & quid a Pontifice, quouè intuitu, & quarè ab historicis variè relatum, abundè dixerunt multi vt in aduersariorum nihil redundet vel laudem vel fidem. Et abundè de iure; nàm in re liquida quid opus est verbis ? Dico nullo iure, aut iuris titulo traditum, aut re inspectâ tradi potuisse. At *ob bonum spirituale hoc fieri posse* contenditis? quotiès hoc? fortasse (thesi vestrâ concessâ) valere possit contra *Childericum*, sed contra proceres & populum non omnino ; nàm non sunt illi suo iure priuandi, nisi quatenus huic bono fuerint impedimentũ. Quod autèm illi contrauenerint, aut in mora fuerint, non grauis historicus, non leuissimus histricus spectandum proposuit. Et quî potuit ? nàm in *Pipinum* omnium ora & corda ; & contra vos, si ista enormia propugnare pergitis, omnium voces & vota.

CAPVT

CAPVT 3.

Magis clara & illustria sunt indicia & vestigia diuinæ ac supremæ maiestatis in dignitate regiâ, quàm in Pontificiâ.

SI vnquàm meas copiolas iuuenilitèr efferre decreueram, hîc figerem: vbi præterita, præsentia, futura, alta, humilia, sacra, prophana, omnia, ad regium fulgorem enarrandum conuolant. Et sicùt regia Serenitas ideò emicat, quià diuinâ, & cæleſti claritate & maiestate irradiatur: sic in istis sublunaribus & terrenis nihil gloriosum aut est aut nuncupatur, nisi quâ splendore quodam regio fulget. Vos equidèm *estis lux mundi*, si veritatis indaginem spectemus: si autem splendorem; Reges sunt Sol mundi, & vos ipsi, vestraque lux ad hoc conducitis vt istum Solem intueamur. Et Rex rectè Sol dicitur, nàm in vno regno vnus est, vt ille in vno orbe; & *lucerna est* vt eius lumine luceant & splẽdeant cæteri: nã vt recte Cyrillus episcopus Theodosio Cæsari, *vt in vobis imago summæ & supremæ gloriæ intuetur* sic in alijs, Regum intuetur Serenitas aut nulla; nam vt vere idem præsul, *fontes sunt dignitatum* & omnia

2. Reg. 22. 17.

Ciryl: de rect: in Christi fide.

nia ſubcœleſtia a ſolio iſtius Solis ſecundū vniuſcuiuſque proximitatē, dignitate, gloria & honore illuſtrantur, imò veſtiūtur. Si igitùr rei ornandæ ſtudemus, regiam prædicamus; ſic 2. *reg.* 13. *fecerat conuiuium quaſi conuiuium Regis:* ſi hominibus honorandis, regios dicimus; ſic *Gedeoni quales fuerunt viri quos occidiſtis* ſciſcitanti reſpondent *Zebee & Zalmana, ſimiles tui, ſinguli formam habentes filiorum Regis*: *Iud.*8. 18. Onus eſt iſte honos, ſi perſona impar, *opprimetur a gloriâ, quis ego ſum vt fiam gener Regis*. Imò quod vix ſatis mirari queat, ſublimis ille, & nubipeta aquila, diuino lumine & numine plenus, non melius nouit aut maiore ornatu cæleſtē depingere gloriam, quàm per regiam pulchritudinem, vt in Apocal. ſæpè. Cautè igitùr ſociali operâ præmoniti ſunt reges, ne ob exuperantem gloriam ſupra modum ſuperbirent, aut ſupra metam ſuſpirarent; *dixi ἀϋ eſtis, ſed ſicùt homines moriemini.* Vt propoſito inſtem, eodem modo decorandi ſunt ſacerdotes, & eorum ordo: ſic de ordine ipſo *Petrus, regale ſacerdotiū.* De ſupremo in ordine ſic *Conſtātinus*, qui vos ornauit maximè, *c.2. Conſtantinus. d.96. vt pontificalis apex*

non

non vilescat, sed gloriâ & potentiâ decoretur, ecce tam Palatium, quàm Coronã &c. contradimus: vndè apparet vestra humilitas cuius nè apex vilescereti, accessione splendoris regij illustratur; sed tolle *apicẽ & splẽdorem regiũ*, dedignabitur vos dum in hoc mũdo degitis dignitas, & squallebit vestra mediocritas. Atque hic locus primo regũ titulo honorario; appellantur dij, quià deo proximi, *& diuinæ potentiæ participes.* Alij itèm dicũtur dij ob eandẽ rationẽ quia istis dijs vicini, & horũ sunt procuratores: sic *Deus stetit in medio deorum*, id est Iudicum, qui dijs istis subordinantur & vicariã præstant operam: aptè igitùr alibi sacræ literæ, respectu horum, sc: minorũ deorũ principẽ gentis appellant in singulari numero *Deũ gentis.* Verùm istud liberum ac lasciuiens dicendi genus, nèc ætas, nec genius patitur, strictiora magis placẽt, & magis decẽt; nam librũ verbis & elegãtijs locupletare inopis esse, ac pauperrimi semper censui. Ideò missâ omni solutâ & vaga dictione, tantùm quæ præponderant adferam; atque primò quæ prima occurrunt. 2. Reg. 7. 23.

Primæua autèm dùm cogito', summe Deus, quàm clara quondàm in naturâ hu-

manâ, ac penè conſpicua, nõ veſtigia, ſed imago tua erat? quæ ſũma claritas, ſi adhuc vſque fuiſſet in nobis ſedentaria, nihilominus habuiſſemus reges, ſed Pontificem aut ſacerdotem more iſto nullũ. Hoc etſi negat *Gerſon in Tract. de orig. iuris & legum, Ciuile dominiũ ac politicum eſſe introductum ratione peccati* aiens, non moror; dùm fatetur Cardinalis de laic. l. 3. c. 7. & de cler. l. 1. c. 28. qui in iſta, quæ nos cepit, caligine Regibus lucebit facẽ. Sed imago iſta illuſtris euanuit: proindè veſtigia nunc quærimus, in tenebris & in luto; nos enim peccantes ſordidi facti, & humiliati ſumus: atque iſta putida noſtra & ſemper pudenda humilitas Pontifices induxit & ſacerdotes. Niſi forſan dicetis cum hæreticis mente (quæ reliqua eſt) captis, *gratiarũ actionẽ & exhibitionẽ laudis* eſſe ſacrificium proprie dictũ, qui vt verũ & immaculatũ ſacrificiũ facto deſinere & memoriâ excidere cõtra veram noui & eterni teſtamenti naturam & liquidum fœdus faciant, quiduis eſſe ſacrificiũ fingũt. Sed veſtra eximia ſcientia hoc nõ fert; nàm omne ſacrificiũ, ex naturâ rei & nominis, morte aut mutatione aliquâ vice mortis perficitur: conſtat igitur vos

veniſſe

veniſſe in ſocietatẽ miſeriæ, nõ autẽ natos ad conſortiũ gloriæ, ad cuius habenã nati, imo dati ſunt principes. Si enim genus humanũ in mente illa Angelica, ac ſtatu glorioſo & penè diuino perſtitiſſet, Reges in iſto altiſſimo fulgoris gradu, ac honoris culmine non minus locandi, quàm ſi homines rectorũ egentiſſimi, aut animi maximè fuiſſent impotes, (màgis fortè honorãdi) nàm gloria & ſplendor ordinẽ ſupponit, & ornat, & excellentia ſubditorũ ponit eminentiã principũ nõ euertit, homoque *in purâ naturâ animal ciuile ac ſociale eſt*, ideò cõſtituendus rector ex mẽte omniũ, quod abũde ſatis probatur cũ ab ipſo Cardinale, vt dictũ eſt, fateatur. Vnde dico, reges ad ſupremũ gloriæ faſtigiũ factos, cui veſtrũ ordinẽ quãtũ quãtũ non aptũ cẽſuit Deitas: illi interim *diuinæ* gloriæ ac *potentiæ participes* vti nunc ſunt, ſed maiorẽ in modum, vberiùs, & abſq; periculo aut diſpẽdio, vtì, proh dolor, nùnc nõ ſũt, imminẽtibus vndiq; ſicarijs & proditoribus & eminentiſſũmo Pontifice, nec non omnimodã pœnam, tam tẽporalem quàm ſpiritualẽ minitãti. Igitùr vetè dicã, ſeruato eorũ modulo, ſicut altiſſimus Dei filius ratione peccati

(nàm quo nobiliores sũt subditi, eo màgis augustũ est imperiũ) *exinaniti sunt* reges, vnde vos elati & orti, tanquàm ex eorũ ruinis. Ecce vobis secundũ Titulũ? vocantur Reges *filij altissimi*: altissimi dei altissimi filij, nati in gloriâ, nati ad gloriam, & nati maximi. Rectè igitùr vnus vestrûm, *maiestate similes sunt deo*, sic filius patri: aliorũ verò (putà mortaliũ) si respicimus honorẽ, *honore quolibet sublimiorem habet dignitati.* Agapet 9. Pontifex verò & sacerdotes, serui & ministri, cuius tandem? dei quidem sed *minorati & humiliati*, nempè Christi mediatoris, *qui inuentus est in forma serui* nõ domini, & *vobis ministerium proposuit suum*, dominium prohibuit Regum.

Sed videamus tẽpora subsequentia. Per tria milllia annorum Principes seculares soli *in solio Dei sedentes*, tàm in spiritalibus quàm politicis præerant, & omnes ac ini ominbus gubernabant, sine ope eccle siastici ducis aut doctoris. Faceſſat nunc vestra, quam tanto ornatu venditatis, iurisũ subordinatio; nàm si non sunt Ecclesia & respublica distinctæ politeiæ, & distincta regimina, (vt reuera sunt) vtrum dicemus subordinatũ? sine dubio ecclesiasticũ; erant

ènim

ènim hij ex naturâ rei principes ciuiles nõ ſacerdotes, & tamèn ex officio adminiſtrabant ſacra, *imo faciebant*, oblationes, & holocauſta immolãdo. Vnde dico eccleſiaſticũ regimẽ ciuili fuiſſe adnexũ, & ſubordinatũ, numquàm autèm politicũ eccleſiaſtico, vt patet toto tempore ante legem datã, principatum tenẽtibus *Noah*, *Abrahã*, *Iſaac*, *Iacob*, & *Iob*: nèc eſt difficultas de ſacerdotio ac regno *Melchiſidechi*, vt alibi dicetur vbi de iſtis paulò fuſius; priores verò vix cautè citãtur ab illuſtriſſimo Cardinale de ſum Pont. l. 5. c. 9. nàm bene probãt politicũ principẽ poſſe præeſſe in ſacris, ſed vt princeps eccleſiaſticus poſſit eſſe ſupremus tẽporalis nõ probãt: etſi hoc aliũdè conſtet luculentèr.

Hîc prodit Regũ Inſigne tertium. *In ſolio Dei ſedent*; putà proprijſſimè ſoli principes ſeculares. Solium dei in omni ſolo, id eſt in omni foro, ſic princpũ ſeculariũ per ãnos ter millenos; vobis verò vnũ forum ſẽper extra fores. Vel ſolium dei in omni ſolo, id eſt in vniuerſo mundo, ſic Regum clarè *in omnibus per circuitum nationibus*: ſed clariùs patebit ex *Auguſtino*, vt dicemus poſteà. Non veſtrùm autem, ſed vice ſolij

ecce sonus? *exiuit sonus vester in vniuersum mundum* sed non solium: *nam nõ crediderunt auditui vestro*, tanta est Ethnicorũ malitia, tanta Iudæorum proteruia, tanta hereticorum prauitas. Faxit Deus *vt habitet Iaphet in tentoriis Sem*, etsi *Cam* manserit alienus.

Multa sunt quæ omnipotẽti Deo propria sunt, regibus tamẽ & supremis principibus secularibus cõmunicãtur; ijsque solis: Ostendã breuitèr & apertè. Primò Deus dicitur *omnipotẽs*; principaliter quia omnia potest; hoc regi nõ cõuenit, ideò nec nomen; secũdò quià eius potẽtiæ omni modo homines subiacẽt; hoc autèm regi conuenit, nàm omni modo subditi tenẽtur, etiã cogũtur ad eius imperiũ: secùs ad vestros Canones. Primò eius leges obligãt spiritalitèr nempè cõscientias, sicùt & vestræ; tenẽtur ei obedire sub peccato mortali, quià qui ei resistit, vt sacra scriptura, *diuinæ ordinationi resistit*, & de hoc nemo ãbigit. Secũdò potest rex inobediẽtes cogere per pœnã temporalẽ quãcũq; sicùt omnipotẽs Deus, *nàm nõ sine causa portat gladiũ* & gladius eius *anceps* est & pœna dubij generis. Nõ autẽ vos, ad vestras ènim leges tenẽtur tãtũ sub peccato & si vestro imperio nõ fuerint obsequentes

quentes (*si ecclesiã nõ audierint*) *erũt tanquã Ethnici & Publicani*, & in hâc pænâ tota est: est hæc quidèm maxima, sed non omnimoda quam nunc quærimus; nam quia vestrum regnum non est de hoc mundo, ideo non potestis eos secularitèr cogere, etsi ipsas decimas & oblationes, a quibus victus vester & vita pendet, detinerent aut subtraherent. Potestis vinculo excommunicationis eos ligare; interim autem ligantur vestræ fauces & vos illustres Domini, fame peritis, nisi piscatoriâ, aut arte textoriâ, vt olim beatissimi Apostoli, curaveritis cutem aut nisi meliùs benignitate regiâ vobis subuentum fuerit: perfecta tamèn est vestra potestas & sufficiens vt finem suum assequatur, nempè vt ad vestrum imperium pateat regnum cœlorum, *sed quia regnũ vestrũ nõ est* vt dixi, *de hoc mundo*, ideò desunt vobis mũdana adminicula, quibus subditos vestros coerceatis: cùm interìm de supremis principibus, (qui ipsius mundi Domini) dici possit, sicut de omnipotenti Deo, *Domini est terra & plenitudo eius*, sic vice secundâ Regum *est terra & plenitudo eius*, & quàmuis gladium spiritalem non portant, tamèn spiritaliter tenen-

tur

tur eorũ ſubditi illis, illorumq; legibus, ſicut Deo, & Diuinæ ordinationi.

2. Sicùt dicitur *Domini eſt terra & plenitudo eius, ſic orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* Hoc quòq; non ſolùm regibus in vniuerſum conſideratis, ſed etiàm quadam ratione Regi cuiuis; eâq; ipſi Deo maximé propriâ. *Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus*; Hoc ſoli Deo conuenit, & eius in ſecularibus vicario; & reſpectu huius quilibet Rex eſt quaſi dominus totius orbis. *Manus eius forſan abbreuiata eſt*, vt ius ſuum exequi non poſſit, (quod de omnipotenti Deo dici non poteſt) ſed ratione damni ſibi, ſuiſq; illati, in totũ orbẽ ſortitur forum, & poteſt quoſcunq; ſiue reges ipſos, ſiue ſubditos iure plectere; & non modò noxios, ſed etiam vt ipſemet Deus non nocentes abſq; culpâ; neq; ſolùm ſubditos propter delicta principum, & principes ob facinora ſubditorum, ſed etàm conciues & conterraneos propter ſcelera & rapinas priuatorum, vt *in caſu repræſaliarum*. In hoc conſentiunt omnes Theologi, nèc opus eſt vt vllius auctoritatem particulatim inuocarem: vberiorẽ vt verò faciã fidem, ecce quoſdam nunc agentes.

agentes. Quod possit alium principem plectere, etiam deponere, fatetur Cardinalis *Bellarminus*. *Princeps ratione solius iniuriæ potest alium principem sibi non subiectum cogere ad damna resarcienda; et si non possit alia ratione sibi prospicere, nisi illum remouendo, atque alium substituendo, licitè potest.* Cont. Barcl. c. 18. Quod possit subditos alterius principis coercere, sic *Lessius* 5. *ratione iniuriæ subdito alterius illatæ*, viz. *potest vnius principis subditus alteri esse subiectus, vt ab eo iudicari queat; si enim superior eius qui iniuriam fecit interpellatus nolit vindicare, poterit id facere princeps eius qui iniuriam accepit.* De iure & iust. l. 2. c. 29. d. 6. n. 51. Et quòd possit non delinquentes mulctare ratione delinquentiũ non negat *Siluester* de *Repræsal. Aliquandò pro delicto vnius conceduntur*, nempè repræsaliæ, *contra omnes de terra eius.* Potest igitur quemcunq; principem plectere, etiam cuiusuis subditos, imò innoxios; vt sunt Autores Cardinalis, *Lessius* & *Siluester*. Ex quibus constat vniumquemq; regem esse constitutum super omnes alios reges, principes, & priuatos quoscunque, suæ suorumq; iniuriæ Arbitrum, Iudicem, & (si animus, vires-

resq;

resq; non defuerint) vindicem, ità vt quod ipse Deus possit, huic liceat. At alteri non conceditur, cuiuscunq; sit ordinis, celsitudinis aut potestatis; non sacerdotibus aut sacerdotum supremo, non Angelis, aut Angelorum celsissimo. Non sacerdotibus, quia *illis præ alijs* (vt habent interpretes & vester Canon) *dicitur, date locum iræ qui te in vnam maxillam, præbe alteram*, & ei qui tunicam tollit, dimitte pallium. Non Angelis aut Angelorum primatibus, *non ausus est Michael iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi Deus.* At omnibus qui in Regem aut eius subditos peccant Imperat ipse Rex, sc. vt abstineant; si nõ, quos vult punit: nam omnibus Regibus conuenit, quod sereniſſimo *Iacobo* & Scotiæ Anteceſſoribus Iure probato & vsitato, *Nemo me impunè lacessit*, Hoc igitur intuitu Rector gentis secularis appellari iterum possit *Deus gentis*.

Eximiâ potestate, & autoritate attentâ istius Dei, non sine causa verus Deus præmonet: *nolite confidere in principibus*, sed nunquàm, nolite confidere in Pontificibus; futilis esset ista cautio, quis enim sacerdotum manui ac viribus se credidit vnquàm?

quàm? At apprimè vtilis, si istum spectemus Deum æmulum: *Rex ènim est arbor illa sublimis, & robusta cuius, altitudo pertingit vsq; ad cælum, & aspectus illius in omnem terram, subter quam habitant animalia & bestiæ, in ramis eius conuersantur volucres cæli, & ex ea vescitur omnis caro.* Dan.4. An non numen quoddam persentiscitis? Tanta siquidem est gratia Regum, & non gratia solùm, sed tanta potentia, vt sæpiùs accidat eos mágis ab hominibus timeri, quàm ipsum Deum, nèque a mundanis solùm, vt per prophetas queritur ipse Deus, *Hos.*13. *Mich.*6. sed ab ipsis Dei amicis quibus prædixit seriò Dominus, *Dico vobis amicis meis, nè terreamini ab ijs qui occidunt corpus, & posteà non habent amplius quod faciant, sed potiùs eum qui potest corpus & animam perderein Gehennam.Luc.*12. Ex quibus & antè dictis ista sunt notanda. Deus potest animam & corpus perdere, Rex corpus non animam, vos neq; corpus neq; animam: *Vestrum est inter lepram & lepram, inter peccatum & peccatum iudicare:* ac inter animam viuentem & mortuam, necnon secernere, at perdere non datur. Regi autèm corpus occidere conceditur,

de

de iure sæpè, de facto sempèr; *ipsa regis ira mors est.* Sed inspiciamus titulos, ac cultum regium.

Titulis sunt facilè superiores. Quibus autèm ornantur honorarijs pro dignitate rei, & maiestate sua, docuit sereniſſimus Rex cui Iure competunt, & cui pace vestrá haud est factum satis. Hos igitur, vt par est, vix inspiciam nisi obiter vt superiùs; proponam tamen ne lectori desim. Vocantur *Dij, filij Altißimi, in solio Dei sedent, famuli Dei, Angeli Dei, facti iuxta cor Dei, vncti Dei, lumina Israelis, nutritij Ecclesiæ.* Officij ratio me cohibet, duo tamèn prætermittere non possum; vocantur *Vncti Dei, & Christi Domini:* Rarò eo titulo a sacris autoribus insigniuntur Pontifices, saltem si cum regibus conferantur, vix aut ne vix. *Lessius* tamen, vt regiam minuat dignitatem, sacerdotalem eleuet, *Hanc regum vnctionem non modò esse vmbram vnctionis & sanctificationis ecclesiasticorum, sed solùm esse vmbram asserit.* De Iur. & Iust. l. 2. c. 33. d. 4. in quibus verbis nihil video præter vmbram. Sed ægrè adducor virum pium ac doctum temeritatis, multo minus falsitatis increpare: ipse se expediat, & opus est,

est, nàm nihil a dignitate vtriusq; magis alienum, aut à rei veritate, sed ad eius propositum, sc. ad Regnum supprimendum aut sacerdotiũ evehendum nihil magis cõmodum dici aut excogitari potest. Dicuntur vltimò *Nutritij Ecclesiæ:* Leue hoc vobis est & humile? sed non videmini satis rem ipsam aduertere; ego hîc in personá Regũ ipsum Deum agnosco, vos vt veneremini par est. *Filios enutriui & exaltaui. Isa.* 1. An non subnomine Dei & Iudæorum graphicè depingitur Regum munificentia? testis est ipsa Roma, testes vestri principatus, testes mensæ, testes vestra satellitia: emphaticum non est, *quòd filij estis*, nàm hoc nec hic nec illic veré & proprié dicitur, *sed quòd sicut filij enutriti estis* (& profectò lautè à Regibus) *quòd exaltati estis*, ex patribus facti estis Domini, non humilis casæ, sed palatij. *Ipse Dominus non habuit vbi caput reponeret*, & vobis ministerium, non magisterium tradidit: famulos autém subministrauit Rex, & vos imperare docuit. Digni equidém estis si digné autorẽ agnoueritis, *Rex ènim vobis hæc otia fecit. Ipsi autèm spreuerũt me* inquit De' per prophetã, Vlcus est, non tangã. De istis pauca alibi.

Sed

Sed titulos omnes & omnium summatim complectar. In diuinis (vt vulgare est) singuli denotant sanctitatem, aut maiestatem,&, vno excepto, communicantur hominibus. Nàm sicut *participes sunt diuinæ potentiæ*, sic etiàm nominum & titulorum. Quæ primi generis sunt attributa, dantur summo Pontifici ratione officij & vnctionis,quàmuis ipse sanctus non sit(quod fieri posse res ipsa & experientia sæpe docuit) nec minùs competunt regibus qualescunq; illi fuerint,sc:siué boni siué mali,vndé dicimus, *Regum personas sacras, Imperatoris sacratissimam,ipsum Christianum imperium sacro-sanctũ*, & eorum edicta *sanctiones*;hinc Iustinianus,*quid sanctius est imperali maiestate*? L. vlt c. De leg. imò *leges appellat sacratissimas. L. leges sacratissimæ. C. supra*,sed subuenit Ius vestrum màgis luculenter, *Saul nan habebat innocentiam, & tamèn habebat sanctitatem, non vitæ suæ sed sacramenti Dei*.c. *Dominus*. q. 1. Porrò istud attributum & honor ei debitus alijs defertur, vt sacerdotibus ratione pariter sacramenti, monachis ratione voti, & alijs sanctitate & pietate conspicuis, debito religiosæ obseruantiæ, vt in scholá notum est.

Isto

Isto igitur plurimi, omnes communi, fortasse non æquo iure gaudent; ideò non est, vt de hoc multùm contendamus: Alter verò titulus, nempè *Maiestas*, soli Deo principaliter competit & solus est particeps glorioſissimus Rex, strictoq; iure (secundum nonnullos) *Christianus*, inter quos est vester *Siluester*, *verb. maiestas*. Videamus cultum.

Iste modus summus est; in eoq; Rex ipsi Deo similimus. Deus tribus modis colitur. 1. *Per fidelitatem.* 2. *Per reuerentiam.* 3. *per famulatum*, eisdem Rex, & propriè, etsi non eodem cultus genere. Ad ista tria omne obsequium Deo præstitum, vt norunt Theologi, refertur, & ad ista tria omnes tenentur; sed diuinum cultum persequi non est nostri instituti; nèc virium: vt regius per se, & comparatiuè enotescat, dabo operam.

Isto triplici obsequio Regem coli æquũ est, iustum est, necessum est. Primũ autèm & vltimum Pontifici exhiberj, quatenus Pontifex, non iustitia, vix æquitas, vix ratio postulat. Cur Deo, & cur Regi, ratio multiplex, sed cùr Regi minor & subordinata. *A Deo est quòd viuimus, mouemur, &*

sumus, Tanquàm ab autore; a Rege est, tanquàm Præside, & custode; & non solùm quòd benè & pacatè, sed quòd sine dispendio viuimus & sumus. *Sine gubernatore populus corruet*, inquit sacra scriptura, & non modò in flagitia & nefas vnde exitium aut ruina, nam hæc non semper accidũt sed in multa alia incommoda & discrimina & hæc semper accidunt & sequuntur. Malum magnum nobisipsis à nobisipsis, malum hoc *vultu Regis* inhibetur, *dissipatur*. Damnum ab alijs, hoc à Rege prohibetur, exterminatur. *A nobisipsis*, faciendo malum secundum vniuscuiusq; prauitatem; sic Iudæis, sed ratio manifesta, *Non erat Rex in Israel*. Varijs modis ab alijs impetimur, & varijs periculis exponimur, putà si sine Rege sic. 3. *Reg.* 22. *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus tanquàm oues non habentes pastorem*: Ratio ibidèm ponitur; *Non habent isti Dominum*, Sed dato Regem & dabis salutem, subditosq; à communi, ferè ab omni dspẽdio liberabis. V.G. 1. Si quid ab exteris (licèt regibus) passi sumus, hunc habemus Iudicem, hunc iure vltorem, vt dictum est superiùs. 2. Domi periclitamur à nefarijs, à latronibus, & ab omni genere insidiatorum,

insidiatorum, raptorum; illi nihil timent præter testem, hij præter pœnam, vtriq; à Rege reguntur, coercentur: 3. nèc minùs premimur ab auaris scil. legali & strictâ ditiorum manu, *hij* (vt loquitur Scriptura) *plebem comedunt sicut panẽ*, nempè caritate venalium, vndè alibi scriptura, *Auaro nihil est sceleſtius*, ratio aperta est, annonam, frumentum, & omnis generis merces vndiq; corrogant, & suo, iniustoq; pretio exponunt: sed hij quòq; à Rege cohibẽtur; nàm penes principem est pretia rerum statuere, (quæ *legitima* nuncupantur) maximo totius Reipublicæ bono. Deniq; à Rege tanquàm à numine tutelari quilibet a quolibet vindicatur: Vbi autèm deest iste deus alter, malorũ turbo quẽ non inuoluit? Hìc vetus dictum obtinet, dies deficiet, si omnia memorem. Idcircò verbo finiam cum Theologis. *Rex nostra bona procurat*, (ideò custos publici boni propriè, & ex officio dictus,) *Malis nostris medetur, nos pascit, vestit & ornat*, vnde sacra pagina, *Non sum medicus, in domo mea non est panis, neq; vestimentum, nolite constituere me principem populi.* Hinc discant reges tàm quæ sunt officij quàm quæ sui iuris; & nos subditi super

omnia eorũ rebus ac bono ſtudere, inuigilare, excubare, tàm ob noſtrũ, quàm regis commodum; nàm ſi fides non ſeruetur, nos peribimus, & rex noſter. Ad hoc omnes tenẽtur & neceſſariò; nõ ſe exceptos, dicant eccleſiaſtici, nã ad fidelitatẽ nõ minùs obligantur quã laici, (ſecùs ad famulatũ) & ſi deliquerint, non minùs puniendi eodemq; modo quo laici, ratio eſt, quià hinc pendet bonũ cõmune, tam eorũ, quã regis & noſtrũ. Et *neceſſariò* tenentur; nám aliás qui ex officio, noſtro inuigilat bono, ſubditis malefidis, ſuo tantũ cauebit malo, & quomodò noſtræ tutelæ proſpiciet, ipſe nõ tutus.

Sed pergamus porrò: de iſto ènim cultu pauca alio loco ſubijcientur, ſicut de Reuerentiâ ſpeciatìm: nam hoc nomen generale eſt, & continet diuerſa obſequij debita, quorum quædã vtriq; tám Pontifici, quám Regi communia; quædam propria, ob propria vtriuſq; munia. Sequitur de famulatu. Deus bone, in hoc háud magis cum principibus conferendi pontifices, quam Angeli cum ſummo Deo. Non obſcurè innuit *Bernardus*, dùm *Apoſtolatum conuenire Pontificibus, dominatum regibus* aſſerit, Hic nempe ipſius Dei eſt, ille angelorum.

Manifeſtum

Manifestum erit, si vtriusq; comites ac famulos attendamus: & primò ecclesiasticorum, sed inferiorum vt comparatiuè de supremo Iudicemus. Sacerdoti, dic Episcopo stricto Iure quem famulum dabimus? Leuitam; parum est? dabimus igitur sororem & satis erit: nam si hanc aut illum antiquis satis fuit, si hanc & illum antiquo more totum fuit. Non est quòd indignetur quisquam; vt enim soror sine malo dari possit ita erat prisca castitas, vt sine contumeliâ ita prisca humilitas. Sublatæ sũt sorores famulæ ac comites, ne illæ a vobis cingantur, ita a longo tempore fuit Cleri lubricitas; atq; dantur viri comites & numerosi vt illi vobis famulentur, & dantur prædia & palatia quibus alantur, accipiantur, ita ferè ab eodem tempore fuit Regum benignitas. Dati sunt famuli vt a vobis, optimis morum doctoribus regantur, dirigantur; data sunt prædia & Palatia quia vos Regibus olim maxime grati ab illis regi & dirigi contenti fuistis, & si non fuissent data, adhuc ab illis regi contineretis: ita quod ab illis magno vestro factum est bono, in ipsorum cessit maximum malum, nam illorum Imperium vobis ipsis

teſtibus excuſſiſtis, illorum imperium nunc diſcutitis. Multa ſunt quæ in vobis ob nimium faſtum culpem, ſed plura quæ vobis ob debitam reuerentiam concedam: mittam igitur apparatum & famulatum veſtrum hoc vno dicto. Pauca aut nulla ſunt quæ vobis, ſi boni & ordini veſtro admodùm æquati, merito non exhibentur; pauca ſi mali aut inepti quæ ſtricto iure debentur; Stipemus Regẽ. Huic *Totus militat Orbis*: ſaltèm (ſalua veſtrá exemptione) ſecularis, idq; ipſo iure, quod elegantér *Samuel* pro re natá appellat *ius Regis*; 1. Reg.8.& c.10. *legem regni*. Hæc enim appoſitè ad inuicẽ reſpondẽt, ſicut reges toti imperãt orbi, ſic regibus totus miniſtrat orbis, vnde iterùm ſacra ſcriptura, de non habentibus regem: *Hi Dominum non habent*. 3. Reg.22. Et de habentibus, *Hi ſerui ſunt, nunquid non ego Philiſtæus, & vos ſerui Saulis?* 1.Reg.17.10. Quis igitùr omnipotenti Deo ſimilior? omninò nemo. In hoc quidém diſſimiles, quod Dei regnum immenſum eſt, *tàm de longè, quàm è vicino*, vt Ier. 23. *& angelis imperat*. Regum verò imperium cancellis circumſcriptum, & hominibus ſolùm præſunt. Sed famula-

tur

tu ſimiles: nám ſicut *Deo miniſtrant millia millium, & aſſiſtunt deciès millièſ centenæ millia, nutum eius expectantes*: Sic Regi ad placitum (habitá ratione regni) ſubſeruiunt hominum 10. millia, & aſtant 100. millia mandata eius exequentes; nám rectè *Leſſius, Nemo poteſt præſcribere vt Regi non obediret*, id eſt vt *munere perſonali* non ſeruiret. Nunc igitur hoc Caput finiam; nám ex dictis ſatis illuſtris eſt fulgor regius; ſicùt ipſe ſuũ a ſummo Deo mutuatur; ſic reliqui a Rege; nihil clarum quod non regium, non ipſum ſacerdotium. Hoc a principio deſtinauit Deus, vt pátet in Paradiſo cuius cultores poſuit Proauos noſtros (& ſi ipſi non fuiſſent inculti) præſidem Regem, & ſine ope eccleſiaſtici Rectoris. Sed ratione malitiæ Paradiſo annandati, terram occupauimus; princeps interim ſecularis ſolus in ſolio Dei ſedens, per quædam annorum millia præerat in vtroq; foro, homines coguntur ad eius imperium omni modo, ideò tempeſtiuè cauetur in diuinis monitis, nè plùs timeatur iſte Deus datus, quám ipſe Deus natus. Rex poſt ipſum Deum dominio directo ipſius terræ Dominus, Dominus hominum quoque

terræ, Arbiter vitæ & necis, eisdem titulis honoratur, etiám eisdē modis colitur quibus ipse Deus, hoc vnum deest, vt non eodem cultus genere.

CAPVT QVARTVM.

Reges non tenentur ad obseruationem legum ciuilium coactiuè, aut sub pœnâ amissionis regni. Secus autem Summus Pontifex, qui quàmuis à nemine iudicetur, tamèn ipso facto amittit dignitatem ac ius suum, incidens in hæresim.

VT quod primum est melius explicetur tria sunt considerandâ, 1. quibus legibus rex adstringatur. 2. ad quam pœnam. 3. quatenus. Legum secundum Theologos septem sunt species, omnes ideò dictæ quiá ligant, non autém á legendo; nám (vt legãtur) omnibus néc datur, néc cõuenit. Sed ista diuisio nostro proposito hánd accõmodatur sine prolixâ & turbatâ legũ narratione; quam semper vito, tám vestrâ causâ, quám ipsius causæ; hanc enim obscurabit, nõ explanabit. Nobis inseruient quâ sunt diuinæ aut humanæ; humanæ necessariò subdiuidendæ, quia a duplice fonte manant.

manant. Dicimus igitùr eas aut ecclesiasticas, aut ciuiles. Nunc pergo.

Ad leges diuinas (cuiuscunque generis sint siue æternæ, siue naturales, siue Euangelicæ, siue Mosaicæ modò seruandæ) tenetur Rex in omnibus sicùt priuatus. Ratio est, quià Autor illorum est omnipotens Deus, cui in omnibus, propriè, immediatè, & soli subest. Potestas autèm in inferiorem & subditum sempèr legitima, aliquandò quidem non iusta; sed hoc in Deum non cadit, nèque huius loci est explicare. Ratio, quarè teneatur sicut priuatus, varia est; sed expediam paucis.

Ad æternas obligatur, quià ordinantur illæ ad bonum commune totius mundi; ideò teneatur non tantùm homines, & omnes homines, sed omnes creaturæ, etiàm inanimatæ, vt Cœlum, Terra, Mare &c. ideò dicitur *Ps.* 148. *Præceptum posuit & non præteribit*: & posteà, *Laudate dominum Dracones, & omnes abyssi*: quomodo? *faciendo verbum eius*, demùm *Reges terræ & omnes populi.*

Secundò tenetur ad legem naturalem. Hanc definio quoad hominem, est impressio diuinæ rationis in creaturâ rationali,

nali, quâ disponuntur humanæ actiones ad debitum, & congruum finem. Istâ adstringitur princeps sicùt cæteri; nàm vt fatetur Rex, qui gloriâ & sapientiâ claruit maximè, *Mortalis homo est, similis omnibus, & ex genere illius qui prior factus est, & primam vocem similem emisit omnibus plorans, & sicut nemo ex regibus aliud habuit nativitatis initium*, sic nèc aliam naturæ dispositionem, sed potiùs secundum maiorem dignitatem tenetur ad maiorem & digniorem congruentiam; quia illius dispositio, sicut ipsius *naturæ*, habet vim quandam legis, & illius πρέπειν & ἀπρέπειαν sedulò sequuntur subditi, vnde sacra Scriptura, *Qualis est rector Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Eccles.* 10. *Væ igitùr genti cuius Rex puer est*, sc: qui non nouit quid dextrum, quid sinistrum; & contra. *Beati quorum Rex intelligens: nàm Rex sapiens populi stabilimentum est. Sap. 6.*

Tertiò tenetur ad leges diuinas positiuas; ratio est, quià ista vitam æternam, & salutem animarum spectant quam reges expectant. Non ènim isto modo saluabitur Rex, alio populus, sed vno eodemque: idcò appositè alibi diuina eloquia, *Deus de*

cælo

cælo in terram aſpexit &c. vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hieruſalem, non ſolùm *in conueniendo populos in vnum, ſed reges vt ſeruiant domino Pſal.* 101.

Secùndo ſubeſt Iuri eccleſiaſtico in ſpiritalibus; ratio per ſe clara eſt, quia regimen ſpiritale Apoſtolis mandatur, non regibus: *Vobis dabo claues regni cælorum &c.* vt diſtinguat hanc ſpiritalem poteſtatem a clauiac iure regni terreni, quod priùs erat conceſſum: nec aduentu ſuo aufert, vt diximus ex hymno ſacro. Videamus ipſum Ius, & quomodò ordinatùm? Beatus *Petrus* primò, & ante omnes, in Iure eccleſiaſtico præficitur? *Tibi dabo claues regni cælorum &c. Mat.* 16. & poſteà ad Patrem aſcendente Domino, Eccleſiæ Paſtor in præſentia reliquorum conſtituitur. *Paſce oues meas, paſce agnos &c.* (quæ a vobis ſeriò aduertenda ſunt) Primus & vnus eſt in primâ chartâ patente ergò autoritas eius præcipua: vnus, & ſolus eſt in mandato ſubſequente, ergo ius eius auctum eſt. Iuris communis particeps eſt, quià ei dicitur inter cæteros, *Eccè mitto vos &c. accipite ſpiritum ſanctum &c. quorum remiſeritis &c.*

Iure

Iure prærogatiuo donatur, quià poſt datum iſtud Ius, ei præ alijs & coràm alijs mandatur, *paſce oues meas, paſce agnos &c.* Pleonaſmus Rhetorum, & litigantium eſt, non Legiſlatorum; nèc Synæreſis. Et hoc ſempèr obtinet, teſtor omnes qui norunt Iuris ſyntaxim & naturam, Qui primus eſt in eodem diplomate præponitur in ordine; qui poſtremus & ſolus eſt in altero, præfertur in iure, nam Poſteriora explicatè valent vbi autoritas eſt eadem, & mandatum aliud, ſed priora poſterioribus non præiudicant. Aut igitùr Rex ſucceſſor Beati *Petri* & venit in ius Paſtoratus; aut intèr oues cenſendus. Non Paſtor; nàm cui quod maximè principale eſt non competit, ei minùs principale non ſufficit, vt in ipſum Ius ſufficiatur. Maximè principalia ſunt, & naturæ paſtoralis muneris inſerta integros, ſanos, robuſtos paſcere, *paſce oues*; ſaucijs, infirmis, & vacillantibus opitulari ac ſubuenire, *confirma fratres*: at in cauſa fidei, aut in caſu lapſus quis Regem conſuluit vnquàm ? Secundò in conſortium huius regiminis iure Apoſtolatus adſciſcuntur cæteri Apoſtoli: hoc promiſſum erat *Mat.* 18. *Quecunque ligaueritis &c.* &

poſt

post resurrectionem Domini impletum, *Ecce ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.* Intèr istos Rectores, vt fiat princeps ecclesiasticus, Rex non habendus; nàm istis dicitur, & ex officio incumbit, *Ite, prædicate, baptizate, &c.* quod omnium consensu Regi non conuenit. Vndè cùm hi soli patres (vt loquitur sacra scriptura) *pro patribus tuis &c.* aut saltèm eorum successores, *patrum filij*, reliqui verò Christiani filij filiorum, inter quos Rex: sine dubio, vt filius tenetur audire patres, & secundum naturæ, rationisque dictamen, parentibus parere.

Tertiò vt esset regimen ecclesiasticum perenne, ac perpetuum, sicùt ipsa Ecclesia: necesse est vt sit successio principum & rectorum. Principes autèm isti non sunt seculares, sed Episcopi; & in hunc finem sacræ literæ factæ sunt patentes. *Attendite vniuerso gregi in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 28. Vbi tria habentur liquida, & vestrâ inspectione digna. 1. Autor istius potestatis est ipse Deus, *Spiritus Sanctus vos posuit.* 2. Principes isti sunt Episcopi, *Posuit Episcopos.*

copos. 3. Ius eorum, *regere Ecclesiam Dei.* Aut igitùr Reges non sunt de Ecclesiâ dei, aut ab istis regendi. Hoc antè prædictum erat a Prophetâ *pro patribus tuis nati sunt tibi filij; quos constitues principes super omnem terram*: & tempore suo præstitum; nàm talis princeps erat B. *Ambrosius*; qui Imperatorem delinquentem pro autoritate sibi creditâ coereere non est veritus. Sèd vlteriùs non progrediar, nè causam suam ieiunè actam querantur ecclesiastici. Fusa est & elegans istius Tractatio, apud multos recentiorum, & nonnullos veterum.

Hìc quatuor prætereà sunt notanda: 1. Regnum seculare, & ecclesiasticum, esse principatus inter se distinctos: nàm quibus mandatur *regere ecclesiam Dei*, eos nullum habuisse seculare dominium nihil certius. 2. Statum ciuilem ex naturâ rei esse distinctum a statu ecclesiastico, & subditos, quà fideles, non esse membra Reipublicæ, nèc quà ciues esse partem Ecclesiæ, sed *foris esse* fatetur Apostolus, nèc *de ijs se posse iudicare.* 1. *Cor.* 5. Sunt autem distinctæ politeiæ quoad rem ipsam, quoad subditos, quoad forum & tribunalia, & ideò non conueniunt in constitutione vnius Reipublicæ:

blicæ: Vna enim Reſpublica duo ſuprema, & minimè dependentia regna non capit. Ante inſtitutionem iſtius noui principatus perfecta erat illa, nempè Reſpublica, & ſuis numeris abſoluta, imò inter Ethnicos maximè perfecta, vt dicetur poſteà; ab illo non dependet neque vnquàm primum & fundamentale a ſecundo & acceſſorio. Acceſſione porrò iſtius nihil acquirit, igitùr a pari nihil amittit. Subditi reuerà acquirunt, ſed quià membra alterius politeiæ, nempè eccleſiæ, non autèm quià pars Reipublicæ. 3. Poteſtatem ac regimen eccleſiaſticum in iſtis verbis fundari, *Dabo tibi claues regni cælorum, quodcunque ligaueris &c.* Regnum verò ſeculare regibus priùs datum quod Dominus nèc aufert, nec transfert, *Non eripit mortalia qui regna dat cæleſtia.* 4. Regna ſecularia ratione horum verborum *quodcunque ligaueris &c.* aut iſtius nouæ conceſſionis, non poſſe eripi; nàm inquit Eccleſia, *aduentu ſuo non eripit*, at qui adueniens concedit poteſtatem eripiendi, reuerà eripit, etſi ſe facturum neget. Res aperta eſt, qui iure alieno, & delegato, aliquid adimit, non dicimus etim ademiſſe, ſed qui ius conceſſit. V. G. Bona

mea

mea fiſco addicuntur, operâ Aduocati, ſed mandato & autoritate principis: Quem poſtulo? Aduocatum? ſtultè; nàm ex officio aut acturus, aut duriora ipſe paſſurus: peccat ideò qui mãdat. Quid ergò dici poteſt futilius; Dominus non eripit, at vicarius aut miniſter eripiet? Cùm igitùr Dominus ratione regni ſui cæleſtis ac ſpiritalis hic in terris aduentu ſuo fundati regna ſecularia ademerit, aut vt adimantur ſategerit, primò inepte ac ſubdole dictum videtur *non eripit mortalia* præcipue *Herodi*, putà regibus impijs, & renitentibus, a quibus ſolis & ſemper ex mente veſtrâ ad arbitrium vicarij poſſunt auferri. 2. non vere dictum, *Chriſtum veniſſe, quid times? non eripit mortalia &c.* nàm aduentu ſuo eripit qui dat poteſtatem eripiendi. Aut igitùr falſa vox eccleſiæ quod non admittitis, aut veſtra quæ non eccleſiæ vox eſt, nec eccleſiaſticorum communis; aùt retrò ad Synagogam, quam timidè aduocatis, tanquàm ad Aſylum reſiliendum, & veſtrum Gordianum *quodcunque ligaueris &c.* mittendum, in quo ſolo confiditis. Hæc obiter & feſtinanter.

Tertiò, legibus ciuilibus Rex non omnino

no ſubeſt. Ratio quoque e ſacrâ paginâ peti poteſt. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13. Igitur non ſibi, aut pari, aut inferiori. Non ſibi, *quia nemo habet iuriſdictionem in ſeipſum*; ratio eſt, quia ad libitū poteſt ſolui iſta iuriſdictio, quod ſubdito non conceditur; *Ille enim inuitus tenetur*, Nemo autem conſtitutione ſuâ: vnde illud Iuriſconſultorū, *Princeps legibus ſuis ſolutus eſt*, L. Princeps *D. de legibus.* Hoc probant multæ leges. *L.* 31. *ff. de Regibus & L.* 2. *D.* 3. *ff. de orig. Iuris*; & verè pluſquam Imperatorium eſt principē ſibi ipſi imperare, vt ſcitè Imperator, *Maius Imperio eſt ſubmittere legibus principatum l. digna. C. de leg.* Non pari, *quia ſolus ſuperior poteſt inuitum obligare.* Dum igitur Rex nullum in ſuis ditionibus ſuperiorem agnoſcit, conſequens eſt, neque vlla obligatur lege; vnde *S. Ambroſius de Dauide. R. xvtiq; erat nullis legibus tenebatur. Ambroſ. in Apol. Dauid. cap.* 10. De poteſtate inferioris in ſuperiorem nihil dicam: nam hoc ipſo magis ineptirem, quam ſubditi qui ſuo principi imperarent: illud contra rationem, hoc contra Ius, *L. No. Magiſtratus D. de Recep. qui arb.* etiam *Iuris ficti-*

onem, quæ interdum non incommode datur, etiam *tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero*, sed in hoc casu nunquam; nam quo quis mandat, & mandatarius obligatur, eo ipso mandator est superior. Quod autem nullis legibus, nec suis, nec antecessorum, stricte Rex obligetur, manifestum est ex concessione priuilegiorum, & beneficiorum, qnæ principi omnium consensu competit. Illa contra legem, hæc præter legem, vtraque ostendunt Regem esse supra legem. Priuilegium est ius priuatum, indultum a Principe contra ius commune. Quando autem aliquid conceditur, quod sit præter ius commune, sine præiudicio alterius, beneficium dicitur, non priuilegium. Vtrumq; iure Regio concedit Princeps: ideò vere *Otho Frisingensis* ad *Fredericum Anobarb. Soli Reges vtpote constituti supra leges seculi legibus nõ cohibentur, & Nouel* 105. *quibus & ipsas Deus leges subiecit*. Baldo igitur & aliis adsentior qui dicunt, *Potestatem Imperatorum & Regum esse Anomalam, quia certi regula non clauditur*, & placet hoc verbum quoque, nam ita claudi vt se non exerat principalis potestas non video quomodo

aut

aut quo iure possit, *Bald. in Consil. 279. pri. enim Consului Col. fin. in 3 parte.* Hactenùs quibus legibus adstringatur : videamus ad quam pœnam ratione harum.

Ratione priorum, sicùt in omnibus propriè, immediatè, & soli Deo subditur, sic propriè & immediatè solùm tenetur ad vindictam diuinam. Dixi, in omnibus solùm, quià in quibusdam positiuis regimen spiritale spectantibus censurâ ecclesiasticâ coercetur: In alijs verò soli Deo, & a solo Deo temporaliter puniendus. Ratio est, quià *solus superior potest inuitum obligare ad pœnam*, vt rectè *Lessius*, de Iur. & Iustit. lib. 2. cap. 20. dub. 15. & *Socyno*, *Baldo Nouel*, *Andreæ* ab *Exea* & alijs *idem est esse magistratum & habere remedia compellendi.* Quibus per omnia adsentior; nam nihil mihi magis verum (opinentur alij quicquid velint) quàm deum nemini dedisse potestatem, quin vnà, sc: re positâ aut mòx bene compositâ, dedit vtendi potestatem & non post mille annos quando Ius istud effinxerit præpotentia adrogantium quibus competere supponitur. Cum igitur Deus Pontifici non dedit media deponendi, nec medium ad media (neque enim po-

In Rub. 1. de verb. obl. Aud: ab Ex: de pact: reg: 265.

teſt deponere neque autoritatiuè alijs præcipere vt deponant) non dedit Ius: nem nihil mihi magis abſonum, primo dedit Ius, ſucceſſori centeſſimo ſexageſſimo primo non dedit media, præter hoc vnum, iſtud Ius Anteceſſoribus abſconditum tandem poſt mille annos huic vni patefecit. Quòd ſi illud futile eſſet in alijs muneribus, multo magis in ſupremo, & Deo proximo principe ac principatu; qui enim ſe omnium ſupremum prædicat nec tamen Ius ſuum intelligit (ſed mittam illud) prouiſiones & compendia non habet quæ infimis competunt bene ſe omnibus ſpectandum & forſan hæreticis ridendum, ſed nemini iuré timendum: ſecùs de facto ob nimiam multorum in eius verba Iurantium credulitatem. Sed contra eſt munerum ordo & natura: nam ſæpe in ſupremâ poteſtate præſumptum eſt quod *Caracallæ* dictum, *vt liceat quod libet*, ſed nunquam ſupremæ negatum, ſaltem non per mille annos *vt non poßit quod licet*. Neque obſtant quæ ego ſuperiùs dixi, ſc: quemlibet Regem habere ius ſeipſum ſuosque vindicandi a quouis alio Rege ſibi aut ſuis noxio, ſed ſæpe deeſſe poteſtatem & media:

media: nolo enim hoc ius ei competere vt superiori aut proprie vt Iudici sed vindici; & quia non datur superior huic aut illi dum duo supremi principes litigant qui possit vtrique Ius dicere, ideo est vterque sibijpsi Iustitiæ lex. Hanc veram esse Iuris constructionem agnoscit Canon vester in *dauide*, cui nemo superior nisi ipse Deus, ideo nemo qui plectere potuit nisi ipse Deus. *Tibi soli peccaui* ideſt a te solo puniendus, *Rex enim erat, alium non timebat* c. *Totam.* d. 3. de pænitentia; & sanctus præsul in francorum Rege, *si quis de nobis Iustitiæ tramites transcendere voluit, a te corripi potest, si vero tu excesseris, quis te corripiet?* nisi verbo aut consilio quod proprié sacerdotum est & patrum spiritualium vt aptè & animosè monuit *S. Ambrosius, vbi graviora sunt Regis peccata, ibi non videtur a sacerdote parcendum vt iustis increpationibus corrigantur.*

Greg: Turon: lib. 5. c: 18.

Amb. in psal. 37.

Præterea sicut eodem modo non tenentur quo subditi, sic nèc eisdem legibus quoad pœnam, sed ad strictiorem & magis acerbam; *nàm potentes potentèr tormenta patientur. Sap. 6. & potentes opprimentur valide. Eccles.* 2. Hoc euidentèr

patet exemplo Dauidis 2. reg. 12. *Duo erant viri in ciuitate vnâ, vnus diues, alter pauper &c. Diues, vt exhiberet conuiuium peregrino qui venerat ad se, tulit ouem pauperis & præparauit cibos &c. Responde mihi iudicium*, inquit Propheta; extemplò respondet *Dauid, mulctabitur ex præscripto legis, Exod. 22. Ouem reddet in quadruplum*; at referente Propheta, *Tu es vir ille qui fecisti hanc rem*; alia res est, alia pœna, & ab alio decernenda. Rex suæ culpæ, nèc iudex, nèc vindex, sed eum Dei manet iudicium: nàm verè & recte *Frisingensis, Diuino examini sunt reseruati.* Sapite ergò Principes, & qui ideò præestis, *vt per vos benè disponantur alij*, vt dictum est ex eodem in Præfat. lib. 7. Nolite vos esse *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*, quià ille vultum vestrum non deprecabitur, sed secundum vestræ dignitatis gradum, & culpæ modum, màiorem inferre pœnàm non verebitur: *nàm iudicium durissimum in eis qui præsunt fiet, & fortioribus fortior instat scrutatio, sinè cruciatio*, vt varia habet lectio. Sap. 6. & illud *Lothi* sempèr recolite, *in monte saluari non possum Gen. 19. 19.* Ratio ex se patet quià

Tenanti

Tonanti proximus.

Secundò, ratione legum ecclesiasticarum ad pœnam spiritalem tenetur, & solam. Ratio triplex est, 1. quia tantùm subest in spiritalibus: nàm in secularibus præest, vt dictum & probatum est supra. 2. quia tantùm pascitur & regitur in spiritalibus; ideò solum plectitur in spiritualibus. 3. est, sicùt parendo & obtemperando acquirit Ius solùm, in & ad spiritualia; sic deficiendo, & renitendo, amittit Ius tantùm, in, & ad spiritualia. Quod si cum Cardinale *Bellarmino* obijciant, *Reges cum hac conditione expressâ aut tacitâ ad ecclesiam admitti vt sceptra sua Christo, id est eius Vicario subijciant, in casu autem quo nolint, Ius sit illi*, nempe eidem vicario, *eos non tantùm communione sacrâ ac spirituali, sed bonis ciuilibus priuare*: Aquila capit muscas? aut nos mente capti sumus? nàm si hoc ex ipso sacramento elicit, nos Boreales, & tardiores, mysterium nec vim eius capimus. Siqui adulti cum tali onere intrârunt, contrà eos agant, aut rectius excipiant, *nàm actionem non parit*, ideo recte teneantur fidei non seruatæ, sed hæreditate & regno non cadunt. Fidem fregit

Sine fide igitur regnabit, sed non sine iure. Bene Romæ non sanctæ *Augustus*: *Pietate & iustitia Principes Dij fiunt*, at male Romæ sanctæ Cardinalis, Ob defectum horum Principes, priuati fiunt. Sed istis missis in re manifesta, quid multa? posse omnes qui spiritaliter reguntur spiritaliter castigari luce clarius est. Ad perfectum enim regimen, quale est ecclesiasticum, sex requiruntur; sed tria sunt maxime necessaria, nempe vt possit Rector *præcipere, iudicare, punire.* Quod aduertentes presbyteri idiotæ & laici, figmentum illud suum sine scripto, sine cerebro, sed non sine Seuo & cæmento inducentes, regia diademata suæ officinæ subdere non dubitarunt, Sartores magni. Sed quodnam est istud munus sacrum quod peti potest e sutrina?

Vltimò ratione legum ciuilium non omninò tenetur, puta per vim coactiuam ad pœnas. Ratio superius allata est, *quia solus superior potest inuitum obligare ad pœnam.* Vnde *S. Ambrosius* de regibus generatim, *neque vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate.* In Apol. *Dauid.* Dixi per vim coactiuam, secus quoad directionem,

directionem, idque quadruplici obligatione. 1. æquitatis est; hæc immediate oritur ex voluntate principis; legem enim ferendo, tacitè seipsum obligat, sed magis honorificum si expressè, vnde pij Imperatores, *Digna vox est maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri. L. Digna. C. de legibus*, sed semper æquum est; vnde illud verè Canonicum, *Patere legem quam tu ipse tuleris.* c. cùm omnes, *de constitutionibus.* 2. est iustitiæ, sed moralis, non legalis: hinc *Symmachus* ad Imperatorē in Orat. pro veteri deorum cultu. *Plus apud vos iustitia quam licentia valeat.* 3. est officij; nam ex officio custos est publici Iuris, ideò vix differt ista ab obligatione strictæ iustitiæ; vnde sacra scriptura, *Constituit te Regem vt faceres iudicium & iustitiam*, 3. Reg. 10. At venerandâ legum sanctitate violatâ neutrum facit. Cùm igitur non cogendi, finite exoremus (inclyti principes) *non sit fortitudo vestra lex Iustitiæ*, vt Sap. 2. 2. sed Iustitia lex fortitudinis vestræ, nam rectè politianus in 4. de nugis curial c. 2. *princeps legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse debet qui non timore pœnæ sed amore*

more Iustitiæ æquitatem colat, 4. est Religionis, si se seruaturum iuramento firmauerit.

Quærenus, & an sub pœnâ amissionis regni ac Iuris sicùt in casu Pontificis in hæresim incidentis? & dico quòd non. Hoc tamen apprimè vult Cardinalis contra *Barc. c. 22. Non est mirum si Reges propter hæresim deponi possunt, cùm Papa propter similem causam possit.* Sed pace eius omninò dispar est ratio. Nam aliquando Deus *facit regnare* hæreticum principem, & *hominem Hypocritam propter peccata subditorum*, scilicèt in pœnam, vt hæresim hæresi luant; & sæpè *Reges constituuntur apti illis qui ab ipsis reguntur*, vt diximus ex *Ireneo*, & sæpè *secundum cor nostrum*, vt ex *Origine*, & ex Canone, *Et dat* Iuliani *Apostatam, qui* Constantinum *Catholicum* vt ex *Augustino*; sed nunquam dat hæreticum Pontificem, hoc enim esset Ecclesiam exponere diabolo, & inferno, contra eius promissa. Præterea etsi hæc Prouincia, vel illa Respublica malè sit merita, & ideo *in furore Dei dantur principes iniqui*, vt *Hos.* 13. non tamen Ecclesia Catholica, *Sponsa Christi, dilecta Deo*, cui Pontifex præest. Si igitur ille (quem Deus

dedit

dedit fratribus firmamentum) praua excogitando, decernẽdo, promulgando, fratres iuerit perditum, Ecclesiam proditum, meritò ipso facto exauctoratur; nam *Petrus* non est; qui Petræ adhærendo *Iesum* non prædicat, aut qui fidem seruando *fratres non confirmat*. Qui autèm *Petri* vicem non seruat, *Christi* vices non gerit. Sed non facilè me patior a proposito ad heterogonea abduci. Tu Illustrissime, istud recognosce ac rètracta, sicut in noua editione controuersiarum quiddam minoris momenti, & incertioris Iuris.

De exemptione Clericorum.

(*)

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Rex Iure natali Principatum tenens iurè non deponitur, (nam natalia non soluuntur) etsi tyrannicè regeret. Secùs de Principe in suum suffragijs obtinente statuendum; aut quando tota familia ad sceptrum ineptè: sed hoc a Deo fieri censendum qui eos dementauit, & aliam illustrem familiam debitis verè regijs auxit, vt in casu Caroli Martelli.

EX dictis rectè infertur; pauca e multis seligam. Primò principi omni iure competit suum dominium, & simili iure subditi tenentur ad obsequium, vt patet in primo principe; Ius autèm semper transit, nam succedere nihil aliud est quàm in Ius prioris cedere: Subditis igitur non magis licitũ est Reges deponere, quàm seruis dominos abdicare, aut filijs iura parentum soluere. Hoc contra multos hæreticos, & nonnullos Catholicos. Secundò, Pontifex non *habet potestatem deferendi dignitates regias, aut introspiciendi Palatia* Regum, licèt a fide deuiantium: sicut nèc Rex ius *in ecclesias, aut dignitates ecclesiasticas*, secundum

ves,

vos, etsi Clerus deliraret: Papæ igitùr nulla talis potestas delegatur; etiàm non indirectè quâ possit principem exanctorare etsi hæreticum, quià ex mente *Gregorij* secundi vis est in paritate Iuris, vos autèm tale Regi non conceditis. Tertiò; Si puritas primi temporis permansisset, credibile est quod Reges perstitissent in plenitudine vtriusq; Iuris; non ineptè probatur, quià per tria millia annorum principes seculares præerât in sacris, sine ope Ecclesiastici Rectoris. Vndè constat regimen Ecclesiasticum ciuili antehàc fuisse adnexum, & subordinatum (erant enim isti principes seculares non sacerdotes, & tamen ex officio administrabant sacra) nunqàm autèm ecclesiastico ciuile: vos enim nunquàm successistis in politicis iure adnexo, sed solo delegato; actum est igitùr de vestra Iurium connexione ac subordinatione, in qua fundamentum ponitis; vt Cardinalis sæpè. Quarto, *Christus* Dominus venit, *vt regna daret cælestia, nòn vt eriperet mortalia*; igitùr non dedit potestatem eripiendi: Siquis enim diceret, *Dominus non eripit*, id est, non per semetipsum, sed per Vicarium, elenchus est, fraus est. Quintò, *iussu Dei constituuntur*

tuuntur principes interdùm fortasse mali, *apti tamèn moribus & meritis subditorum*, vos *aptos, & iussu Dei constitutos* destituitis. Sextò, qui dedit *Constantinum* Catholicum dat *Iulianum* Apostatam; eodem itáq; iure gaudet *Iulianus* quo *Constantinus*, ergò qui potest *Iulianum* regno priuare, potest *Constantinum*: quædam tamèn super-addam.

Lessius de Iur. & Iustit. l. 2. c. 29. Dub. 6. *asserit quinq; modis posse quempiam esse alteri subiectum, ità vt ab eo iudicari queat.* 1. *Ratione potestatis ordinariæ; sic fideles Pontifici & Episcopis suis, & ciues regibus.* 2. *Ratione potestatis delegatæ; sic legato Apostolici subsunt Prouinciæ, & ciues Pro-regi vèl Gubernatori.* 3. *Ex consensu partium; vt quandò partes ex compromisso se alicui subijciunt, siuè vt Iudici, siue vt Arbitro.* 4. *Ratione delicti in alieno loco perpetrati. V. G.* Ciuis Louanienſis ob facinus Mechliniæ perpetratum Prætori Mechlinenſiin iudicio subest: nam veriloquium est, *delinquens vbiq; est in foro competente. Simili modo sortitur quis forum ratione contractus.* 5. *Ratione iniuriæ subdito alterius principis illatæ*, de quo diximus cap. 3. Inter istos modos qui autore *Lessio* omnem legitimum iudicandi mo-

dum,

dum, & iuſtam ſub ſe continent poteſtatem, tàm ſpiritalem, quàm ſecularem, tàm ordinariam quàm extraordinariam, non tamen habetur (neq; leuiſſima interuenit eius mentio, quamuis maximi ſit momenti) quomodo Rex in temporalibus a Pontifice iudicari poſſit. Vnde liquet, quandò viros doctos ſtudium partium tranſuerſos rapit, vt omnia torquent; quandò veritati, non quæſtionibus ſtudent, rem quàm accuratè tractant, limant, intrinſeca & propria ſectantur, perueſtigant, exotica mittunt. Atq; rectè, etſi ſupinè, omiſit *Leſſius*; nam in ſecularibus omnes alij a Regibus iudicantur & ordinantur, vt diximus ſupra; ipſi autèm a ſolo Deo, vt communiter docent Patres. Ex quibuſdam diximus: addam *Tertullianum*. *Reges in ſolius Dei poteſtate ſunt*, in *Apol.* & *Gregorium magnum* ratione officij, qui exponens illud *Iob.* 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, &c. per magiſtros, vitam iudicat plebium, ſed per ſemet ipſum facta examinat magiſtrorum*; nempè Regum, de quibus inſtituitur Sermo. Aſt Patres cumulatè citârunt alij, nonnulli per centurias? Sed malè feriatum eſt illud nomen; nam plura & grandiora non protru-

duntur

duntur mendacia, quám quæ accepimus Centuriata. Patres Ideo mittã & qui illos cauponantur; nã quamvis tacerent Patres, hoc tamèn dictat ipsa natura, quam sequitur vtrumq; Ius. *Nihil enim tam naturale est, quàm quid eodem iure solui quo ligatur* L. nihil. 35. ff. de reg. Iuris, & *omnis res per quascunq; causas nascitur, per easdem dissoluitur*. C. 2. tit. eodem in antiquis decret. Quod attendens *Augustinus Triumphus*; ideò dixit, *Pontificem posse Imperatorem deponere, quià eius est eum constituere.* de potestate ecclesiastica, q. 22. art. 3. & vt ei in omnibus potestatis faceret plenitudinem, etiã *Orbis totius vniuersale dominium* adiudicauit. q. 1. art. 1. Nos autem satis probauimus, & suorum complicum saltem doctiorum sententia est, Papam non posse de regnis disponere, etsi in quibusdam casibus possit ipsos reges exauctorare. Sed nos potiùs sequentes naturæ ac legum dictamina, quám illorum aut *Triumphi*, hoc etiam negamus, & dicimus cum beato *Iob. Deus Reges in solio collocat.* Iob. 36. 7. *& ille Baltheum regum dissoluit.* Iob. 12. 18. & ille solus.

Tota sacra pagina a nostris stat partibus:

Ideò

ideò sæpè (quod vestro examine est dignissimum) *bonos principes auferendos propter peccata populi, & malos inducendos* monet scriptura, vt *Hos.* 13. De malis autém abrogandis (nisi Iure speciali & expresso, vt in abdicatione *Nabuchadnasari* ad tempus, & in subtractione partis imperij *Roboami* &c.) aut de bonis subrogandis, nisi post obitum malorum nunquam. Piè igitur *Dauid* de *Saule*, & ad mentem ipsius Dei, (ipse interim insidijs & omni fraude ab eo petitus, & neci destinatus) *Venit dominus, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur &c. propitius sit mihi Deus, vt non mittam manum meam in Christum Domini.* 1. Reg. 24. 18. Vt prophetæ (*qui errare faciens de via quam tibi præcepit Dominus, nouis dogmatibus te abstrahendo*) *interficiantur, lapidentur*, consilium est, mandatum est; sed de punitione Regum, siue docentium, siue vt hæreses doceantur iubentium, nihil cautum. Hæreses tamèn ipsæ omni studio sunt extirpandæ, quod exemplo sanctorum Pontificum suo loco probabitur, qui hæreses ipsis adorti, Imperatores ac principes semper æquanimitèr passi sunt. Notatu igitur

dignum eſt, quod *Chriſto nato Romæ accidit, Templum quod vocabatur æternum corruit cum omnibus impenſis Vrbis & orbis*, Inquit *Petrus Damianus* de natiuitate Domini, ſed non Imperium Romanum; vnde colligitur Religiones & ſectas obſtantes eſſe euertendas, ſed non Regna & Imperia.

Quòd autèm non liceat cuiquam Regem, quámuis iniquum iure ſuo priuare, vnius *Saulis* exemplo probatur: idque gemina ratione, prima petita a perſona Regis, ſecunda ab eius iure. Dico itaq; primò tàm Auguſtam eſſe Regis perſonam, vt etſi ob eius delicta videatur iure deponendus, & licèt (nàm concedamus poteſtatem quam nulli mortalium conceſſit Deus) ſententialitèr depoſitus ſit; & alius a poteſtatem habente in locum depoſiti ſubrogatus: *tamèn ob intemerandam vnctionis ſanctitatem, quæ in hominibus malis minùs ſancta non eſt*, vt verè Canon 1. q. 1. c. *Dominus*; & ob tremendam eius maieſtatem, ante mortem deſtituti ſubſtitutus ius ſuum non aſſequetur, vt *Saulis* exemplo liquidè conſtat. Sententiâ depriuatus eſt (idq; formaliter, tempus exauctorationis deſignando)

designando) *Scidit a te hodie Dominus regnum Israel* 1. Reg. 15. alter in ius eius subrogatus (successoremq; nominando) *& tradidit illud proximo tuo meliori te*, eodem Cap. *Dauid*, tamèn regnum non accepit nisi post mortem *Saulis*. Hunc Iuris processum probat Cardinalis *Baronius* & ordine factum arguit *Tom. 2. pag. 705.* sed ob aliam rationem; *Saul, simùl ac deliquit, regni priuationis sententiam accepit, sed executio sera*: quam ego ideò tardam, & non ante mortem aio ob maiestatem personæ: & clarè probatur ex verbis ipsius *Dauidis*, nam (neque *ipso Deo suum inimicum* vijs & modis ei insidiantem *in manus eius tradente*, neq; amicis ac seruis suadentibus) regi vim inferre voluit, quià vnctus Domini erat, *Propitius sit mihi Deus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, & vt mittam manum meam in eum quia Christus Domini est*, 1. Reg. 24. 7. Igitur si non vnctus, voluisset; imo iure potuisset, nàm in quemuis præterquàm in regē iustè conceditur, *Iure anticipati homicidij*, quod licitū esse fatentur omnes Theologi; *& vxori conceditur*, in maritū vt *Nauarr. c. 15. Num. 3.* & *Leff. lib. 2. c. 9. dub. 8.* & denique cuilibet in quem-

libet, ſolo principe excepto, vt in ſequenti dicetur capite, ex debito igitùr & ad Canonem *Dauid, Saulem propter ſacro ſanctam vnctionem honorauit viuũ, & vindicauit occiſum.* 1.q.1.c.ſuprà.

Secundò populo petenti Regem prædicit *Samuel* quæ poſtmodùm a Rege paſſuri erant, vbi ſecundum *Becanum* & *Caluinum* l.4.*inſtit.* cap. vlt. ſect. 26. Tyrannum exponit, dicente tamẽ prophetâ, *Ius Regis eſt.* Sed ex mente illorũ ſupponamus tyrannum? Quæro nunc a *Becano*, (nàm *Caluinus* ad aliud examen rapitur) & ſcholâ Geneuenſi, (quæ hoc dogmatis portentum coeuntibus transfugis Britannis peperit) an iſtum Tyrannum exauctorare ſit populo Iudaico conceſſum? imò nihil in ſacro volumine apertius, quàm quòd non ſit conceſſum. *Non ei in faciem reſiſtendum*, vt quandòq; Summo Pontifici. Gal. 2.11. & in quibuſdam caſibus, vt fatetur *Caietanus de poteſtate Papæ ſupra Concilium* c. 27. *ſed clamabunt a facie Regis ſui.* Reg. 8.18. non autem ad Sacerdotem maximum, aut ad Summum Pontificem; nàm neque iſti poſſunt de iure opitulari, aut eos liberare: *ſed clamabunt*

ad

ad Dominum, neque ipse eos exaudiet. Quid demũ? Hoc onus patientèr ferendũ, *nàm ius Regis est* neq; potiori iure tunc apud Iudæos, quã nũc regnatur apud Christianos.

Sed istud mælũ est paulò penitiùs inspiciendum, & si potero funditùs euertendum mittam furibundos Heluetos, Geneuenses, extrauagantes Britannos, tanquàm indoctum & cerebrosum genus hominum, qui seipsos & hanc quæ perdita est perdidere Europæ partem, quibuscum, dum vos alloquor, manus conferere indignum censeo: illorum enim insaniam genuit Hæretica prauitas, maturauit perfida rebellio. Et non mirum; nàm *si præpositis obtemperâssent*, in hæresim nunquã incidissent (credite, credite, nunquam illi, nunquam vlli) spretâ verò potestate ecclesiasticâ, facilis & expeditus est contemptus secularis, & facilis descensus ad tormenta. Cum enim eos ad saniorem mentem reducere sategisset principum pietas ac sollicitudo, in ipsorum principum sceptra, capita machinari, furere, domi, foras cœperunt; vnde illorum scripta demptis ad hominem ratiunculis, & ex cortice scripturæ assutis reculis nihil spirant aut sa-

piunt præter perfidiam, cædes, & bellum apertum. Scriptores verò Catholicos principibus ſuis valdè charos, a vi improbà ac facinoroſâ & *Marte* nefario olim alieniſſimos, in iſtud populare ius plus æquo propendentes, culpare, increpare, tempeſtiuum eſt, operæ pretium eſt. *Caietanum* & *Sotum* præteribo quià in vivis non ſunt, illis ferè parem opponam *Alphonſum* Minoritam, qui in hoc á fratribus ſuis non diſſidet, dùm hanc poteſtatem ſubditis ac populo negat, diſſentit dùm Pontifici concedit. *Leonardum Leſſium* (quo vix vllus pietate ac literis màgis conſpicuus, aut optimo principi màgis fidus) præ ceteris arguam, quià in proximis eſt, quiá probus eſt, quià merito ſuo apud ſuos in quæſtionibus iſtis præeſt; vndè ſi ego hallucinatus fuero, pro ſua innatâ probitate, & multiplici ſcientiâ, amicè eandem referet vicem. Interim quæ apud eum dubia, aut in hac parte improbanda cenſeo, dicam.

In politicis impingit ſæpè; quandoq; coniungit quæ ſunt diſparia, ſeiungit quæ ſunt adnectenda, & mirè ſe in vtramq; partem verſat: vtrinq; diſceptantem habete

Primò

Primò dico. *Princeps etsi tyrannicè regat, tamèn manet Princeps, & subditi in rebus licitis tenentur iure diuino ei parere, etsi maximus esset tyrannus, vtpotè qui ecclesiam persequeretur, & ad impietatem cogeret*, Idem ille ad verbum lib. 2. cap. 9. d. 4. n. 2. Secundo, *Iste tyrannus non potest ab aliquo interfici*, Ità ille ibidem; Sed addit, *nisi fortè ob necessariam vitæ suæ defensionem:* at ego non ob hanc, idem ille ex *Soto*. cap. eodem. d. 8. n. 42. *Si inuasor sit Princeps teneor perpeti mortem.* at dicet, Hoc intelligendum est *si Princeps sit Reipublicæ vtilis*: ego dico quòd non, puta etsi minus vtilis, illud tenet reuerà in alijs, licèt summis proceribus, sed non in supremo principe, *nàm ratio habenda est principalis maiestatis quæ omnibus sacrosancta esse debet*; ita quoque ille d. 4. suprà: *Nec minus sancta est in principibus malis quàm bonis*, vt diximus ex Canone. Vnde exemplo *Dauidis* solùm nobis prospicere debemus, vel fugiendo, vel latitando, sed sempèr *cum moderamine inculpatæ tutelæ*; vis etenim nulla principi inferenda est, *Quis extendet manum in Christum Domini, & innocens erit.*

erit. 1. Reg. 26. Tertiò dico istius imperium non declinandum, etsi in fortunas ciuium grassaret; idem ille, *etsi bona auferret, præsertim cùm bona externa administrationi principis sunt subiecta.* Dub. 4. suprá. Ego iterùm, non etsi Sacerdotem maximum, vt *Achimelech* cum fratribus & alios Sacerdotes vsque ad 86. & in capita Magnatum, etiam successorum, vt *Dauidis* sæuiret. Hic desinit & fortasse discrepat; videtur enim hoc velle, quod solùm propter cædes subditorum sit deponendus; nám *posse licitè propter bona direpta* expresse negat: sed verba eius aliud sonant & vbi depositionem posse fieri decernit, multis hanc potestatem facit. Atq; rectè *Lessij* assertionem *decretum* appello; nám solùm posse fieri definitiuè ponit & á variis, quo iure autèm, aut quo modo vlli eorum competat, ne vnam ratiunculam profert. Hæc igitùr si quæ sit alibi exquirenda. Sed primùm in ipsa sententia paullò iniquior, quám in principes solet; nam *posse deponi* ait *à Republicâ vel comitijs regni, vel alio habente autoritatem*, quasi non pauci sint ad quos hoc ius pertinere possit; cùm

Et obhoc culpandus Cardinalis, qui nõ vno dato, *multis tamen modis fieri posse vt rex desinat esse* contra Barclai. regerit cap. 26.

cum nemini prorsus competat. Ipse priora verba apud seipsum expendat, ego singula non vrgebo. Restrictio autem *quamdiu manet princeps*, non minus placet quàm ipsa sententia; tãdiù ènim manet princeps quandiù vnctus & tã diu vnctus quãdiù viuus: Sẽtẽtia eum nèc titulo nèc Iure priuat vt in *Saule* liquidum est. Nùnc ad rationẽ, & mittam *istos alios habentes autoritatem, & singulares iudices*, quià sunt anonymi. Exquiramus cùr Respublica & populus. Ratio vnica est, sed habetur passim: Cardinalis *Bellarminus* & *Leßius* soli mihi viri, quià si verba eorum, aut mentem perperàm intellexero, ipsi possint seipsos explicare. Cardinalem autèm istius auræ popularis insimulare non audeo, *Si causa legitima adsit, posse multitudinem mutare regnum in Aristocratiam aut Democratiam, & e contrario* ait, quod fortasse quandoque verum est, etsi peccarent in forma regiminis; posse autèm multitudinem Christianum principem exauctorare ni fallor non censet, sed hoc summo Pontifici, tanquàm supremo Iudici deferendum: qui tantò sanioris est iudicij, quantò Papæ celsioris ordinis, & màgis sedati cerebri, *Plebi enim nullum iudicium*

dicium, Vi aut metu potest cogi, sed consilio aut prece non flecti: & æquior Pontificia grauitas quia vmbram habet sacri facinoris, popularis verò leuitas & tumor non vmbram vmbræ in sacris literis. Illa nititur exemplo *Ioiadæ* tyrannidem *Athaliæ* vindicantis, quod benè factum (etsi non iure sacerdotali neque ad propositum) omnes fatentur, de quo posteà: sed popularis prælatio omni apparatu biblico prosternitur, siue spectemus priuilegia populi Iudaici, siuè praxim, præcipuè si mores Regum pessumos, & (si remedium dictasset deus) non ferendos; sed rem ipsam videamus. Sic Cardinalis contra *Barclaium*. c. 22. *Populus in eum, nempè regem, potestatem suam transtulit*, assume ex naturâ & vtroque Iure, *omnis autem res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur*, ergo si populi est transferre, eiusdem est auferre. Hoc si concederetur, non multum nobis officit; hinc enim solùm efficitur, populus potest reuocare & retrotrahere potestatem quàm concessit, si autèm aliud ius Rex & alio titulo habuerit, integrum manet. Sed alibi totam Regis potestatem esse a multitudine tacitè insinuat *de laicis lib.* 3. c. 6.

c. 6. Potestas a deo est, sed in multitudine est tanquàm in subiecto, & potestas totius multitudinis est; & posteà, *hæc potestas transfertur a multitudine in vnum vel plures.* Sèd hoc, pace eius, a Iure Naturæ & sacrâ paginâ omnino dissonum. Potest populus suam transferre potestatem, sed non diuinam, quià tale ius populo non est indultum: probatur dum potestatem a Deo Regibus, & principibus, vt *Mosi*, *Iosuæ*, *Sauli*, *Dauidi*. 5. *&c.* concessam legimus, sed nunquàm multitudini; istis *immediate datam* fatetur Cardinalis, cùr non omnibus an semper expectandum dei speciale mandatum? tunc frustra sunt pontifices; si sufficit quod primis concessum & posteris declaratum, tunc abunde fit Regibus: *Audite Reges*, *Vobis data est potestas a Deo*, non a Populo. *Lessius* autèm non tacite, sed expresse asserit omnem potestatem esse a populo, & excludit diuinam (ignarus quid posteà dicturus) vt verba præcedentia, & subsequentia clarè monstrant. Loquitur ènim solùm de ea potestate quam quisque habet Iure proprio, & ingenito. *Respublica*, inquit ille, *non habet potestatem nisi a singulis*. dub. supra. Vbi primò sciret, velim,

lim, eum sæpè hâc voculâ vix distinctè ac propriè vti, dum diuersa exponit munera & distincta Iura: si enim per Rempublicam vult principem vt in initio paragraphi vtrumque in eodem iuris ordine ponit, tunc errat teste seipso, secùs si delegatũ aliquem aut *compromissum* intelligit cœtũ siue multitudinem. Princeps verò omnem suam potestatem non habet a singulis vel a populo, nàm aliquam habet ab ipso Deo, *est particeps diuinæ potentiæ*, l. 2. c. 32. d. 2. n. 9. Quis autem singulos diuinæ gratiæ ac potentiæ œconomos fecit? Hoc ipse *Iunius* popularis auræ sitientissimus & autoritatis studiosissimus, effutire veritus est, *Gladius non a deo singulis concessus, neque singulorum est* vindicta contra Tyrann. q. 3. Sed *Iunius* non audiendus, nèc ipse *Lessius*, potiùs *S. Ambrosius*, qui regiam potestatem non a singulis prouenisse, nèc a populo, aut ab eo pendere; sed *Iuris esse naturalis, & Deo illam* apertè cum D. *Paulo* asserit in cap. 13. ad Rom. Dicimus igitur ex veritate & proprietate rei; vt sit regimen, siue apertiùs, vt sit Rectoribus potestas, a solo Deo esse; vt vnus regat, ab ordine naturæ; sed quia vitio naturæ & lapsu temporis

vagamur

vagamur in Regente, conducit quandoque populus, vt huic aut illi deferatur. Sed ego pergo.

Maiorem porrò Rex habet potestatem in singulos, quàm singuli in seipsos; probatur apertè ex ipso *Lessio. In vita & membris nostris iure nostro cedere non possumus.* l. 2. c. 7. dub. 3. *N.* 13. igitùr Regi non cessimus: sed cessisse puta; tamèn vt dixi maiorem Rex in nos habet potestatem quàm vnquàm nos habuimus in nos ipsos; nàm etsi fortè in membra, tamèn in vitam nostram ius non habemus: Nemo potest seipsum morti adiudicare, aut tradere, quia morte dignus quod Regi est licitum. Neque obstant *Lessij* obiecta: primum, *quod principes interficiunt malefactores, vt custodes tranquillitatis & pacis, non vt illorum Domini*, nàm quocunque titulo aut iure id faciant, a me non acceperunt vt me interficiant, & ab alio non possunt; nàm tale ius in me nemo habet, nisi quatenus a Deo datum. Igitùr hoc diuinum est, & hæc potestas immediatè a Deo est, vt Cardinalis suprà; nisi fanum putaueritis prauum illud *Iunij*, & aliorum commentum, qui vt omnium potestatem a populo acceptam referrent,

fererrent, *Saulis* etiàm adiudicant. *Iussu Dei a Prophetâ vngitur in signum electionis, sed Rex constituitur iussu populi & suffragijs populi.* vindic. contra Tyrann. q. 3. quasi non immediatè a Deo, sed a populo, contra scripturæ verba & mentem Theologorum ius suum accepisset. Secundò minùs obest exemplum eius. *Homo vt custos vitæ suæ resecat membrum*; rectè factum aio, vt seruet vitam quòd exponit membrum, sed non vt seruet membrum si destruit vitam, quod in quæstione est. Sed ista leuia & popularia, ne lectorem & meipsum fatigem, mittam; Miror homines non vulgares vulgari impetu ferri.

Secundum principale, *secùs in imperio & regno electione acquisito.* In hoc nihil dubium, nihil difficile. Cardinalis *Bellarminus* de *S. Pontif.* l. 5. c. 7. ait esse *De iure humano quòd hunc vel illum habeamus Regem*, & verum est de ijs quos vt ipse ait *voluntas hominum fecit*, & vbi ius suffragijs acquiritur, nàm eodem quoque modo solui potest. Clarum esse de Iure diximus, & de facto ex historijs ostendemus, cùm ad particularia Imperatorum exempla deuentum erit.

Et

Et quandò tota Familia ad ſceptrum ineptа, ſed hoc a Deo fieri cenſendum qui eos dementauit, & aliam illuſtrem Familiam præfecturâ & dotibus verè regijs auxit, vt in caſu Caroli Martelli. Hic ſine lector vt pauca interſeram, tibi ſpondeo mihique & omnibus tàm ſubditis quam principibus non incommoda. 1. Hoc facinus Gallicanum omnino non laudo; nam etſi hoc beneficium ſit optimè locatum, tamẽ ſummum beneficium eſt maximum maleficium ſi cum iniuriâ factum, quantum enim vni cedit, tantum alteri perit. 2. non probo niſi explorate conſtabat omnes *Meroueos* in *Childerico* defeciſſe aut cum *Childerico* deſipuiſſe. Si autem libere dicam quod ſentio, niſi quòd aliud ſuadent pietas optimæ gentis & ſcriptorum fides, dubitarem de ipſo *Childerico*. Tonſoratur enim, id eſt ſacris initiatur? at ſi adeò ſtupidus, vt habetur aquâ & igni interdicerẽ, arcerẽ, ſed deo & ſacris non addicerẽ: nam natus ad ſceptra, me iudice, ineptus eſt vt deo ſeruiret in choro ſc: proprio & perſonali obſequio, ſi homines non poſſit regere in foro, putà operâ & cõſilio aliorum quos acutiſſimis opto, tardionibus igitur non

nego

nego. Pro me porrò faciunt institutio monastica, sacrorum maiestas & feruor illius seculi ac principum, quorum non paucos se claustris mancipasse scio, inter quos eo tempore *Carolomannus Pipini* frater, sceptra oblata renuens & quædam debita, item alij, non quià regiminis ignari, sed quia seculi pertæsi. 3. si autem omnia vera quæ supponimus non culpo, sed in exemplum trahi veto, ne error aut liuor obruat sensum popularem, etiam saniorum & nobiliorum intellectum & ne locus maleficio detur. Sed ob Pontificis factum consulentis & approbantis sanctitatem, procerum & populi probitatem, & historiæ autoritatem omnia vera esse credo; is igitur verè est mihi *Childericus* qui fertur, & talem vobis propono, ideoque hoc a deo fieri suggero & a solo deo clarè; exemplum habetur in sacris scripturis. 2. *Reg.*3. Hoc illo si ex apparente fiat iudicium illustrius. *Facta est longa concertatio inter domum Dauidis & Saulis*: longior inter *Carolouingos & Meroningos*. Non de imperio; nàm nec hi, nec illi ambiebant, sed singuli principi regnanti omni pietatis officio studebant, nostri sæpiùs ab inuasoribus recuperabant,

cuperabant, & proprio domino reſtituebant: ſed de famæ ac honoris ſplendore qui hoſtibus damnoſiores, Reipublicæ, & ciuibus vtiliores eſſent? *Saul occidit mille, Dauid decem millia*, noſtri verò *Ludouico, Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Theodorico, & Childerico regnantibus* & dormientibus, centum millia millium. De *Dauide* dicitur, *Heri & nudius tertiùs dùm eſſet Saul ſuper nos, tu eras*, putà per paucos annos, *educens & reducens Iſrael. 2. reg* 5. noſtri ſoli per annos ſexaginta quinque ante adeptum regnum. *Dauid ibat & proficiebat ſempèr ſeipſo robuſtior; Domus autèm Saulis decreſcens quotidiè.* Nòn minus verum, & màgis conſpicuum in noſtris; *Merouingi* omnes bardi, prioribus ſequentes ſtupidiores, ad vnius familiæ, imò hominis regimen inepti: Noſtri nempè *Pipinus, Martellus, Carolomannus, Pipinus, Carolus Magnus*, omni heroicâ virtute ornati, acceſſione copiarum, & principatuum indiès aucti, omnes glorioſi, ſed priore poſterior ſempèr robuſtior, poſtremus potentiſſimus, inuictiſſimus. *Dauid ſeipſo ſemper robuſtior, Dauide Salomon, Salomoni autèm dedit Deus latitudinem cordis, quaſi arenam*

in littore maris; istis latitudinem cordis & coronæ vsque ad littora maris; nàm (exceptâ Britanniâ quæ in mari sita) ferè omnia ista occidentalia regna præter Hispaniæ partem, & quasdã Italiæ prouincias, non sine potenti Dei manu deuicerũt, eademq; concessione occuparũt. Cur igitur istis Franci non dicerẽt vt Israelitæ *Dauidi* 1.*Par*.2. *Vos nos eduxistis, & introduxistis, eritis igitur nobis Principes*: & cùr nos non dicemus, *Hoc a Deo factum est*: sicùt *humiliatio domus Saulis, & exaltatio Dauidis*.

Vt autèm *Merouecorũ* deliquiũ & horum nẽpè a *Pipino Martelli* patre ad *Carolum Magnũ* profectũ distinctè sciatis, dicã paucis verbis Historicorũ. *Pipinus Ansgisi filius maior domus & dux Frãcorũ regnauit ãnis* 27. *cum Lodouico, Hildeberto & Dagoberto Regibus*, inquit *Hermãnus* cõtractus *Chronic*: *in ann. dom.* 688. Vbi notandũ est, quòd hic regnâsse dicitur viuentibus illis. *Dagoberto succedit Hilpericus, qui & Daniel*, (de quo ambigitur sed vt nõ temerè creditur) *Sacerdos ignotæ* si nõ ignobilis *prosapiæ*. Cùr igitur istos perstringitis ecclesiastici, cùm eorũ cõniuentiâ ad ipsũ sceptrũ aspirâstis?

Mortuo Hilperico, Theodoricus Dagoberti filius

lius Rex efficitur a Carolo Martello Pipini filio: iſte Carolus Principatũ tenuit annos viginti ſeptẽ, regibus interim in Francià; ſed paruâ dignitate regnãtibus. Martello ſuccedunt filij Carolomãnus & Pipinus, qui ſimùl præerant annos ij. Carolomannus poſteà religionem ingreditur, & fit Monachus vndecimo ſui principatus anno. Pipinus igitùr in totum regni onus & adminiſtrationẽ ſolus ſuccedit; ſecũdũ leges autẽ *par eſt vt ſentiat honorem qui ſentit onera*: Rogante ideò populo, conſulente (ſecundũ quoſdam) approbante Pontifice, & annuente ſeipſo, fortaſſè petente (& quidni? cum Præſules *Epiſcopatum ambierint*: & licitè hij quoque nam *bonum opus deſiderant*) regio titulo ac diademate decoratur. De *Childerico* quid referã? maiores ſtupidos ſocordiâ & inertiâ vicit. An Regẽ dicam? Scenicũ quemuis potiùs Regẽ dicerem quàm hunc (ſi natalia non ſuſpicerẽ) nàm ſemèl tantũ in anno prodibat cothurnatus tanquã in ſcœnã, alio tẽpore ſolùm hominis vultum, non regis habuit. Ex ſeipſo vix autèm os hominis: nàm monedulæ inſtar, ori eius verba ſuggerebãt verba aliorũ; Claudiano illo ſtipite magis bardus *cui nihil in pectore niſi inditũ, nihil*

in ore niſi Iuſſum. Domi igitur, inquit hiſtoricus, *ſempèr deliteſcens cum imperio, ad verã monaſticã vitã ablegatur ſine imperio*. Hoc autèm a Pontifice niſi per modum conſilij factum néc fuiſſe, nèc oportuiſſe euincã.

Primò dico Pontificẽ *Chilãericum* Iure Põtificio non depoſuiſſe. Secundò, conceſſã quã petunt in Reges poteſtate, vt hunc tamèn Regem deponeret, Papæ nèc licitũ fuiſſe nec profuiſſe. Quod ad primum attinet, verbũ ſat erit: ſi a Pontifice, tùnc exauctoratus erat intuitu Eccleſiæ ſiue ob bonũ ſpiritale, & non Reipublicæ ſiue ob bonũ ſeculare. Hoc antèm qui affirmauerit, auſim dicere, eum nec quid ſit Eccleſia, nec quid Reſpublica nouiſſe, neq. quid de eius abdicatione tradidere Hiſtorici: nàm omnes eum abdicatũ, (nullâ habitâ Eccleſiæ ratione, imò ſine vlla eius mentione) *quià regno erat inutilis, oneroſus*, volũt. Hoc probari poteſt ex Scitis (ſi dicere liceat quæ inſcite in Canonẽ redigũtur) ipſorum Pontificũ, etiàm *Gregorij*. 7 lib. 8. epiſt. 21. & 15. q. 6. c. Alius. Vbi dicit *eum a Zacharia depoſitũ quià erat inutilis tantæ poteſtati*, nẽpè tẽporali, nã eccleſiaſticã ex mẽte *Gregorij* nullam habuit. Conſentiunt igitur ei regnum

regnum fuisse abrogatū triplici intuitu, sc: ratione illius socordiæ, alterius meriti, publici siue gētilis honoris & cōmodi. 1. Quia omnino excors nulla negotia gerebat aut vt intelligeret curabat; sed vt dixi ad Ius aut administrationem vnius ciuitatis, pagi, familiæ, hominis prorsus ineptus, *solùm semel in anno Comitijs æstiualibus*, sine strepitu & sine spiritu, more statuæ *seipsū populo ostentabat*, veriùs ostentabatur. 2. quia *Pipinus* & eius Antecessores onus sceptri diù portauerant sine debito honore: at naturale est, legale est, morale est vt ei cederet honos, qui a lōgo tēpore successisset in onus vt rectè in causa a proceribus consultus, iudicasse & respondisse fertur *Zacharias* Pontifex. 3. quia in Rege decor & splendor populi, *origo humanæ felicitatis* (vt vere Cyrillus si saniter intellectus) iste autem & nonnulli antecessorū totius Regni dedecus: nam, vt non temerè Cardinalis *Bellarminus* de *S. Pontif:* lib. 2. c. 17. *laborabat Gallia propter illa monstra apud omnes nationes grauissimâ infamiâ, & regnum innumeris replebatur dissentionibus*, sed non Ecclesia neque interim de Ecclesiâ vlla mentio.

Cyril: de rect: in chr: fide.

Secundò dico, concessâ quam volunt in

Reges poteſtate, non potuit tamèn Pontifex hunc Regem iure deponere, ob duas rationes. 1. Pontifex non poteſt Regem exauctorare, niſi quatenus autoritas eius ei officit, quo minus munus ſuum paſtorale exequatur, aut (ſecundum ipſos eccleſiaſticos) niſi quià per Miniſtros, & Officiarios eius ſeculares ei commodè non ſubuenit in illius executione; *Childericus* autem ei non fuit impedimento quin ad placitum ſpiritalia, & omne ius eccleſiaſticũ, eo non obſtante, potuiſſet adminiſtrare. 2. dici non poteſt eum Papæ per officiarios non ſubueniſſe, aut ei opem conducibilem non ſubminiſtrâſſe, dum *Pipinus* & alij proceres probi & orthodoxi (Põtificis dicto audientes) in omnibus præerant. Primò igitùr ſi Pontifex Regem ſe iure ſuo liberè vti permittentem deponeret qui principes eius iram declinabunt? Melior tamen eſt cauſa *Childerici*. Secundò, ſi principes iura eccleſiaſtica non violando, ſed in omnibus Pontifici cedendo, eius tamen vindictam non vitabunt, quis hodie aut deinceps a pæna tutus? Potior tamen eſt cauſa *Childerici*. 3. ſi gladius eius contra amicos, obſequentes, opitulantes exeritur; fatalis eſt,

est, ineuitabilis est, & iste (si rei ecclesiasticæ habetur ratio) est casus *Childerici*. Neque est eius inertia suggillanda; nam Rex prodest cui ministri & famuli regis prosũt.

Secunda ratio est, Pontifici non profuisse vt *Childericum* exauctoraret, igitur non licuisse, nam ideo data est ei potestas. Et clara est; in reliquis enim Occidentis, etiàm Europæ partibus res & rationes ecclesiæ nullæ, tenues, aut infirmæ erant & languidæ; in solâ Galliâ sub *Childerico* validæ & vegetæ. Vos historici probe nostis, nec opus est monitore, sed tardioribus & imperitis destinatur istud opus. Germania eo tempore vix Deo dicata, non Christiana, aut saltem semi-christiana; (nam *Deo pariter ac Dæmonijs libabant*) nostris Monachis Apostolatum suum inchoantibus. In Angliâ Ecclesia varie iactata ratione publicæ cladis, exteris, etiam ipsis Regibus omnia bello ac rapinis mutuis infestãtibus. In Hispania pene omnia perdita, qui inibi Christiani Galliam petunt tanquàm Asylum; in Italia ipsi Pontifices miserè vexati, nec minùs iura ecclesiastica violata a *Luitprando*, *Aistulpho*, & Longobardicæ factionis proceribus; solùm in so-

là Galliâ ſub *Childerico* pax alta, hunc tamen regno mouent, idque vt moderni volunt *ob religionẽ concuclatam & diſſipatam.* An audiendi hij cenſores? ſed quomodo diſſipata? *propter eorum, ſcilicet Merouecorum inertiam Religio in Gallijs ita laborauit vt penè extincta ſit. Bellarm. de S. Pont. l. 2. cap. 17.* Hoc & quæ a me ſuperiùs poſita vix cohærent, verùm propter autoritatem, & dignitatem dicentis cedam. Sed vnde patet? ex epiſtola *S. Bonifacij ad Zachariam Pontificem. Per annos circitèr octoginta in Francia illis Sardanapalis regnantibus nullam Synodum fuiſſe celebratam, eccleſias epiſcopales a laicis & publicanis poſſeſſas, clericos quatuor, aut quinque concubinas habuiſſe:* Sed horum Immemor temporum quid culpas quos arguis? quod ſynodi & concilia tunc omiſſa? nunc miſſa ſunt & verentur perplurimi, ſi res Pontificibus maneat integra, finita ſunt. At eccleſiæ laicis patebant & *Clerici* concubinas alebant? cuius hæc culpa, Regis an Pontificis? certe pontificis: nam ex mente veſtra hæc omnia ſunt iuris Pontificij, nec quo minus iure ſuo vterentur prohibuit *Childericus*, aut præfecti Aulæ qui in omnibus præerant. Sed rem omnem

nem teneo; *Clerici* & Iura ſacra eo tempore ſub regia erant poteſtate; ideo hoc vult noſter *Bonifacius*, opus eſt alio Rege & munus ſuum callente vt Synodos indicat, vt epiſcopatus conferat, vt clericos concubinarios coerceat, qui tunc iuris erant regij: quod verum effatum eſt, ſed eos *Carolus* libera emiſit manu, quædam priuilegia priùs non conceſſa ſanciendo. Hæc igitùr contra vos ipſos adfertis, in poſterum tacete, Ius principi in conſilijs & ſynodis indicendis & conuocandis ex mente *Bonifacij* concedite, ſi in morâ aut culpâ fuerint eccleſiaſtici, finita lis erit, & ego paritèr tàcebo.

Caput Sextum.

De obſequio Regibus debito, & multiplici eius obligatione.

Forensia linquam & reuiſam ſcholam. Duo ſuadent. Ipſa Anglia dulciſſima patria, vbi Iuri communi non viuitur; & ipſe Clerus cui Ius commune non viuit: ab vtroq; periculum nimio obtentu Iuris politici, ſed ab vtroq; adminiculum modico interuentu Iuris ſacri. Cõtraham omnia

nia quàm breuissimè; Vos Theologi estote faciles. Varia sunt officiorum debita quibus ad inuicem sumus obligati, & quibus societas humana quasi manu tenetur, imò colitur. Horum secundum Theologos quædam sunt *minora*, quædam *maiora*. Minora appello quamuis magna, respectu maiorum, magna dico quia sine istis moni probitas ac decus ciuile commodè seruari non potest. Minoribus ex congruo satisfieri potest: & tamèn vt fiat satis, non aliquâ strictâ aut legali, sed morali tenemur obligatione. Alterius verò generis debita sunt adeò magna, vt illis ex communi Theologorum & Iure-consultorum mente, iustum obsequium vix redditur, & tamen obligamur stricto iure. In minoribus non censetur debitum regale quâ regale, quià par non redhibetur: sed in maiorum singulo aut ex naturâ debiti, aut ratione extrinsecâ. Vnde primò vos monitos vellem, nullũ obsequium Regi debitum esse adeò leue, vt illi possimus facere satis, neq; adeò liberum, quin stricto iure adstringamur. Minores obligationes numerantur sex: prima est gratiudinis; respicit hæc debitum ex beneficio accepto natum; & re-

penditur gratiarum actione, obsequio congruo, vel alio beneficio. 2. est veritatis, cuius est curare vt sit conformitas & consensio linguæ, mentis & externorum signorum, sine mendacio, sine ambiguitate, sine æquiuocatione. 3. est mutuæ defensionis; præcipua huius ratio est, vt damna impotenti illata propulsentur, & vindicentur; & adeò necessaria est, vt absq; hac pauperes citò deficient: ideò omnia iura causis pauperũ patrocinãtur aut vt dẽtur patroni cauẽt. 4. est amicitiæ, in quâ cauẽda est adulatio, & ratione cuius vitãtur iurgia & litigia. 5. est liberalitatis, quâ tenemur subuenire inopiæ alterius secundum copiam & facultates nostras. 6. est æquitatis quâ iubemur ius nostrum secundum rationis dictamen, & sine rigore persequi.

Maiora debita sunt altioris gradus, & ad exhibitionem strictiùs tenemur: inter quæ habentur obsequia regi præstanda; & similitèr obligamur sex modis. Prima obligatio est obseruantiæ. Secunda, obedientiæ. Tertia, pietatis. Quarta, strictæ iustitiæ. Quinta, fidelitatis. Sexta, religionis. De quibus breuitèr sursum-versus protedẽdo.

Prima est debitæ Regi obseruantiæ. Placet

cet *Augustini* definitio: *Obseruantia est per quam homines aliquâ dignitate antecellentes cultu quodam & honore dignamur*, l.83.qq.q. 31: Celsiori itaq; maior debetur obseruantia; celsissimo maxima. In hoc Monte Solium Regis. Vnde Apostolus & Pontifex, primò *Deum time*, proximè *Honora Regem*, 1.*Pet.* 2. & Apostoli discipulus, *Nèc enim rege quisquam præstantior, aut quisquam ei similis in rebus creatis*: *Ignatius* epistola 10. & tertius; *Rex omnibus maior est*: Tertul. in *Apol.* & *honore quolibet sublimiorem habet dignitatem vt dixi* ex Agapeto.

Ratio istius debiti duplex est. Primò debetur ratione dignitatis ac excellentiæ, & sic cuiuis Regi. Secundò ratione gubernationis, quæ maxima & suprema est, & sic a quolibet Regi suo. Similiter istud debitum duo spectat, famam Regis & honorem Regis; quorum violatio quoad pœnam aliubi & aliubi varia, sed vbique capitalis. Et æquũ censent Theologi: imò *Sotus lib.*4.q.6.art.3. *Famam illustris familiæ esse cum periculo vitæ restituendã* proponit, ego itaq; subsumo. Detractio est minus peccatum quam contumelia, & fama est minus bonum quàm honor; Si quod minus

nus est sit cum periculo vitæ restituendum; tunc a fortiori, quod maius est. Si quod minus est in illustri familia, tunc multò màgis quod maximum est in familiá regis, maximè in ipso Rege; nam quod minimum est in Rege, honori maximo alterius præponderare nemo ambigit: æquissimum igitur est læsionem Regiæ Maiestatis capite sempèr plecti.

Secunda est obedientia. Obiectum istius debiti sunt Edicta & statuta Regis, Ad hoc debitũ generatim sumptum strictiore iure tenemur, quàm ad obseruantiæ, & tamèn sæpè sub minori pœna. Ratio prioris est *quia legibus viuitur*, & *in legibus salus ciuitatis*, vt *Arist. Rhet. lib.* 1. *c.* 3. ideò ad eas strictiùs obligatur. Ratio posterioris est, quià in pœná non sempèr spectatur dignitas mandantis, sed res mandata; aliás Reges iure iniquitatis arguere possemus, si pœnam vltimam ob nouissimum delictum decernerent. Hic vix me comprimo, quin illud delirium stupidum & protritum *peccata esse æqualia* pedibus (literis indignum) conculcarem: nàm quod in regibus meritò damnandũ arbitramur (si in legibus sempèr ipsorum dignitatem, & non delicti grauitatem,

grauitatem, aut leuitatem spectarent) hoc æquissimo deo imponimus; sed nimiùm leue hoc & futile est, vt eiusdem generis alia quibus eâdem illuuie inundamur, ego progrediar.

Ad hoc, vt dixi, debitum strictissimè tenemur, etiàm Rege contraria mandante: quâ in re potestas regia diuinæ assimilatur ab *Augustino, l. 3. Confess. c. 8. Regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid quod nèc ante illum quisquam, nèc ipse vnquàm iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, imò contra societatem non obtemperatur.* Illud igitùr a Romano probatum probo & defendo, *Principi non solùm iuxta leges, sed legibus ipsis imperare; cùm fuerit conducibile, licet. Plutarch in Flamin.* Hoc autèm principi ecclesiastico non conceditur: ideò si eorum constitutiones hoc non gerunt frontispicium, *Nos antecessorum nostrorum vestigijs insistendo*, &c. auctoritas earum hæret; vndè quia *Gregorius 7.* in cap. *Nos sanctorum*, vestigijs priorum non insistendo deuiauit, & nouum ius edidit, (nempè subditos a ciuili obedientia liberando, quod ante eum in tali casu antecessorum nemo) ideò sententiam eius iure non

non màgis validam arbitramur, quàm *Desiderius* Abbas Cassinensis eius successor Canonem Synodalem *Nicholai* 2. cum consensu ipsius *Hildebrandi* Archidiaconi editum; in quo statuitur, ac præcipitur expressè, *vt non pro Papâ habeatur, sed vt deponatur, & anathematizetur, quem Imperator non approbauerit.* Quem Canonem nouum isto tamèn antiquiorem iure inualidum duxit, eo quòd *Nicholaus*, & Archidiaconus priorum statuta non tenendo, ac sequendo illicitum ius *neq; Papæ, neq; vlli episcopo aut Cardinali vnquàm concessum adrogauerant*, vt refert *Baronius Tom.* 11. *Ann.* 1083. *ex Leone Ostiensi.*

Scitè itàq; Imperator *Principem Deus misit legẽ animatam hominibus.* Nouel. 105. Sect. Subiaceat, de Consulibus. Expendamus, si placet, vim istius oraculi. Primõ *Deus misit Principem*, igitùr ei tanquàm Deo obtemperandum, eadem, vel noua, vel contraria mandanti, vt anteà ex *Augustino.* Quid an in omnibus, & contra mentem Pontificis? imó indubitantèr in omnibus quæ Iuri diuino, & eius æquitati non obuiant; nàm maiorem autoritatem non habet Pontifex in Regem secularem, quàm

in

in Legem ſecularem. Quod autèm leges ſeculares irritas facere non poſsit, *niſi quatenùs diuinis & canonicis obuiauerint*, communis ſententia eſt, & habetur apud *Gratianum*, c. *Suſcipitis* d. 10. Sequitur igitùr a paritate rationis: ſicùt edictis ac legibus ſecularibus ſempèr parendum, & in omnibus iuri euangelico, & canonico, non obuijs, & eá tantùm parte vacillant quá peccant; ſic ſeculari Regi ſempèr, & in omnibus ſupradicto iuri non contrarijs, quià ipſe Lex eſt, & ab *iſto Lege*, manant & valent reliquæ. Regem igitur totalitèr exauctorare pontifici temerè datur, quia in eo tantùm eius autoritati ex æquitate & iuſtitiâ derogatur, in quo deficit, in alijs autèm manet ſalua atq; integra: nám ex dictis rectè ſequitur, ſicùt Pontifex non poteſt leges reſcindere, niſi quá peccant ex altera parte manent validæ; ſic nèc Regem exauctorare, niſi in quibus delinquit, in omnibus verò alijs ius eius manet firmum, & inconcuſſum: & hoc omnibus ſani iudicij, & probatæ doctrinæ hominibus auſim dicere eſt indubitatum. Rectè igitùr *Leſius, princeps etſi tyrannice regat, tamen manet princeps & ſubditi in rebus licitis* (quod ſolum

lum nos volumus) *tenentur Iure diuino ei parere etsi maximus* esset tyrannus vtpote qui Ecclesiam persequeretur & ad impietatem cogeret vt dixi superiùs. Vnum est quod opponunt; sed futilis est fictio, non iuridica sanctio: at iuridicè non secundum allegata aut ficta, sed probata proceditur, definitur: præsertim in tali lite, in qua succumbere est regno cadere.

Secundo, Lex est, ideo ligat; ad eius igitur mandata stricto iure obligamur. Sed quid si summus Pontifex expressè prohibuerit? ei nihilominis in secularibus parendum; nam Lex est, & hunc *Legem Misit Deus:* atq; de hoc non ambigitur. Sed quid si ex Diametro in vnà eademque re contraria sint eorum edicta? cui obtemperandum? Pontifici, an Regi? Si ciuile mandetur, aut ciuilia poscantur, itidem Regi, nam in ciuilibus ipse Lex est. Sin minùs, Pontifici; nam in spiritualibus & diuinis ipse legis Interprès est. Sed quid si verba legis aut edicti sint obscura, aut res ipsa dubia; in re dubia cui auscultandum? Si ambiguitas sit in verbis Regis, similiter Regi, vt ostendam clarè.

Tertio, *Lex animata est*, Anima & Vita

Legis est *sensus legis*. Hic autem a Rege ipso petendus, & non ab alio; Quis enim nouit mentem Regis præter ipsum Regem. *Qui vero contra mentem Regis peccat, non minus peccat quam qui contra legem*, neque minùs *qui Legis verba amplexus, contra legis nititur voluntatem*, vt *L. non est dubium. C. de legibus & c.* 88. *de Reg. Iuris in sexto*. Legis autem voluntas a Principe latore petenda est, & non ab ipsa lege: *Lex enim Princeps mutus est*, Princeps vero *Lex loquens est*, ideo sic dictus quia mentem suam ac legis suæ exprimere solet. Sensus igitur edicti regij, vt in casu Anglorum, non a Cardinale *Bellarmino*, aut a summo Pontifice petendus, sed ab ipso Rege, qui mẽtem suam explicare ac evulgare non dedignans, non semel se suo edicto tantummodo *ciuilem subditorum obedientiam*, & in causis merè temporalibus poscere serenissimè fassus est. Vnde miror quâ fronte Illustrissimus Cardinalis, etsi verba aliud sonarent, vt reuerà non sonant, si nudum corticem spectemus (quod in me contra quemuis recipio) tamen postquam verbis clarioribus deditâ operâ mentem suam declarasset Maiestas Regia, toties hoc edicto

spiritale

ſpiritale ius a B. Petro *& ſucceſſoribus auferri, &* Henrico 8. *& Angliæ regibus deferri* ingeminaret, *& hoc iuramentum verbis obſuccrioribus eſſe formatũ, & per ambages circumlocutionum ad decipiendos incautos propoſitum.* Nam admittamus quod ipſa verba ſint obſcura, & variâ ambiguitate implicata, tamen adhibita & promulgatâ Regis voluntate, vlteriùs non ſunt obſcura aut dubia, ſed clara & perſpicua, & ad mentem Regis interpretanda; non obſtante quacunque Cardinalitia commentatione, aut Pontificia declaratione.

Quid igitur ſi Papa ſereniſſimum *Iacobum* ſententialiter deponeret, & ſubditos ab eorum obedientia liberaret? fidem Regi in ciuilibus nihilominùs ſuaderem: Et interim hoc iuramentum poſſe præſtari non cunctanter aſſero. Sed an Pontifice vetante? quid ni; modò iuſſerit Rex cuius in ſecularibus præponderat autoritas teſtantibus *Innocentio & Panormitano, in cap. Inquiſitioni de ſent excommunicationis.* An hoc novum, Regi ſub ſacramento fidem & obedientiam polliceri, Pontifice prohibente, arbitramini aut iniquum? neutrum dicendum aut ſtatuendum: docebo paucis.

Non novum; nam præstiterunt Colonienses *Philippo* Imperatori, contra Bullam *Innocentij* 3. *Naucler. vol.* 3. *gen.* 41. Nec novum, nec iniquum; nam in ipsa Anglia hoc factitatum ipsi nouimus, & non a plebeijs, aut hominibus Iurium Ecclesiasticorum aut secularium ignaris, sed ab omnibus in eodem regno Episcopis. Cum enim statuerat *Henricus* secundus filium suum in Regem seipso superstite ritu Catholico inaugurari, & octavâ Pentecostes coronationem indixerat, interdicit per Breve suum *Alexander* tertius. Quo ad Regem perlato, vehementer excanduit: Episcopos conuocat, quid facturi sint scisitatur? Respondent non gravatè, se nolle Pontifici in iure regni obedire sed *Henrico*, eumque suum regem ac dominum agnoscentes se ei parituros iuramento firmant: & filius proximâ *Iohannis Baptistæ* natali, auspicante Archipræsule Eboracensi, Breui non obstante coronatur. (Atque hoc ab eis præstitum, dum regem propediem anathematis gladio feriendum expectabant.) Si nostris Annalibus non creditis, saltem Cardinali *Baronio, Tom.* 12. *An.* 1170.

2. Nos

2. Nos igitùr paſtorum noſtrorum fidem ſequendo, Regiam in Temporalibus Pontificiæ autoritati præponere didicimus; & tamèn ſi cauſæ conferantur, ſumus ſuperiores: Potior eſt enim opinio & Iuri conformior, coronatum non poſſe exauctorari, quàm invnctum debere coronari; nam melior eſt conditio poſſidentis. Sed omnes illos illuſtres Præſules (quorum ſempèr ferax Anglia) ab obſeruantia eccleſiaſtica & pietate ſpiritali deſciuiſſe dicemus? etiàm Londinenſem, & Herefordienſem, epiſcopos doctos, ſanctos, & Iuris Pontificij ſtudioſiſſimos? temerariæ mentis eſt, nonſanæ, non Anglicanæ, non Chriſtianæ.

Sed vultis probitatem & mores noſtros diuino teſtimonio comprobari? ecce clariſſimũ. *Frederico* 2. ab *Innocentio* 4. oris fulmine depoſito, & ſubditis ab obedientia liberatis ſublimatur *Henricus*, prænobilis quondam Thuringiæ & fœlix dominus; ſed poſt animum ante diem in Imperiũ inquirentẽ nec fœlix nec dominus. Reuklingenſes in nouũ iſtum Imperatorem non conſentiunt, neq; obſequiũ exhibent; ratio poſcitur? *quia Frederico erant adſtricti Iureiurando* reſpondent. At relaxauit Pontifex, replicant *Henriceani*

riciani? sed frustra, nã imperatori, non pontifici in Iure Imperij obediendum censent ciues. *Henricus* igitur quos verbis non flectere, verberibus aggreditur plectere, ciuitatem obsidet, ciuibus Imperiũ eius declinantibus, & deditionem facere negantibus famẽ, crucẽ & extrema quæq; minatur. Ciues præpotenti principis manu prægrauati & miserijs vndiq; vallati, fidẽ tamen vsq; ad vitæ exterminiũ animis cõstantissimis colunt: sed quorsum hoc; cùm non supersunt media aut remedia quibus seipsos sustentent aut fidem ad meliora seruent? imò pijs & fidelibus supersunt, si cœlos & cœlites suspiciunt; ideoq; Reuklingenses mundanâ spe, & omni humanâ ope orbati, ipsum deum, mediante Diuâ virgine adeunt & vota faciunt. Sed quid deum aut Diuam virginẽ precantur Impij & schismatici? vindicta diuina, non auxiliũ eos manet, qui spretâ summi Pontificis sententiâ execrato studento laruæ: autor vtriusq; potestatis Deus, vtriusq; cultores suscipit; istos miſellos ob eorum eximiã fidem, eximio dignatur patrocinio: *nutu diuino obsidio solvitur, ciues liberantur, & vota soluũt*. Et soluã ego deo, *Cæsari*, Religioni debitum isto adcentu;

Naucl. vol. 3. Gen. 42.

quia

quid potuit facere Deus, vt voluntatem pandat suam, Coronæ sanctitatem, sacramenti mysterium *quod non fecit*, dum hos propter meritum sed contra spem liberauit, Cæsarem contra meritum, & propter solã maiestatem propugnauit, de quo plura alibi.

Tertia obligatio est *pietatis*; in sequentibus cõprehensiùs agam. Istud obsequiũ debitũ est & ordinatum sicut cætera, sed alio intuitu. Debitum est, dum inspiciuntur *munia Regis*, tanquam patri dignissimo & cõmuni, hinc elegans hæbreorum etymon, *Abi-melech*, pater meus Rex; & tanquã publicæ Rei cõseruatori & fratrũ custodi, hinc græcis apte dicitur princeps πατὴρ λαῶν. Ordinatum est dum inspiciuntur *merita Regis*; & hinc patet, quia in exhibitione istius obsequij cuiuis amicissimo, etiã coniunctissimo putà parentibus, imò mihi ipsi præfertur: nam si vitam principis aliter tueri non possum, nisi meipso pereunte, teneor oppetere necem vt eum eximã; ratio est, quià in maximo periculo maximum bonum sempèr spectatur: illud autèm est bonum, publicum, cui quoquisque vtilior, eo màgis est præferendus. Quis autèm ratione huius cum principe milleſimá vice est conferendus?

ferendus? atteſtante ſacrá ſcripturá *Vnus Rex pro decem millibus computatur*, 2. Reg. 18. 3. Vnde *S. Ambroſius. Primùm quæ ſunt poteſtati Regiæ debita exolue; quià maior in his cauſa & neceſſitas eſt*, in 13. ad *Rom.* In hoc feré omnes Theologi conſentiunt: nè autèm minus arrideat, vnum teſtabor, nempe *Leſſium*, qui in hac re mihi vobiſq; inſtar omnium erit, nàm piè ac doctè vt Theologum decet, elegantèr & apte vt Iuris Profeſſorem communem ſententiam, & omnem iſtam ordinatam pietatem complectitur. *De Iur. & Iuſt. l. 2. c. 9. d. 13. N. 3. Nemo tenetur tueri vitam hominis priuati cum probabili periculo vitæ ſuæ, etſi iure poſſit ſi velit, ratio eſt, quià non teneor exponere vitam meam, pro vita corporali proximi*, nempè priuati, (ideò teneor ex mente *Leſſij* pro vitâ regis) *poſſum enim vitam meam diligere prâ vitâ cuiuſuis alterius priuati* (Non igitur poſſum, neq; debeo, præ vitâ principis) *Vnde, neque pro defenſione parentis, quamuis illud eſt valdè laudabile. Secùs ſi perſona principis, vnde pendet publici boni conſeruatio, periclitetur.* Sed *Leſſius* ſolùm de probabili periculo; at ego dixi mortem oppetendam cùm periculum ſit certum.

Idem

Idem ille alibi non obscurè cap. eod. dub. 6. N. 32. *Potes injicere ignem in puluerem tormentarium ad euertendum turrim hostilem, etsi certum sit te momento dissipandum, &c. non secùs ac is qui se objicit telo vt corpus principis saluet.* Hîc periculum certum, & potest se obijcere, sed non tenetur : at in casu principis dixi *tenetur*? Et rectè, idcò priuatus, quod sæpè euenit, qui regi sibi ob vitæ periculum fugâ consulenti, aut in abditis latitanti famulatur, (vtroq; in extremis laborante) *si non superfuerit panis visi ad vitam vnius, tenetur alter seipsum fame perimere, vt regem eximat.* Quod officium pietatis probatur, & laudatur, *quandò alteri exhibetur, vt Victoria Relect. de Homicid. N. 26. Tolet. lib. 5. c. 6.* & alij: *Sed quandò necessitas & bonum principis exigit*, ex communi consensu quisque obligatur. *Possum meipsum a quocunq; inuadente defendere, & si aliter vitam meam tueri nequeo, inuadentem interficere conceditur, at si inuasor sit princeps teneor mortem perpeti*, vt diximus ex *Soto* & *Lessio*. Et ad hæc pietatis officia adstringuntur omnes subditi, quocunq; ordinis genere aut Iure distinguantur aut muniantur, imò quacunq; gradus

dis celsitudine fulgeant; etiam ipsa Regina, si non sit consors regni: Nam illa quoque aliquandò ob bonum commune in causa regis tenetur seipsam exponere periculo etiam morti, vt variè á Iurisperitis disceptatur, & à Theologis in foro interno iudicatur. Quibus consideratis manifestum est, nullũ periculum aut damnum posse Regi imminere, aut vllo modo attingere, nisi priùs transfixis & transfossis præcordijs & visceribus subditorum. Vos igitùr pietatem colite, Rex, vosq; salui eritis.

Quarta est strictæ iustitiæ. In hâc dissentiunt nonnulli Theologorum, *Feudatarios* & *stipendiarios* solùm ad hoc obsequium strictâ iustitiâ teneri asserentes, cæteros verò nõ. Sed errant planissimé iudicio Canonistarũ; pace verò eorum ex altera parte peccant illi: nàm non teneor Prælatum, Episcopum, aut principem ecclesiasticum, quatenùs ecclesiasticum defendere, nisi ratione pietatis aut obseruantiæ, sed teneor ad conseruationem vitæ principis secularis strictâ iustitiæ obligatione, & sic ad eius bonũ temporale procurandũ; ratio est quia ille tenetur eâdẽ obligatione me & omnes subditos tueri, suscipere, & nostro bono prospicere,

prospicere, & inuigilare. Cui satisfacit salutares & commodas leges condendo & promulgando; vt debitæ executioni incumbant subordinati cauendo: quandò æquitatis ratio postulat, iuris rigorem mitigando, & onerum grauitatem leuigando. Sed valdè iniquum esset, & contra omne rationis dictamen, superiores & principes strictiori obligatione teneri erga inferiores & subditos, quàm subditos erga principes. Quod Canonistæ aduertentes non dissident, sed ex altera parte peccant; nàm illi, subditos lege iustitiæ teneri defendere omnes superiores, tàm ecclesiasticos quàm seculares censent. Vt *Nauarr. c.* 24. *N.* 18. quod ob disparitatem rationis non videtur concedendum.

Quinta est fidelitatis. Hoc nomine intelligitur obsequium, quo quis quasi fide propriâ obligatur: ideò etsi ipsum obsequium sit iure naturæ debitum, tamèn modum exhibendi, vt hodiè habetur in praxi, moribus & legibus dicimus introductum. Nàm varius est ratione varij iuris & diuersæ obligationis tàm realis quàm personalis, quo quisque gaudet, aut qua quisque manet obstrictus. Omnes enim eodē modo

dem modo non tenentur: nonnulli a censibus & tributis sunt immunes, quidam ab indictionibus, multi sunt ipsi liberi sed fundi vectigales; quidam, quorum prædia sunt libera, ipsi tamèn non pleno iure emancipati. Quilibet tamèn, quod proprium est fidelitatis, tenetur ad recognitionem supremæ potestatis, & suæ subiectionis, qualiscumque sit. Nàm vt prius dictũ est, tria sunt autoritati principis omninò intrinseca, nempè ius præcipiendi, iudicandi, & puniendi. Vnde in tribus immunitas a subditis præscribi non potest, nempè *ab obedientia principis, ab eius correctione, & vt ad eum non possit appellari.*

Fidelitas, vt omnia paucis complectar, ad sex obligat. Tria priora omnibus communia, modò subditis; posteriora immunitatem admittunt, quâ saluâ, ab omnibus præstanda. Primum est vt principem agnoscant, & sempèr pro instanti occasione eius supremum dominium recognoscant 2. vt damnum non inferant. 3. vt inferentibus non cooperentur. Vt autèm indemnitati ipsius Regis ac eius rebus sempèr consulatur, potest quis damno (alio inferente siue exequẽte) co-operari sex modis, positiuè,

positiuè, siue deditâ operâ; nempè iubendo, consulendo, consentiendo, palpando, recipiendo, participando. Et tres sunt qui co-operantur omissâ operâ siuè priuatiuè, mutus nempè qui non impedit cosulendo, monendo, arguendo; non obstans, non manifestans: duo posteriores tenentur officio & fide, alter fide tantum; in istis vt rudiores erudiantur operæ pretium est. 4. est, vt leges municipales pro ratione ordinis & loci seruent 5. vt seruitia exhibeant. 6. vt onera ferant.

Sexta obligatio est Religionis. An igitùr Rex diuino colendus honore? absit, ethnicum illud est: sed qui priùs iura regalia violando absolutè maiestatis regiæ postulabatur; Secundò tenebatur diuinæ quatenùs ordinationi Dei restiterat. Nùnc accedente iuramento directè irreligiosus, & diuini numinis violator habetur.

Sed in materia Iurisiurandi (precipuè in causa principali) duo obstant quæ momentum habent: saltem ex autoritate opponentis, vtrumque in instanti Anglorum casu expediam. Dixi Iuramento Anglis proposito iura Pontificis spiritalia non impeti. Duo contrà afferuntur ab Illustrissimo

ſſimo Cardinale. Primum in iſtis verbis. *Hic apertè negatur ſummo Pontifici poteſtas excommunicandi Reges, etiàm hæreticos.* Secundum ex iſtis verbis Edicti. *Et quòd nèc Papa, nèc alius quicunque poteſtatem habet me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi*: vnde Cardinalis, *qui paullò antè iurando negauerat poteſtatem ligandi in ſummo Pontifice idem nùnc poteſtatem ſoluendi negat*, putà ab hoc *iuramento* de quo nùnc quæritur.

Ad primum reſpondeo, quomodò apertè negatur quod de induſtria omittitur, imò tacitè conceditur? Non negamus igitùr Pontifici poteſtatem excommunicandi, neque negant ipſa verba iuramenti, nam ſtante iuramento, plenum ius ei concedi poſſit. *Verùm non obſtante excommunicationis ſententiâ factâ vel conceſſâ, aut faciendâ vel concedenda &c. fidelitatem tamèn & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis præſtabimus, ipſumque & ipſos totis noſtris viribus contra omnes conſpirationes & attentata quæcunque contra perſonam illius &c.* non minùs quàm ſi excommunicatus non fuiſſet. Et æquum eſt; nàm excommunicatio priuat bonis

ſpiritalibus;

ſpiritalibus; ius autèm Regni, & defenſio perſonæ contra conſpirationes & proditiones, temporalia ſunt, & validitatem excommunicationis non eneruant; nèc excommunicatio Ius principalis debiti. Ratione excommunicationis extra eccleſiam & extra ouile eſt; ideò iurè excommunicatus, Iurium eccleſiaſticorum & euangelicorum non erit particeps, ſed non regni & mundi exors. Temporalibus igitùr non priuatur; nàm iſta regibus & mundanis maxima ex parte & proprijſſimè communicantur: ratio eſt, quià mundana ſunt, quæ illi ſolùm ſapientes bona potiora & cæleſtia negligunt; negligentes amittunt.

Sed vnà cum ſententia excommunicatoria ſimul declaratur *a Pontifice hunc Regem eſſe regno priuandum*; quo ſi nihilominùs gaudeat, *Pontificia declaratio*, vt inquit Cardinalis, *contemnitur*? ſaluâ vtrinque reuerentiâ non minus contemneretur Regia, ſi in Gallijs aut in Hiſpanijs vnà cum ſeculari negaret ſummo Pontifici Iuriſdictionem eccleſiaſticam: hoc ferendum à Rege cur non illud a Pontifice? *patere quod victor tulit*. Sed reuerà Iura diſtinguimus, nullius contemninus; & idcircò cum reg-

no

no gaudere temporale sit, Regi istius ius plenum, sicùt in ecclesiasticis Pontifici facimus. Et hoc est quod primò posui: Isto Iuramento nihil spiritale Regi concessum, sed tantùm seculare, nempè regnum cum plenitudine iuris. At hæc potestas deponendi a priori pendet, & ex concomitantiâ valet: igitur qui hanc abrogat, illam minuit? commentum recens, & recèns a *Becano* refutatum. *Est distincta pœna, & distinctâ lege irrogata, De fide hæreticis seruanda cap.* 8. excommunicatio vi suâ hanc pœnam non irrogat, nèc irrogare potest, *Non potest hunc habere effectum*, vt recte *Suarez. Tom.* 5. *disp.* 15. *sect.* 6. *N.* 3. Horum assertioni scepticæ Iungamus aliorum fidem & mores practicos: Ego decursum mille & octoginta annorum perlustraui; vnum depositum, non autèm excommunicatum, multos excommunicatos sed horum neminem regno aut seculari dominio priuatum deprehendo, neque tamen vllum Pontificum de parte sui iuris amissa expostulasse constat. Hi annos quingentos posterioris & prauioris seculi, quatuor si ipsis credimus proferunt, quos (postquàm aut simulatque Pontifices excommunicassent)

deponedos

deponendos expoſuerunt, & hinc ius aſtruunt, Eccleſiæ praxim venditant, & quamuis vt Cardinalis *de modo poteſtatis Theologi & Iure-conſulti diſputent aut diſſentiant, de reipſa tamen conſentiunt ideoque negare hanc poteſtatem ſummo Pontifici, aut Principem excommunicatum non ſemper deponendum* affirmare, non eſt Catholici ſed Schiſmatici; & (eò proceſſit quorundam temeritas) hæretici (etiam nonnullorum inſania) deliri idiotæ; nam ratione excommunicationis eum ad ſceptrũ & omnem Iuriſdictionis habilitatem ineptum & imparem, quia eſt tanquam Ethnicus faciunt: quaſi vero Chriſtiani non teneantur ſubeſſe & obedîri Ethnicis, aut quia *quaſi Ethnicus* non poſſit eſſe Rex, cum ipſi Ethnici ſunt Reges. Tolet. l. 5. c. 13. de Inſtruct. ſacerd.

Ad ſecundum reſpondeo. Iuramentum eſſe obligationem religioſam fatemur: ideoque ſolus ille qui præeſt in ſpiritalibus poteſt hoc vinculum ſoluere, ſed non ſemper, *Tunc meo Pontifex periurio eris*, vt rectè & argutè Ethnicus. Et in hoc quo tantopere gloriamini, non eſt difficultas. Nihil notius eſt in toto Iuris ſyntagmate, quam Iuramentum ſemper eſſe acceſſoriũ, Plaut. in Rud.

& ſequi naturam principalis: atque in hunc ſenſum eunt Theologi cum D. *Thoma dum ad hoc non ſe extendit diſpenſatio aſſerunt, vt aliquid contra Iuramentum fiat ſed vt id quod ſub iuramento cadebat, ſub Iuramento non cadat quaſi non exiſtens debita materia Iuramenti.* Si igitur Pontifex non poteſt liberare ab actu principali, nempe ab obedientiâ & fidelitate, ſuper quâ fundatur iuramentum tanquam *debitâ materiâ*, neque ab ipſo iuramento. Exempli gratiâ. Subditi in Gallijs iurârunt Regi fidelitatem; non poteſt Papa hoc iuramentum reſcindere, quia non poteſt eos ab obedientia liberare. Non autem poteſt eos non eximere, quia ſereniſſimus Ludouicus *minor* eſt, aut quia *Catholicus* eſt, ſed quia Rex eſt, ſui iuris capax eſt. Secus in caſu *Childerici*; nam libenter ſi fieri poſſit populum & proceres gallicanos omni culpa exueren, ideo rectè & cautè ab illis factum ad omne ſcrupulum pectorale eluendum non nego, quòd a Pontifice iuramenti petebant laxamentū, quia *Childericus* omni poteſtati impar erat; nec *Iuramenti debita materia* nolo Regē qui non ſit rector actu aut potentiâ. Hoc tamen magis ad abundantem,

tem, vindicam, laxa-nimitatem, quàm necessariam cautelam factum aio: Nam *cum principalis causa non cõsistit, ne ea quidẽ quæ sequuntur locum habent. Reg. Iuris 72. in Pandect. Flor.* Sed si sempèr liceat Papæ quando rex non est Catholicus subditos Catholicos ab eius iugo asserere, ô beatam in terris ecclesiam quæ talem nacta est rectorem, qui pro concessa vtriusque iuris plenitudine potest eam a rege quocunque non pio, non Catholico vindicare! Quid tu Christe Domine eam *vagientem, pressam, & coram regibus tractam* fore prædixisti? fortasse eius infantiam delineasti; nos enim grandiores facti eam ovantem, & regibus minitantem deprehendimus? Nunc si fideles hæretico, schismatico, aut impio paruerint, hoc culpâ tui vicarij accidit, qui ijs non prospicit; et si forsan iugo ethnicorũ premantur, Tu quoq; ei, si istis credimus, *in Ethnicos & externos potestatem contuliſti, quatenùs noxij fuerint*, (Nec deest verbo vis) ille autẽ tuos ac suos contra potestatem sibi creditam ac concessam sub iniquis misèrè affligi patitur. Sed cur tu, indulgentissime Domine, hanc oecumenicam iurisdictionem, quo minùs

pateret, sermone inuoluto occultasti? & cur claues vtriusque regni delegans, cœlestis palàm concessisti, claues vero terreni subticuisti? fortè ne Apostolis aut priscis Pontificibus (quos imperio tua sapientia non destinauerat) suboleret? Fatemur vt verbum tuum impleatur, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*, Mat. 13 11. at non regni terrarum; hoc Gregorn 7. & posterioribus indultum est. Gratias igitur tibi agimus, summe *Iesu*, quod hoc a pijs, sanctis, humilibus, optimè meritis patribus & præsulibus, prioris & purioris seculi per mille annos abscondisti, & minus pijs, mũdanis, adrogantibus, isti deteriori æuo similioribus reuelasti. An hæc proba, aut ad sacrum canonem accommodata videntur? Videte & erubescite, vt vestrum mundanum & exoticum statuatis regnum, instãtem ecclesiæ conditionem, *Christi* dispositionem & omnem iuris ordinem euertitis.

(*.*)

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Nulli sunt exempti a ciuili Regum obedientiâ iure diuino; non ipse Summus Pontifex.

VNus *Augustinus* instar mille testium. *Generale pactum est societatis humanæ obedire regibus. l.3.Confess.c.8.* Quid magis verum, magis validum? quomodo *generale*, nisi quia naturale est? non enim hoc fœdus realitèr aut conuentionalitèr ictum, sed a natura infusum est; quomodo *pactum*, nisi quia legale est? vtroque considerato, rectè ab *Augustino* assimilatur obsequio quo obtemperamus deo tum quoad ipsum pactum tum quoad præceptum. Etiam apposite; nam vt vere *Anastasius* Papa de *Anastasio* Imperatore, *Dei vicarius est in terris*, id est in omni terra vbi ille sc. Deus est Dominus, iste & qui eius ordinis, eius est vicarius. Atq; hic iterum locus secũdo attributo honorario, *filij Altissimi*, soli Reges & Christus Dominus. Christus *filius Altissimi*, *in quo mundum reconciliauit sibi*: Reges *Filij Altissimi*, in quibus mundum subdidit sibi.

Mandatum igitur principale eſt *obedire Regibus. Generale eſt*; Ideo nemo eximitur niſi qui carne exutus eſt, aut qui a ſocietate humana alienus: nam vt verè *Gelaſius* Papa ad eundem Cæſarem, *Imperator humano generi præſidet*; quis, ille vnus quem denotat Pontifex? ridiculum: igitur qui eiuſdem ſunt ordinis; & proinde hiſce ſubeſt aut degener eſt quiſquis eſt, vere enim S. *Bernardus* de pari Iure, *Nihil excipitur vbi nihil diſtinguitur. De conſid. ad Eugen, lib. 2. Pactum eſt*; igitur quiſque adſtringitur. *Societatis humanæ* eſt; igitur deuiant Ariſtocratici, & Democratici: nam generale pactum eſt vt obedirent regibus; aliud pactum quodcunque non humanum eſt, non rationale, non animale: Nam Grues, Apes, & Feræ Regem ſibi præficiunt & Ducem.

Sed difficultas eſt de Clericis & ſpiritualibus? & eſt reuera, ſi ſunt toti ſpiritus. Dum autèm *animâ & corpore conſtant*, vt appoſitè *Auguſtinus in Expoſ. Propoſ. ex Epiſt. ad Rom. Quamdiù in hac vita temporali ſunt & rebus tẽporalibus ad ſubſidium illius vtuntur oportet eos ex eâ parte*

ſubditos

ſubditos eſſe poteſtatibus. Et cùm non minùs corpore quàm anima, conuenit vt omni corporeo oneri ſint obnoxij, (ſi onus dicendum ſit, quod malis & improbis ſolis moleſtũ) & omni generali pacto teneantur quo cæteri homines; & (vt propoſito inſtem) iſto, vnde *S. Auguſtinus* ipſe clericus, & iuris eccleſiaſtici nõ ignarus, ſacerdotes regibus ſubeſſe & a regibus coerceri, iuſtũ & æquum eſſe arbitratur diſſeritque contra Donatiſtas epiſtola 204. & 48. neque ſeipſum eximit præſul *Gallicanus* nec alios qui ſui ordinis, *ſi quis de nobis &c. a te corripi poteſt.* Vndè ex iſtis locis *Auguſtini* & ex mente alterius iſta fiunt liquida, ex. 1. omnes teneri regibus; nàm *generale pactum eſt*; *ex* 2. expreſſe omnes Chriſtianos, *nàm religio neminem eximit*, vt ibidem ille ex. 3. & quarto, omnes clericos & ſacerdotes; neminem ideò ordo. Greg. Tur: li: 9. c: 18.

Sed fruſtrà de minoribus diſceptatur, Sũmus Pontifex eſt adcenſendus? non *Conſtãtini* hæres, ſed *B. Petri.* Scriptura clara eſt, & antiqui patres. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita, Rom.* 13. Cũ dicitur, *Omnis*, nullus excipitur, ait Gloſſa. Sed nimis generale eſt ſacrũ diploma; Gloſſa autem

tèm non tantæ fidei, vt aduersus tantos fidē faciat: Et fortasse inter sublimiores potestates, de quibus Apostolus, maximè sublimes ipsi Apostoli, saltèm summus Pontifex. Quis igitùr Apostolos, aut beatum *Petrum* nominatìm perstringit? *S. Chrysostomus* verbis expressis, *ostendens ista omnibus imperari: & sacerdotibus, & Monachis non solum secularibus*, quod declarat cùm ait, *etiamsi Apostolus sit, si Euangelista, si Propheta, siuè quisquis tandem fuerit*, nempè istis, si dari possit, maior. Hunc, vt semper, sequūtur *Theodoretus & Theophilactus. Siuè est sacerdos quispiā, siue Anstites, siuè monachus ijs cedat quibus mādati sūt magistratus.* Theoph. *Instituens omnem animā, siue sacerdos sit vel monachus, vel Apostolus subijci principatibus.* An hæc *de facto, & non de iure* arbitramini? quis plebeij acuminis dixisset; nam ex sacrâ scripturâ & interpretibus Ius elicitur, id est, quod fieri debet, quod factum est non ostenditur? at vos vt antiquum cassetis, Ius nouum fingitis. *S. Ambrosius* vos magis mutos faciet quam pisces, dum ipsum Dominum, vt vnde hoc debitum exolueret, cùm non erat soluendo, ex ore piscis petijsse recolit. *Ne quis constitutionem*

tionem terreni principis putet esse soluendam: si enim censum filius Dei soluit quis tu tantus es qui non putes soluendum? Hoc manifestè de iure, & non de facto: nàm si tantùm de facto, tunc occasione nacta solui possit; quod est contra mentem *Ambrosij*, & exemplum Domini, qui etsi potuisset, tamèn soluere noluit, *vt omne ius impleret.* Huic loco responsum dedit Cardinalis contr: Barcl. c: 3. sed viro principe imò docto indignum. Soluit didrachma Christus vt vitaret scandalum, (puta stricto Iure nõ tenebatur) *quia liberi sunt filij Regis. Si filij Regis tunc filius Regis Regum: si Immunes filij Regum, tunc eorum familiæ immunes sc:* omnes qui sub eorum Iure clientelari siue omnes qui eis dederunt nomina aut vota, sicut omnes Clerici & monachi de familia Christi ex mente Cardinalis. Hercle male vobiscum actum, Reges, quos Deus numerosa beauit prole; nam filij vestri vos Iure vestro priuant aut saltem ad libitum priuare possunt, comitatus suos ac satellitia ampliando. Dignus tu Illustrissime qui in schola Theologicâ capessas cathedrã, sed in foro non eris Dictator. Ego progrediar.

In luc. lib. 4. c: 5.

B: *Petrum* & successores ante proprium adeptum

adeptum principatum Regibus ſecularibus fuiſſe ſubditos & Iure ex dictis conſtat; & duplici modo fuiſſe ſubditos ex dicendis conſtabit.

Primò ratione perſonarum: ſecundò ratione bonorum, & facultatum. Poſteriorẽ fatetur *Vrbanus* Pontifex 26.9.8.c. Tributũ *Quod in ore piſcis inuenitur pro* Petro *& domino dari iubetur, quià de exterioribus eccleſiæ &c. Imperatori perſoluendum eſt:* & Ambroſius *lib.5. epiſt.32. Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri eccleſiæ ſoluunt tributum.c.Si tributum.ij 9.1.* Priorem directè probo; Nàm beatus *Petrus* non ſoluit tributum, ratione facultatum, ſed ratione perſonæ. Non omnino ratione *facultatum aut ſui ipſius aut eccleſiæ*; non ſuiipſius, quiã nihil poſſidebat, *aurum & argentum non eſt mihi. Act.2.* imò non erãt aſſes vndè ſolueret; ideò ad mandatum Domini it piſcatum, vt haberet quod ſolueret. Non eccleſiæ, nàm eccleſia eo tempore dotata non erat. Prætereà fruſtrà & ineptè contenditur de cenſu perſonali ac capitatim ſoluendo cum cõſtat de ſubiectione aut cenſu vllatenùs ſoluendo: nam hoc ſempèr tenet, A quocunque debetur ſubiectio, ab eodem

eodem census propriè dictus, vt distinguitur a tributo,& vectigale;& debetur intrinsecè principi ratione supremi dominij, a cuius solutione immunitas nuncquàm potest præscribi, etsi quis possit eximi speciali priuilegio, si autem priuilegio,pro nobis facit. Sed vt vestrã distinctionẽ de facto & iure(quâ tanquàm muro versatili omnia eliditis, veriùs eluditis) fũditus euertam, imò radicitus tollam: Vnus *Gregorius* Pontifex vestra ora æternũ oppilabit; qui neq; mandatis Imperatoris de facto vt eius sæuitiã declinaret, parẽdo;aut vt immitẽ eius animũ deliniret, Dominũ confitendo;Sed iura ciuilia a spiritalibus distinguẽdo fatetur se *iure Reipublicæ* seruũ & famulũ. De iure,respondet Pontifex,*ex ore tuo te iudico.* Ecce 4.coronidẽ,dicti sũt reges *famuli Dei. sc*: Solus Rex, soli Deo; omnes alij Deo & Regi: etiàm sũmus Põtifex. Et ecce mutuũ corollarium inter Deum & Regem. Deus vt honore impartiret Regem, cunctos ei submisit, suum Clerum, imò summũ Pontificem. Rex, vt honorem redhiberet Deo, Pontificem remisit & totum Clerum. De quibus in sequenti capite.

l. 2. ep. 62. ad mauritt Imp.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Ecclesiastici in vniuersum considerati, neque sunt exempti iure diuino, aut Canonico, sed solo iure ciuili, & propriâ Regum cessione.

DE Iure diuino sat dictum est; ex ipsis tamen ecclesiasticis patebit màgis. Primò eorum exemptio non est a iure Diuino, quià *nèq; ex sacris literis* vt Cardinalis de Clericis lib.1.cap.28. *nèq; ex traditione, nèq;, ex naturali ratione, nèq; patrum testimonio probari potest*, vt *Lessius* lib. 2.c 33.dub.4. Secundo, *Initio nascentis Ecclesiæ erant subiecti principibus secularibus, colligitur ex Apostolo* Rom.13. *probatur testimonijs Veterum, & D.Thomæ*, vt Cardinalis & *Lessius*. Tertiò, *Vigente ecclesiasticâ disciplinâ se in temporalibus subijci imperatoribus Ecclesia passa est. Hoc autèm nõ fecisset, si putàsset se iure diuino exemptam: sicùt nunquàm passa est se subijci imperatoribus in ecclesiarum administratione, quòd sciret se iure diuino exemptam, vt patet testimonio* Ambrosij, & Vrbani, *quo agnoscunt subiectionem in temporalibus, non autèm in spiritalibus*, vt *Lessius* suprà.

suprà. Istis non obstantibus asserunt tamèn se *partim iure Diuino, partim iure Canonico, partìm iure Ciuili, esse exemptos*, vt Cardinalis, *Victoria, Dominicus à Soto*, & alij, *Lessius* quasdam obtendit rationes, de quibus posteà.

Secundó, iure Canonico non sunt exempti. Quod vt pateat; Primò notandum est Ius Canonicum in nostro casu solùm constare ex autoritate Pontificum & Conciliorum: Vnde sciatis velim, hanc esse communem eorum opinionem, *si Principes noluissent in hanc exemptionem consentire, potuisset tamen ipsa exemptio simplicitèr decerni Pontificis & Conciliorum* Iure proprio; vt Cardinalis *Bellarminus* & & alij sæpe. Sed pace eorum, isto Iure & modo non potuit nec potest legitimè aut valide fundari: hoc enim esset Pontificem, seipsum & subditos eximere seipsos, quo nihil contra omnem Iurisdicundi ordinem & naturam magis contrarium. Verè igitur à *Barclaio* dictum & puto non facetè, licet Domino nostro exprobratum, *non potest alios saluare aut liberare qui non seipsum*; nemo autem subditus potest seipsum Iurè, quia subditum suo principi præsertim

in

in causâ principali Ius dicere inordinatum est & hactenus inauditum. Sed deme Iuris positũ & significatum; *portaret princeps gladium sine causa*, si posset ab ipsis subditis aut ab alijs in eorum gratiam è manu eius eo Inuito extrahi.

Duo hîc mihi a Modernis ponuntur obices, ambo ad inuicẽ oppositi, mihi tamẽ nihilominus opponuntur; vterq; amovendus nã dũ rectà pergo, vterq; me viâ mouet. Prior est quorundam Catholicorũ qui vt dixi Clericos a Iure principum posse eximi asserunt inuitis principibus, si velint ipsi subditi: id est, Papa & Clerici dum sunt subditi, quorum est obaudire & obsequi, alias non sunt subditi. Alter est quorundum hæreticorum, qui dicunt Clericos non posse eximi etiamsi maxime vellent ipsi principes, quibus deus concessit hunc principatum; cuius est priuilegia & immunitates concedere, alias non est principatus. Hi (nec mirum, nam in rebus Theologicis sæpiùs sensu ducuntur quàm fide) propiùs rationi accedunt etsi non veritati, illi aperte repugnant tam rationi quàm veritati. vt Reges Clericos eximant, rationes forsan multæ sunt; sed quá validè possint, vnica

est,

est, de qua postea: cur autem Pontifex & concilia seipsos, attentâ Regum almâ atque benigna voluntate, de facto vindicarent, rationes solidæ nullæ; sed attentâ Regibus diuinitùs data potestate, quâ de Iure & efficaciter possint ne vna quidem, quatuor autem quare non possint de quibus nunc. 1. Est contra naturam iurisdictionis & subiectionis; 2. contra ipsam rationem; 3. contra sacram scripturam; 4. contra fundamenta vtriusq; Iuris.

Primò euertit Naturam iurisdictionis & subiectionis; nàm vt fusè cap. 4. diximus, necessariò requiritur; vt Superior possit Subditum inuitum cogere: probatur á vobis ipsis. *A natura enim rei est, vt habeat* nempè superior *authoritatem & obligandi conscientiam, & cogendi ad executionem eius ad quod obligauit:* Vt rectè *Lessius lib. 2. c. 29. d. 6.* Sed hoc concesso, puta vt immunitas iure Canonico id est á vobis ipsis inducatur, princeps neutrum habebit; nàm Pontifex potest seipsum, & omnes Clericos, eo inuito ab eius obsequio & subiectione liberare; vt nèq; obligentur interiùs quoad conscientiam, nèq; exteriùs ad ciuilem obedientiam.

Secundò

Secundò contra Rationem est. Nàm vulgatum est, *Nemo habet iurisdictionem in semet-ipsum*: ratio est, quià soluitur ista obligatio & subiectio ad ipsius arbitriũ, quod euertit rationẽ & relationẽ, inter obligatũ & obligãtẽ; obligans solutus est, obligatus ligatus est: Nàm quorsùm inducuntur nomina, nisi vt indicentur res ipsæ? Ponamus igitùr, Deus constituit vt Apostoli & Ecclesiastici cuiuscunq; gradus, principibus secularibus obedirent, (vt diximus ex *Chrysostomo*, *Theodoreto* & *Ambrosio*) Verum ideirco imperium habent Principes, veram obedientiam debent Præsules. Per vos autèm Apostoli & Clerici in Synodo coadunati possunt istam Constitutionem & Obligationem autoritate propriâ soluere & rescindere, ergo aut illud falsum, aut istud delirium planissimum; nàm aùt ista subiectio non est legalis, quod est contra verba & sensum sacræ paginæ, & sanctorum patrum; aùt non possunt Apostoli & Ecclesiastici ad placitum, & per semetipsos, eam irritam facere: quià *legibus non imperant qui ad leges tenentur*, non si (tacentibus patribus & sacrá pagina) solam spectemus rationem, Ratio enim poscit, vt

qui

qui nomine est subditus, reipsâ & de iure obligetur, in casu *quo non datur relaxatio ex decreto principis aut dispositione legis*. Futile est & stupidum quicquid contrà fingitur; nam hoc vtrique statui intrinsecum est, *principes leges dant non accipiunt*, subditi leges accipiunt non dant, & *principum est priuilegia & immunitates concedere*, subditorum, onera & munia subire.

Tertio contra Scripturam. *Non vosmetipsos defendentes*, id est non vosmetipsos eximentes, vt vult *Gratianus*. Quod non dicitur, quasi vim priuatam propulsare cuilibet non sit licitum; aut a manu cuiusuis hominis autoritatem non habentis seipsum eripere & vindicare, nam hoc quibuslibet conceditur, etiàm Clericis, ex mente omniũ; sed vt a publico Magistratu se non eximãt ac defendãt exemplo *S. Andreæ* 23. q. 1. in *Principio*. Quod etsi omnibus generatim dicatur *Non vosmetipsos defendentes* (tamèn non laicis qui sine potestate sunt, aut Clericis qui in minoribus degunt) sed *specialiter Prælatis* (adhoc valet exemplum *S. Andreæ*) qui forte prætextu publici iuris aut cuiusdam priuilegij seipsos eximant, *dictum intelligitur. Gratian. in* 23. *q.* 8. Et ad

hoc faciunt contextus ſacer & Gloſſa, *Non alta ſapientes, ſed humilibus*, putá hominibus imæ conditionis, *conſentientes. Nolite eſſe prudentes*, id eſt vt alia habet lectio *ſuperbi apud voſmet ipſos*: *Non voſmetipſos defendentes ſeu eximentes*, non obſcure inſinuans hoc prælatis dictum ne potêtiâ & aurâ populari freti aut togâ Clericali prætextati turgeant, turgentes priuilegia excogitent, quorſum impotentes moneret aut potiores qui eiuſdem Claſſis & ſubordinati? *Sed ſit omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita*, manifeſtè deſignans Reges & principes ſeculares, quibus omnes, tanta eſt eorum maieſtas & ſublimitas, debent obſequium & homagium. Subiecit Deus, obediuit Chriſtus, *quis tantus eſt vt ſoluat?*

Quarto, contra fundamenta vtriuſque Iuris: conſtabit perſpicuè. Primò non poteſt induci inuitis principibus; probatur ex Iure Canonico. *Beneficium ſemèl conceſſum aut indultum non eſt alicui auferendum*, Intellige non inuito, c. 17. de Reg. Iur. in ſexto. Si non alicui, *multo minus non regiæ maieſtati*, vt aptè Aduocatus Regius, in re ſimili, ſed minoris iuris, apud

Petrum

Petrum Damiani, Inter Aduo. Reg. & Rom. Eccleſ. defenſ. ideo rectè *Syluester, Priuilegium concedens immunitatem non valet, niſi motu proprio concedatur*: Aut igitur veſtra exemptio, & immunitas ab ipſis principibus, & motu proprio ſiuè ceſſione liberâ, aut Iure veſtro nulla. Secundò apertius ex Iure Ciuili. *Non debet per alterum alteri iniqua ſiuè incommoda conditio inferri. L. non debet. 74. ff. eodem.* Quæ autèm conditio màgis iniqua aut incommoda, quàm principum ſubditos a Pontifice eximi, ipſis inuitis; quod fieri nec decet nec debet. Nàm ſicùt Ius Pontificium à Rege lædi ſemper iniquum; ſic à pari, Regium a Pontifice: ad Iuris itaq; æquitatem formata eſt Canonica *Innocentij* 3. declaratio: *Non putet aliquis quòd iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cùm ipſe iuriſdictionem noſtram nèc velit, nèc debeat impedire, cap. Nouit de Iudicijs* & conformis eſt regula Iuris in ſexto. *Non debet aliquis alterius odio prægrauari.* cap. 22.

Iſtis conſideratis *Vrbanus* Pontifex res ſuas ante exemptionem Imperatori ſubditas fatetur, vt dictum eſt ſuprà; & deinceps

alij ſancti Pontifices poſt exemptionem, tàm res ſuas quàm perſonas non a ſeipſis ſed conſtitutionibus Imperatorum exoneratas non diffitentur; nempè *Conſtantini, Conſtantij, Gratiani, Valentiniani, Theodoſij,* & *Iuſtiniani*, vt 23.q.8.c. *in qualibet Ciuitate.* Quibus addendæ ſunt *Leonis* & *Anaſtaſij*, & poſteá acceſſere *Caroli* & *Lodouici.*

Non igitùr antiqui Præſules condere aut concedere priuilegia, aùt minores Clerici á ſummo Pontifice petere ſed ab Imperatoribus conſueuere; ſic *Iuſtinianus, Petiti ſumus dare priuilegia, &c. Nouel.* 83. & *S.Gregorius* non aliá ratione ſuadet preſbyterum non debere trahi ad tribunal ſeculare, niſi quiá ità ordinauerat *Iuſtinianus* Imperator *l.ij Epiſt.*54. Vndè pij Imperatores eccleſias & eccleſiaſticos, non a ſummo Pontifice aut Generali Concilio exemptos, ſed *Numine Imperatorio ſublenatos cenſuere.* L. ſacroſancta. C. de ſacroſanctis *Eccleſijs.* Ex dictis igitùr patet: eccleſiaſticos non ab ipſo Deo, aut iure Diuino, neq; á ſummo Pontifice ſiue Iure Canonico fuiſſe exemptos, ſed numine Regio, ſiue a Deo Rege.

Inſupèr ſolo Iure Ciuili, ſiue Imperatorum

rum gratiâ fuisse exẽptos satis cõstat ex ipsis immunitatibus, quibus nunc fruuntur, quæ nõ simùl sed sẽsim diuersis tẽporibus; & nõ à Põtificibus aut cõcilijs sed à diuersis Imperatoribus fuere datæ ac concessæ. Primò eos ab oneribus liberauit *Cõstãtinus l. 1. C. de Episcopis & Clericis*, sed nõ omnes, neq; ab omnibus; nam *Valentinianus* quosdã ex inferioribus exonerauit *L. Presbyteros C. eodẽ*. Posteà exẽpti fuere à solutione censuum, & tributorum, neq; omnium, sed personalium tantùm; nam in prædialibus subleuauit *Iustinianus*. Item in causis ciuilibus benignitate principũ sortiti sunt forũ: sed similiter nõ in omnibus, neq; ad omnẽ Iuris processũ, sed solũ pro prima instãtiâ, vt *Nouel. 79*. illis interim relictis in criminalibus Iudici seculari, vt c. *si quis ij 9*. 1. paullo post Episcopi etiam in criminalibus erãt exẽpti, nisi speciali Principis rescripto essẽt à Iudice ciuili euocati. *Nouell.* 123. Et posteà tempore *Gregorij Magni* omnes causæ *Clericorum* erant Episcopo delatæ; sed lites inter ipsum Episcopum & *Clericos* ortas Iudex secularis repetebat *Greg. lib. 9 Epist. 32, & 66*. Deinde causæ Episcoporum summo Pontifici erant reser-

uatæ; & demùm multa alia quæ ordini ecclesiastico visa fuere congrua, & ab Antecessoribus omissa, a *Carolo Magno* sunt addita & concessa, vt patet in capitularibus Regum Francorum *l. 6. c.* 285. & 286. & *Baron. Tom. 9. an.* 770. Sed in istis me *Barclaius* operâ leuauit suâ. Hoc vnum tamen prætermittere non possum: Ita me adiuuet gratia Dei vt vos subleuauit & sublimauit gratia Regũ; subleuati vero & in omnibus exonerati atq; irreuocabiliter; nunc nihil ab ijs cõcessum, nihil indultum quod a vobis ipsis vestra autoritate & Iure proprio statui & decerni non potuisset Iactitatis? Insulse nimis; nam tempestiua foret ista ostentatio atq; de Iure cõtentio si adhuc res esset integra, aut si ante cõcessionẽ, quãdo dubiâ lis diseptari potuisset, mota, (quo tempore nemo vnus vestrũ mussitauit) aut si cõcessa retrotrahi possent, quę non posse securi estis: cui verò tot & tanta sint cõcessa vt nihil exæquitate possit supererogari, & nihil cõcessum quod iure possit reuocari, nunc de Iure vestro gloriari & Regũ munificentiam verbis extenuare, (*Constantinus nihil Siluestro cõtulit, sed reddidit iniuste detentum, & nihil autoritate principũ & Iure ciuili de exemptione*

Cleric orum

Clericorum ſancitum, quin Iure veſtro, & eccleſiaſtico non minus validè potuiſſet decerni) & anteà tacuiſſe, nihil eſt magis ſubleſtum, ingratum aut inverecundum. ſed ego ad obiecta reſpondebo.

Horum quædam hanc Regum largitatem aut annihilant, aùt certè extenuant valdè; præcipue quæ a *Leſſio* allegantur, nam quicquid a Regibus eſt factum, vult ex debito factum & non aliàs; nempe *Principes dictante iure naturali, triplici lege obligari vt eccleſiaſticos* (non vt eximant, nam exemptionem aliunde petit) ſed *exemptos habeant, legè religionis, obſeruantiæ, & gratitudinis. Leſſius lib. 2. c. 33. d. 4.* Vndè ille (& alij) immunitatem ſuam partim eſſe à Iure Diuino & partim a Iure Canonico, vt dictum eſt: ſi quid autem à Regibus conceſſum, officij cauſa conceſſum & non aliter, non dubitanter aſſerunt. Sed iſta ſoluere nullius eſt difficultatis.

Prima, quam ille appellat *Legem Religionis*, rationem ſanè (nàm vos & ordinem ſacrum improbo ac malevolo oculo nunquàm intuebor) & æquitatem habet vt B. *Thomas*; ſed obligationem non parit.

Secunda & tertia nèc obligationem nèc æquitatem, putà vt ideò totus ordo a poteſtate regia eximatur. Neque tamen minor Regum gratia, quia æquitatem habet veſtra exemptio: vobis ipſis Iudicibus, V. G. Ob *veſtra digniſsima miniſteria* petitis *gratitudinis cauſsâ* à Regibus eximi, ad quæ tamen miniſteria lege ſtrictiſsimâ eſtis obligati. An ideò veſtra munia minùs grata? nequaquàm: Reges verò nullâ lege obligati ſunt, ſicùt vos, ſed ſolum quadam ratione & æquitate moti. Sed videamus iſtam quam ſupponitis *Religionis Legem. Ratio Legis duplex eſt; prima quia rebus diuinis eſtis mancipati, & conſecrati: Secunda, quia vncti.* In prima per ſe conſideratâ *imaginem* Cæſaris *non habetis*, vt verè *Ambroſius lib.9.* in Cap. 20. Lucæ *& Dominus pars hæreditatis veſtræ, neque principes huius mundi in vobis habent quicquam*, vt Gratian *in cap. Si in morte* 23. *q.* 8. *Sed qui dicit pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt: quod ſi quidpiam habuerit præter Dominum, V. G. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi ſupellectilem, cum iſtis*

partibus

partibus Dominus fieri eius pars non dignatur. 12. *q.* 1. *c. Clericus.* Vos verò præterquàm quod ſacerdotes & *Clerici, ciues etiam eſtis. Bellarm. de clericis c.* 28. & quod ſempèr obtenditis, *in fauorabilibus eſtis pars*, non Domini, & Altaris, ſed *Reipublicæ & Regni*, vt in omnem rei euentum ſempèr ſitis indemnes. *Statutum prohibens alienationem in non ſubditos, vos non attingit*, nàm ſi poſſit officere, *ſubditi non eſtis*, ſed ſi proficere, *eſtis, vt Syluester verb. Immunitas* 2. 6. *ex Franciſco de Alberg*: Aequum igitùr eſt, vt ob iſtud priuilegium ad aliqua adſtringamini onera & obſequia: prætereà *domos, prædia, villas, caſtella, ciuitates habetis, Hæc imago* Cæſaris, *reddite ergo quæ ſunt* Cæſaris Cæſari *vt* Ambroſius *&* Gratianus; *& vt* Fredericus 1. Adriano 4. *Aut iſta dimittite; aut ſi hæc vtilia iudicaueritis, nobis homagium præſtate, & quæ* Cæſaris Cæſari *perſoluite.* Iſtis igitùr perpenſis, veſtra prima ratio quæ ex ſeipſa æquitatem non obligationem, conſideratis conſiderandis vix æquitatẽ habet ſed minus ſecunda. Nàm vt ab exemplo non diſcedam tuo *quia Saul vnctus domini, ideò Dauid ne defenſionis quidem cauſâ vnquam fuit*

Nancl. vol. 3. gen. 39.

fuit ausus eum ledere; at fortasse læsisset sacerdotem maximum non obstante suâ vnctione, sicùt eius filiũ *Abiatharum* plectere non est veritus. Mitte igitùr vnctionem; nàm 1. totus *Clerus* non est vnctus. 2. sepositâ vestrâ in eodem foro subordinatione, non maior est ratio quâ vnctus, cùr potiùs vncto Pontifici, quàm vncto Regi essetis subditi.

Secunda est Lex obseruantiæ, *quâ dicit Principes teneri ecclesiasticos habere exemptos, quià sunt secularium Pastores, Patres, & Iudices in spiritalibus*. Si autèm quià aliqui sunt pastores atque patres, & horum paucos Reges & Principes sibi præficiunt in diuinis, ideò vult totum Clerum a Regia eximi potestate, obseruantiæ causâ? insubida & inconsulta fatur. Nàm concedamus quòd hoc nomine coli possunt ab ipso Rege summus Pontifex, & Episcopi, & fortè vnus aut alter confessarius, ideò autèm petere vt leuis, præceps, & immodesta minorum & iuniorum turba, (quæ citiùs vnâ virgâ seculari, quàm decem, si totidem essent, gladijs ecclesiasticis coercetur) eximatur, nihil dici potest màgis inconsideratum. Verùm quid tu de immunitate?

In

In hoc casu munia ciuilia & facultates petẽdæ sũt, nõ libertas. Alias vestra ĩmunitas habens comitem impunitatẽ omne scelus induceret. Tanta autẽm nõ dicam æquitas, sed largitas Regũ, & tãtus est amor, ut hæc quòque supra iustum & æquum adcommodarunt; & maiora contulissent si vos maioris dominij putassent capaces (& reuerà non estis) atq; quià nõ estis, in supplicio vltimo ad regem semper est regrediendum. Prætereà nõ videris aduertere quid sit obseruantia, dùm ratione huius petis immunitatẽ. Obseruantia obligat ad debitũ honorẽ cuiq; & distinctim deferendum, non ad nouum ius priuatim aut cõmuniter cõferendum. *Honora me coram populo. 1. Reg.* 15. Hic cultus, hoc obseruantiæ debitum, cui principes abundè faciunt satis, suo exemplo, & si opus fuerit, monitis ac edictis cauendo, vt attento cuiusque gradu, cæteris paribus positis præferri. Hinc vt in sequenti capite diximus manat omnis vestra claritas: hinc Celsitudo & honor Cardinalitius, Archiepiscopalis, Episcopalis, & Abbatialis: & hinc dignitas & Decus totius Cleri. Circumspicite, & inspicite omnem, & totam Cacozeliæ familiam

liam

liam (si dicenda familia quæ in fere millia diuisa) & æquitatem Principum Catholicorum faxo mirabimini; nàm Sectarij suos in sacris Primipilos & superintendentes non tali dignantur honore.

Tertia est Gratitudinis; Quin tu sapis pleno pectore ipsâ sapientiâ sapientior. Deus æquum duxit vt Tribus sacerdotalis, duodecima pars populi, decimam haberet fructuum. Vos vix centesima (hæc enim Episcopis & Parochis solùm debetur) eandem habetis, & tamèn gratitudinis causâ plura petitis. At *vestra munia sunt digniora, & incomparabiliter sublimiora?* fatemur; igitùr additæ sunt decimæ personales, sacerdotibus Leuitici generis indebitæ. At parũ sunt, noua si spectetur dignitas? Dignioribus insuper collata sunt regna, nonnulli principatus, quædam prouinciæ, multæ ciuitates, castella, palatia, villæ, pagi & glebæ minutæ, (sed non aspernandæ) sine modo, sine mensurâ, ità vt nunc verè dici possit, quod *Paschalis de* donationibus *Hen.5.* & Antecessorum; Reges *Ecclesiam tantis regalium Beneficijs ampliarunt, vt vnaqueque ferè regio ac prouincia Regnum Episcoporum & Abbatum, Clericorum & Monachorum*

chorum dici poßit; Et tamèn iſtis non ſaturati plura petitis? vt in ſolum Deum vota ſint veſtra, (quià ille ſolus poteſt hianti veſtro ori ſatiſdare) omninò Autor ſum. *Sed longè fructuoſior eſt functio noui Teſtamenti*? Caue nè dùm priuilegium cogitas, producas hæreſim. Vobis ob ſolum miniſterium rependitur gratia, non ob fructum & gratiam ipſam quæ ſpiritalis eſt, neque pretio æſtimabilis. Quid *Simonem* ab inferis reuocas? Sapienti ſat dictum eſt.

Sed negant non pauci, nec prorſus contemnendi, Clericos poſſe a Regibus eximi quin communi ſubditorum more obligentur, quià præcipitur in ſacra ſcriptura, *Vt omnis anima &c.* Anilis fabula? parent dùm eximenti parent. Præterea contraria ſunt Iura Naturæ & ſacra ſcriptura. Scriptura non obſcura eſt; *Faciet domum patris eius abſque tributo in Iſrael.* 1. *reg.* 17. 15. Vbi tributum generatim ſumitur, ſed dic quòd ſtrictim; qui *poteſt ſine tributo*, poteſt facere abſque cenſu. Qui abſque cenſu, poteſt eximere vt deſinat eſſe ſubditus. Et eſt iuri màgis conſonum; nàm poteſt quis præſcribere vt non ſit ſubditus, ſed *ſubditus non poteſt præſcribere vt ſit abſque cenſu:*

Priori

Priori modo multi principes nùne sunt liberi, qui fuere Romano Imperio subditi: & si præscriptione acquiri possit, multò magis priuilegio aut cessione ipsius principis; nam in hoc omnes cum *Decio* concordant *priuilegio principis potest induci quod & consuetudine.* De Reg. Iur. cap.1. in init. Porro a natura est, quod possit quilque cedere suo Iure & renuntiare eis quæ in fauorem eius sunt introducta, præcepta aut sancita. Et consentiunt Iura tam noua quam antiqua vt L: *pactum* ff. de *pactis*, & L: penult: C: eodem, *nam hanc semper recipiunt tacitam conditionem si ille in cuius fauorem fuerint concessa, eis vti velit* l: fin: C: de execut: rei Iudici & in l: debitoribus C: de Re Iudic: & valet tam in iure diuino quã humano. Vnum duntaxat dabo exemplũ sed ad omnia Iura quadratum ci fit Iure diuino validũ: alias frustrà est Ecclesia in omni solemnis festi sanctione. *Sex diebus operaberis &c. Septimus erit sabbathum &c.* ex septem diebus vnum sibi dicari mandat Deus, reliquos concedit nobis; sed renuntiat Iuri suo ecclesia & plures sacrat. Vt sex habeamus, concessio diuina est, quod ab aliquibus recessimus, renuntiatio

nuntiatio ecclesiæ est: atque valet cessio & obligat sanctio. Capiti nunc finem Imponam. Exemptio Ecclesiasticorum valet ex parte principis, aliàs stricto Iure non: habet tamen vt dixi quandam æquitatem ex parte cleri, & digni dignè eximuntur licèt non ex debito. Tales fuere ecclesiastici tempore *Constantini*, vnde ille, *Iuxta sanctionem quam meruistis L. 1. C. de sacrosanctis ecclesijs*. Neque tamen vt dixi, minor Regum gratia: Exemplo probatur sacræ scripturæ, *Luc. 7. Seniores Iudæorum rogabant Dominum sollicitè pro Centurione*, dicentes, *Dignus est vt hoc illi præstes &c. ipse Dominus miratus est, Nec in Israel tantam inueni fidem:* neque tamen ideò minor gratia *Christi*, sed potius illustrior. Et similiter Imperatorum gratia in exemptione clericorum, quò digniores illi, eo eximior illa; Nam dignis dare, clementis & sapientis est: indignis, temerarij & insipientis.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Omnia ecclesiasticorum bona temporalia proueniunt a beneficio Regum; exceptis Decimis & oblationibus: & idem dicendum de omni ciuili ac mundano eorum honore.

IN hoc omnes consentiunt, etiàm ipsi Canonistæ, & qui Iuri Pontificis student maximè. Honores ènim & possessiones imò ipsius Papæ ab Imperatore acceptas, etsi non sine improbâ humiliatione sublimitatis Imperatoriæ, & immodicâ exaltatione humilitatis in hac parte Pontificiæ fatentur. Ad hunc modum *Syluester, Constantinus Imperator Syluestrum Papam coronauit, non autèm quasi autoritatem & Dominium præbens, sed sicut minister obsequi* & de ciuili eius regimine *Constantinus donauit Papæ temporalem administrationem imperij, non autem tanquàm ius aliquod ei conferens, sed in venerationem & recognitionem dominij, & vt eandem immediate a Pontifice receiperet in vsum & stipendium officij quia Papa est Vicarius Dei, cui nos reddimus*

dimus in recognitionem dominij & honoris ea, quæ ille nobis donat ad vsum & stipendium laboris, iuxta illud Dauidis 1. *Par.* 6. *Quæ de manu tua recepimus, dedimus tibi. Verb. Papa.* 10. Sed iste *Syluester* altiores alit spiritus sub veste Monachali, quàm *S. Syluester* in Cathedrâ Papali. Hoc autem damnant sani, orthodoxi, inter quos in hac parte non censetur *Syluester*. Ego igitur omnem odiosam exegesim, & prolixam vitabo probationem: quia neque inuidiam conflare, neque verba dare animus est. Paucis ostendam ditiones ecclesiasticas, vulgò *Patrimonium B. Petri* dictas, non a *B. Petro* prouenisse, aut ad eum aut aliquem successorum, iure proprio & Pontificio peruenisse, vt verba innuere videntur; nèc *Paulo* 5. competere iure Apostolico, (etsi optimo) sed eas libera cessione *Constantini* & gratuita donatione aliorum principum ad sedem Apostolicam accessisse. Quo ostenso, de iuribus temporalibus minorum ecclesiarum & aliorum Ecclesiasticorum non erit ambiguum.

Hodierni Pontifices & eorum Antecessores per nonnullas annorum Cẽturias multas Prouincias ac Principatus Iure, vt

dixi, optimo occuparunt; sed tamèn humano ac ciuili, vt libro sequenti dicemus. Beatus autèm *Petrus*, Pontifex pleno quidem iure, sed ære nullo, *Aurum & argentum non est mihi. Act.* 3. vnde *S. Bernardus de consider. ad Eugen. Pontif. lib. 4, In hijs successisti non* Petro, *sed* Constantino, *& l. 2. ad eundem. Esto, vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, sed non iure Apostolico.*

Hoc aduertentes seditiosi Romani ciues, nempè Pontifices iure nouo, & alieno auctos, *Senatoribus Patricium adjecisse*, inquit Historicus, *nihili pensantes Papam ad B. Petri paupertatem, saltèm ad priorem humilitatem & tenuitatem redigere*: Pontificem igitùr adeunt, *omnia eius regalia tam in vrbe quàm extrà posita ad ius sui Patricij deposcunt, Pontificem more antiquorum sacerdotum de decimis & oblationibus sustentari oportere dicentes. Otho. Frising l. 7. c. 3.* Eadem posteà tanquàm ad Romani Episcopi ius non pertinentia adimere conati sunt alij, & præcipuè Longobardi, vt in historijs frequens est. Sed sedes B. *Petri* quæ primò erat beneficentiâ Imperatorum ditata, sempèr eorum ope & opibus

(diuino

(diuino Numine suo Vicario prospiciente) propugnata, ampliata, & sublimata fuit. Vnde in recognitionem omnium secularium iurium ac dominiorum delata & concessa est Imperatoribus ab *Hadriano & Leone 3. Ordinatio Romanæ ecclesiæ, atque ipsorum Pontificum Innestitura*, vt patet *aiss. 63. c. Hadrianus*, & c. sequenti. Ob eandem rationem *Henrico* 5. tanquam totius ecclesiastici iuris in ciuilibus Autori *Innestitura omnium sub Romano imperio Episcoporum a Paschali 2. confirmatur. Naucl. v. 3. gen.* 38. Sed apertius *Calistus* 2. non tantùm suam & prædecessorum, sed etiam omnium Prælatorum possessionē & præfecturam secularem ab Imperatoria munificentia prouenisse agnoscit, dùm propterea concedit (quantum in se erat) omnium Episcoporum & Abbatum electionem; & eisdem Episcopis & Abbatibus præcipit, vt post consecrationem temporalia ab eodem peterent; & idem cæteris mandat, qui in alijs imperij partibus essent consecrati. *Naucler. generat. eadē. Albert Krantz. & alij.*

Neque solùm bona & prædia ecclesiasticorum in *Italia*, *Germania*, & *Europa*, a munifica principum benignitate, sed eidē

accepto ferunt sua Præsules Affricani. Hinc S. Augustinus. *Quo iure defendis villas ecclesiæ? diuino an humano? Iure diuino, Domini est terra & plenitudo eius, pauperes & diuites de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra supportat &c. Iure humano hoc a regibus. Hinc dicimus, hæc terra mea, hic fundus meus est*, & posteà, *si dicis, quid mihi & Regibus? dic, quid tibi & possessionibus? d. 8. p. Quo iure. extract. 6. in cap. 1. Iohan.* Rectè igitur S. Ambrosius. *Imaginem* Cæsaris *non habet* Petrus, *quia dixit reliquimus omnia, & secuti sumus te; & tu non vis esse obnoxius* Cæsari, *noli habere quæ mundi sunt, sed si habes diuitias obnoxius es* Cæsari. *l. 6. in cap. 20. Luc.* nèc minùs appositè *Gratianus. Qui de decimis & primitijs viuunt, in omni regno a terrenis exactionibus sunt liberi, alij autèm qui non contenti decimis & primitijs prædia, & villas, & castella, & ciuitates possident, legibus imperatorum obnoxij tenentur, & Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatem promeruerint in cap. Si in mente. 23. q. 8.* & alibi, *Clerici ex officio Episcopo sunt suppositi, ex possessione Prædiorum Imperatori sunt obnoxij; ab Episcopo*

vnctionem,

vnctionem, decimationem, & primitias accipiunt, ab Imperatore prædiorum possessiones nanciscuntur. In cuius quæ causa. q. 1.

Ambigitur de decimis, nempè quo iure sint debitæ? Canonistæ dicunt iure diuino, Theologi verò hanc quotam solo deberi asserunt iure humano & ecclesiastico. Sed ista discutere non est nostri instituti. Cum verò Theologi doceant esse de iure diuino vt aliquid certi statuatur, & ecclesiasticis soluatur de bonis & prouentibus secularium, ad stabilem & sufficientem eorum sustentationem, vt ferè omnes communitèr; non video, cùr non dicamus hanc quotam esse eodem iure soluendam: ratio est, quia *Abraham* præcepto de decimatione non edito, naturali instinctu ante legem hanc quotam obtulit & soluit. Præsertim cùm dicitur. *Hebr. 7. 2. & diuisit ei decimas*: Diuisio autèm semper dicit æquatam ac proportionatam partium rationem.

Minùs ambigitur de honoribus Clericorum, re inspectâ, licèt nonnulli Iurium hercle gnari aliter sentiant: nam non solùm eorum sed cuiusuis alterius

honor, a Rege tanquam a fonte manat. Verùm hic gradatim progrediar. Primò hoc cũ omnibus Iureconsultis pono; *Nobilitas cùm sit paucorũ nõ multitudinis, ijsque adventitia, non præsumitur sed debet probari* sc: clarè, putà quod sit & vnde. Secundò *Clericatus* (ita est communior opinio) *neminem nobilitat*, ob rationem, quâ solâ asseritur, ductam *a seculari militia*: nam licèt quandoque *vt in bonis quasi castrensibus* valeat hæc ratio, aliquando etiam prævaleat (nam dignior est ista & magis splendet) non tamen ad hoc vt nobilitas & honor mundialis conferatur, ob varias rationes. Neque tamen verum est quosuis nobilitari ratione militiæ secularis; *gradum sibi ad nobilitatem faciunt periti* vt loquuntur Iureconsi: & sic dici possit, eos honoris compendium sibi fecisse, sed soli nobilitantur qui præficiuntur. Tertiò si hoc verum esset, cum sanioribus tamen respondeo, *non valet ratio a milite armato militiæ ad cœlestem*; nam dispar est ratio & conditio. Vni proponitur præmium vt subeatur periculum; alteri præripitur damnum & tamen manet brabium, merces ampla & immensa gloria: quid enim vberius

berius prouentibus ecclesiæ; aut quid in cælis magis fore glorioſum putabimus, quam miniſterium in ſacris bene locatum? Illis autem adſentior qui etſi Clericos nobilibus non adſcribunt, ob muneris tamen dignitatem inter Plebeios non cenſent. Quod inter plebeios non ſint habendi, facit diſtinctio & ſanctitas Ordinis; quod inter nobiles non numerandi, facit autoritas & religio principum, qui quoſdam eorum vt præſules ad honoris gradum diſtinctum adſciſcendo, alios etſi ob officium eximios, ad natalium tamen ſplendorem non reſtituerunt.

Hîc, vt accuratior ſit ſermo, tempeſtiuè definienda videtur Nobilitas; vt conſtet quid ſit & a quo. Quam ſic, ab alijs non diſſentiens, definio. *Eſt qualitas illata per principatum tenentem, quâ quis vltrà honeſtos plebeios acceptus oſtenditur.* Conceditur *per principatum tenentem*, ſc: per ſolum ſupremũ principẽ aut liberas ciuitates & cõmunitates, quæ principatũ tenent. *Supra honeſtos plebeios* promouẽtur nobiles; nã plebs nobis duplex, *honeſta* & *vilis*. *Honeſta* præfertur *vili*, & gradus eſt ad gradũ honoris; nobiles *honeſtis* præponuntur &

reipsa honorantur pro gradu nobilitatis conceſſæ. Dicuntur *Reſtitui natalibus* qui ad *nobilitatem* vocantur, *quaſi abſterſâ natalium plebeiorum ſordida conditione, & in priſcam communemque humano generi ingenuitatem repoſitis illis, qui hoc beneficio donantur* vt rectè poſt alios *Tiraquellus* de Nobilitate. *c*: 6.

Nonnulli hanc poteſtatem vt poſſit nobilitatem concedere faciunt ſoli Imperatori ſtricto Iure, alijs prîcipibus, niſi quatenus ex gratiâ communicetur, negant. Inter quos *Franciſcus* de Ripa; quem (virum alioquin doctum) non moror; hoc enim inſcitè: nam cuicunque Ius eſt condere leges, eidem Ius eſt conferre nobilitatem, per leges enim ſæpius conceditur nobilitas, quàm per nouum mandatum principis, ideo competit omni principi ſupremam habenti poteſtatem & vt dixi *liberæ ciuitati. Conſuetudo* etiam quandoq; facit nobilem; ita tamen vt quis ſit in ſua ciuitate nobilis, qui alibi plebeius, *vt decurio ex venetis nobilis*, ſed non peruſinis: peruſiæ *ſi plebeius efficitur miles*, conciuibus eſt *nobilis* ſed poſt militiam Florentinis eſt in ſtatu quo prius, & ad honorem Clericorum

rum multum conducunt consuetudo & muneris Clericalis grauitas.

Ast hic in casu Clericorum scopulis hæreo, nullubi tutò vela dantur? Quidam volunt Clericatum & ipsum ordinem in Rege & principe seculari tanquam in radice fundatum, & eius sanctione posse conferri: atq; sic honos & ipse ordo a Rege? hos damno. Alij Clericatum habere honorem sibi intrinsecum neq; pendere a voluntate principis vt honos hic aut ille deferatur, sed ad ecclesiasticum spectare principem qui gradus ecclesiasticos distinguit & ordinat: neq; hos probo. Alij esse *ex congruo* aiunt vt honor sacro ordini tribuatur, & *ex condigno* vt strenue operantes honorentur, sed qualis aut quantus cuilibet deferatur, *pendere ab æstimatione populi*, sc: eorum qui deferunt: Sed hos similiter Improbo etsi istis faueant nonnulli Iure-consultorum, sicut prioribus Canonistæ, qui vt Regiam immergant largitatem, absurdum maximum emergere faciunt.

Quod ad primos attinet, sicut ex omni parte honorem Regi acceptum fero, sic ad sacrum ordinem conferendum Regis partes nullas esse infero, nam bis tantum de

de sacerdotibus creandis actum esse constat; primò dum prospicitur synagogæ, secundo dum prouisio fit ecclesiæ, vtroq; tempore Clerum sibi eligit ipse Deus & successores decernit. Primò ad cultum legalem seligit *Aaronem* & qui in ministerio succederent Leuitici generis sacerdotes: Secundò vt prioribus sæpe erat prædictum, Christus aduenies veteres abrogat & ad mysteria Euangelica & sacrum nouos subrogat nempe Apostolos; & eorum successores innuit dum cum illis *se futurum vsq; ad consumationem seculi* spondet. Tertiò vt istis reprobatis alij substituerentur, desunt vaticinia & ratio, imò, quod res est dicam, deest ipse Deus. Pergam igitur. Iudæis non sacerdotes erant qui non ex prosapia Leui, Christianis similiter non sacerdotes qui non ex propagine Apostolorum. At in hoc, nempe qui sint Apostolorum propago est difficultas? non maior quàm in Tribu Leuitico secernendo; nam sacro eloquio patet liquide. *Apostoli paragratis partibus* ex officio *ecclesias visitant; episcopos vt regant ecclesiam Dei in singulis ciuitatibus cum presbyteris constituunt*; eisq; mandant *vt presbyteros disponant oppidatim.*

tini. Presbyteri igitur qui *per manuum Impositionem* canonica dispositione ordinati ab istis Episcopis non descendunt, & Episcopi qui *tradito more constituti*, Apostolis rectâ lineâ non succedunt, non magis in Clero Dei censendi quam *spurij inter legitimos*, aut aliengenæ inter filios Leui. Legi equidem Regem quendam ad cultum Iudaicum sacerdotes quosdam adsciuisse *anomalos ex ima plebe*; at non sine summo scelere? sed mitto scelus; Christianis similiter qui dantur Presbyteri *decreto aut sanctione principis*, non magis mihi Clerici, quàm qui ex vili plebe aut ex fæce populi. Nam quo Iure essent, cum sacra scriptura aperte videatur contraria? *pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram*, qui igitur istis patribus (seruato generationis ordine) natiui non succedunt filij (nolo in supplementum *adscititios aut adoptiuos*) istius Iuris aut ptincipatus in nulla terra erunt participes: & licèt *Iesum* iactitent *quem Paulus predicat* atque nihil præ se ferant quod non sit *scripturale aut primitiuum*, cùm tamen ab eis non acceperunt nec claris natalibus succedunt illis quibus *Paulus* cum coapostolis

ſtolis Ius tradidit & mandauit, non ſunt Rectores fidelium ſed mancipia dæmonum, & ab illis tempore opportuno caſtigandi. Sed hanc Theologicam paleſtram non inire religio eſt. Secundam expedimus difficultatem.

Vt ordinibus ſacris dentur Iure eccleſiaſtico diſtincti gradus, putà Archi-epiſcopatus Archi-presbyteratus, Archi-diaconatus, &c. ad omnem eccleſiaſtici Regiminis intentionem valîdum cenſeo. Vt poſſit ſummus Pontifex Iure proprio legere Cardinales non nego, & vt poſſit Clerus Romanus in hos tanquam in perpetuos electores conſentire (niſi aliud ſtatuerit Clerus vniuerſus in generali Synodo) fateor; ſed hos ordines & gradus vi propriâ aut intrinſecâ habere ciuilem honorem adnexum; aùt hunc quo nunc fruuntur eccleſiaſtici a Papâ quâ Papa poſſe dari; aut Papam de facto dediſſe pernego. *Honeſtatem* eſſe multorum concedo; & quorundam *dignitatem*, quibus nullus competit honor: nam honorem illis ſolum competere dignoſcitur qui in aliquo nobilitatis gradu ſunt poſiti, & *hoc ipſo nobilitantur quo ad honorem vocantur*, hos autem gradus fuiſſe

a ſeculari

à seculari principe ordinatos & ipsos nobiles à principe vocatos ex naturâ & definitione rei liquet; atq; verum est in casu Clericorum. V. G. *Inter ordines regni censentur* vt rectè *Barclaius*; vnde autem hoc, nisi à Rege *à quo omnes ordinantur* vt vere Otho & *amplissimarum dignitatum fontes sunt* vt recte *Cyrillus*. Similiter *Episcopi inter proceres habentur et primum locum obtinent*, an hoc decreto Pontificis? non; sed proferuntur statuta Regni aut diplomata Regis, sic *Canutus* in dania *Episcopis primum locum inter proceres perinde ac ducibus assignauit* ann. Do. 1080. Sax. Gra. Hist. Da. lib. 11. & hanc primam reor esse concessionem. Vt autem Archi-episcopi duces (vbi vtriq; sunt subditi & neutri ex regibus prognati) præeant, hoc etiam fit aut facilitate legum quæ in illis geminatum supponunt honorem vt in casu eius *qui est doctor & miles* respectu illius qui est *solummodo Doctor aut miles*, aut fauore principum, qui volunt vt *ecclesiastici* habitâ gradus ratione *cæteris paribus præferantur*.

Sed Cardinales nuper ipsis *Regibus æquiparantur*? insulsè nimis: nam non magis cum Regibus comparandi, quam cum eo, cui

cui nonnulli eorum nimis officiosè inseruiunt, summo Pontifici. Verum quoniam eò processit Canonistarum ex vna parte blanda assentatio, ex alterâ audax temeritas, accuratiùs expendendus est eorum honor, quo fundamẽtaliter posito, patebit hunc quoq; à Regum benignitate saltem patientiâ promanasse. Rem expediam quàm potero breuissime. Quod *galero rubeo sint donati* probe sit scitò summi Pontificis, qui non incompetenter Iudicat *de omni habitu Clericali*; & vt distinctionis causâ *equo vtantur*, (non autem alij prælati) libenter concedimus *Innocentio* 4. sed vt ad hanc, qua nunc eminent, celsitudinem euehantur, non sufficit decretum Summi Pontificis, quâ Pontifex, nec quâ princeps secularis nisi accesserit approbatio & autoritas aliorum principum, quorum interest. Quod vt pateat, considerandum est Cardinalium quosdam esse subditos summi Pontificis quosdam aliorum Regum & principum, in eos qui summo Pontifici in temporalibus sunt subditi, ei licet quemlibet ciuilem honorem decernere, & Iure valebit apud omnes, etsi conferret extra ditionem suam: nam hoc pertinet ad liberam

Iurisdictionem

Iurisdictionem quæ ex mente omnium Iure-consultorum competit cuiq; principi tam extrà quam in terris dominij sui; secus autem statuunt de potestate vitæ & necis: Cùm igitur hoc sit fundamentum omnis ciuilis honoris, *talis est quisq; qualis est suo principi*, non contrà (nam non habet *liberam iurisdictionem* iste princeps in subditos alteriùs principis) non igitur Papa in Cardinales conferre honorem *principalem aut quasi principalem, ducalem aut quasi ducalem* potest, nisi ratum habere velint Reges & principes ad quos spectat, sc: quibus subditi sunt Cardinales ad dictam dignitatem mox euehendi. Cùm verò æquum est & Iuri consonum vt omnibus Cardinalibus idem tribuatur honos: hoc autem fieri non potest, vt dictum est, nisi ab omnibus principibus quorum interest aut interesse possit, ratihabeatur, ad certum igitur Cardinalium honorem necessarium est certum & datum principum decretum & autoramentum. Sed *nobilitas potest prescribi*, atq; idem dicendum de quouis honore ex mente omnium? Fateor atq; in hoc ni fallor vnicum Cardinalitij fulgoris tutamen; hoc autem non tutum aut validum nisi assensu saltem

saltem conniuentiâ principis roboretur, ab eoq; habeat firmamentũ. In hoc enim omnes consentiunt, *Nobilitas* (in quovis gradu cõsideretur) *non præscribitur ex vsu & quasi possessione nisi tanti temporis cuius non extat memoria* & præter illud tempus requiritur *vt innotescat principi qui loco aut ciuitati præest*: aliàs longissimo tempore non præscribitur; quia *ignoranti principi non occurrit*: non igitur valet Cardinalium honos ex præscriptione temporis sed ex conscientiâ & consensu principis. Vere itaq; potentissimus *Iacobus*, ad hoc quo nunc fulget honoris fastigium aspirastis eius aliorumq; principum patientiâ & conniuentiâ. Atque non modò Cardinales permissu & gratiâ principum sublimati sunt, sed etiã potiores sc. Patriarchæ (potiores qui pauciores) ad honorem euecti & in honore ordinati. Cur enim *Alexandrinus Antiocheno* prior? quia sic erant ab Imperatore distincti præfecti *Augustales* in eisdem ciuitatibus. Cur Constantinopolitanus vtriquè præfertur & sæpe cum Romano comparatur? quia voluit *Cæsar* ob maiestatem ciuitatis Imperialis.

Sed concessâ ista, qua nunc gaudetis,

Amplitudine

Amplitudine, (quam hercle contra Ius aut æquum non censeo) haud tamen cum Regibus estis comparandi aut stricto Iure, cum vllo supremo principe. Quo enim loco sitis habendi, ex Inscriptione vestra patet honoraria; non enim temere dãtur *tituli* sed habitâ *loci* & *ordinis* ratione quisq; honoratur. Dicti estis *illustres* & *illustrissimi*: qui autem sic primitus conscripti *qui de consilio & consistorio imperatoris* vt l. *quisquis* C. ad leg. Iul. maiestat: transfertur consuetudine & ob similem rationem ad eos qui de consistorio summi Pontificis; par enim ratio, *Cæsar* supremus in secularibus, Papa in spiritualibus. Nõ igitur cum Regibus aut supremis principibus stricto Iure conferendi nisi cum summo Pontifice & Imperatore. *Consistorium* enim vel *Consilium* dicit rationem ad negotia regni vel huius aut illius Prouinciæ non ad diætam *Cæsaream* aut ad negotia Imperij in statu quo nunc iam, quæ pertinent ad principes Imperiales & forsan serenissimos. Patet quod dico, quia antiquis qui principibus erant a cõsilijs, dicebãtur *Comites Consistoriani*, sicut qui per Prouincias & palatinatus Iudicibus & notarijs præerant, *Comites palatini*

L. 1. c. de consisto lib. 12.

Latini, illud nomen non vsu exoleuit, hoc in Ius hæreditarium & distinctum Nobilitatis gradum vsu adoleuit & gratia *Cæsarum*. Ad hoc etiam facit triplex distinctio eorum qui secundum dignitatum suarum amplitudinem præ alijs honorantur; quorum triplex est ordo. Sc. *Maiorum, mediorum, minorum*. *Maiores* dicuntur *Illustres & illustrissimi*, vt *præfectus prætorio orientis*, Item *Illirici, Affricæ, & vrbis Romæ. Medij, Spectabiles & Spectatissimi* vt *Pro-consul, præfectus Ægypti, &c. Minores, clari & Clarissimi* vt *præsides prouinciarum*, quo titulo nunc scitè insigniuntur Iure-consulti, quibus hoc munus ordinariè delegatur, & ratione illorum promiscuè omnes DD. Nomine latet quibusdam eandem esse dignitatem clarissimorum & Illustrissimorum, quos non sequor. Huc etiam referenda est quadripartita honoris & honorandorum diuisio Authent: de Appellat. Sect. 1. &c. tribus seq: *Maximi*, qui *super-illustres*; *magni* qui *illustres*; *medij* qui *spectabiles*; minores qui clarissimi. Inter *Maximos* intelligantur supremi principes, gradu ponit vestro celsiorem; si inter *super-illustres* veniant *Illustrissimi*, vestrum supponit ordinem,

dinem, ita tamen vt hinc euidenter pateat, vos ſupremis eſſe ſubordinatos.

Sed ſicut contra Ius & æquum arbitror quod nimio principum fauore aut Canonistarum feruore pares Regibus eſtis habiti; ſic neque contra Ius aut æquum cenſeo (vobis nunc eo aduocatum) quod aliis principibus quantiſuis, modò ſubordinatis eſtis adæquati. Principes eſtis quia vos inter deligitur & vos ipſi electores principis magni: & patres eſtis maxime venerandi quia à vobis *patrum pater* principibus & patribus præficitur, atq; è vobis (ita inualuit mos) eſt præficiendus. Sed humiliter monendi, ſaltem ſuppliciter exorandi ſunt ipſi Summi Pontifices vt deiuceps Concilia Baſilienſe & Tridentinum non ſint eis Apocrypha ſicut dudum fuere, dum vos ſine numero & conſilio lecti eſtis. Imò vtinam conſulerent *Concilium* & *canonem* ſed conſulunt *carnem* & *ſanguinem*, dum non potentes ſed nepotes legunt, & non ſparſim prælatos ſed fere ſolos Italos. Sine ſancte Pater, quærela ad omnes pertinet dū damnum ad omnes peruenit. Sed tertij generis Errones exponamus.

Istis *honor à communi hominum æstimatione pendet*. Agnosco spiritum Puritanorũ; qui Clericis honorem in vniuersum denunt, vt suis *in verbo & doctrina*, vt aiunt *laborantibus duplicem* ex condigno quærant scilicet Hos, proh pudor, non omnes Iurisperiti auersantur; & tamen non quicquam habent *constitutiones imperatorum* cum sectarijs aut nouatoribus commune. Verum ita sunt multi nouitatis auidi vt omnem dogmatizandi occasionẽ arripere velint, modò ingenioli sui acumen ostentent. Sed quid istis insciitius? nam talis est quisque non qualis *vulgo æstimatur*, aut qualis *communi hominum æstimatione reputatur* sed qualis est Regi & legibus: ideo *qui nobilitatem & honorem falso sibi adsumit*, ideſt, autoritate propriâ aut æstimatione populi, *tenetur læsæ maiestatis* sicut omnes cum *Bartholo* consentiunt: ratio est quia læditur maiestas principalis cum nobilitas aliunde petatur quam *à solo principe aut principatum tenente*. Neque obest quod ei *crimen falsi* intentatur, qui doctoratum aut alium nobilitatis gradum sibi falsò adrogat cum non sit Doctor, quia hoc tenet in casu priuato, cum quis

L. 3. Sect. fin. ad l. Iul. maiest.

læditur

læditur putà signatione libelli a non Doctore aut in aliquo casu nobilitatis priuilegiato; non aliàs. Concludo igitur cum sacrâ scripturâ tam de honore absolutè dicto quàm modificato *sic honorabitur quem Rex vult honorare*. Esth. 6.

CAPVT DECIMVM.

Principes seculares suis legibus ac edictis rectè & probè cauent, vt donationes immobilium non fiant ecclesijs aut locis pijs absq; eorum licentiâ.

VT cauerent æquum est, iustum est, necesse est. Aequum est imò quid màgis æquum, quam primò, vt quisque suo iure fruatur; secundò, vt secularibus subsint secularia; tertiò, vt non diteſcat aut sublimetur vnus damno aut detrimento alterius.

Primò igitur quid vobis màgis iniquum?. Pontifici vt suum tueatur ius & exequatur, potestatem ei facitis Iuris alieni, & diuersi generis: Regi verò vt seipsum & dignitatem sustentet suam, non sui & proprij. Pontifici conceditis quæ non concessit Deus, quia *qui vult finem expressiuè*,

vult omnia media includiuè, etsi sint heterogenea; vt Monarchiam simplam faciatis duplam. Regi, cui eadem ratio, & simile damnum nisi amoliatur, homogenea & maximè intrinseca negatis, vt Monarchiam amplam faciatis nullam.

Secundò, *Regi quæ hic sunt, commisit Deus*, inquit *Chrysostomus*; vos eius fidei credita sine eius licentiâ adimitis, & sacerdoti traditis. Hom. 4. de verb. Isa.

Tertiò, Bases, stabilimentum, pedes Regis quibus incedit sunt res suæ, res subditorum; ob amorem sacerdotij seipsum euisceravit & debilitauit Regius vigor, inquit *Otho Frisingensis*, vno igitur pede claudicat: Hinc, vos humi prius reptantes, grandiuistis gradum. Rex nihilominus, saluo in subditos iure, licèt exhaustus & lassus, (integris tamèn eorum rebus) satis fortiter figit pedem: Vos verò vt altero & integro pede abbreuiato præceps ruat, inscio etiam inuito insidias struere, imò Vim parare satagitis, dum ei scienti sed nolenti, quæ eius sunt Iuris aufertis. Non mirum igitur quod *hominem in manus latronum incidentem præteriere sine misericordiâ Sacerdos & Leuita*, Luc. 10. cùm ipsi sacerdotes (si principatum spectemus

ſpectemus) ſunt mille latronibus peiores. Nam Rex ab omni latrocinio tutus & munitus, incautè in manus ſacerdotum incidit & niſi maturè caueatur, *vix ſemiuiuum relinquent.*

Secundò iuſtum eſt; imo quid magis iuſtum ex mente Domini, quàm dare *Cæſari* quæ *Cæſaris* habent imaginem? Igitur quid magis iniuſtum, quàm quæ ſunt *Cæſaris* dare alteri? & *Cæſarem* inuitum ſuo iure abſque ſuâ culpâ (quod notandum eſt) priuare? Hoc autem fieri iſtis donationibus non negatis: nàm quod priùs erat iuris regij, ex mente veſtrâ, iſtis donationibus modo irredimibili fit Pontificis. Nunc igitur vobiſcum agam ſtricto iure. *Priuari ſuo iure pœna eſt*; pœna non irrogatur *niſi ratione culpæ*, vt rectè *Syluester* de omni pœna tàm temporali quàm ſpiritali: Non poſſunt proindè bonis ac iuribus ſuis principes priuari, niſi aut peccauerint, aut ſponte ceſſerint; vos autem priuaſtis ſine ratione huius aut illius. Secundò priuari ſuo iure onus eſt; onus non imponitur, niſi *per modum pœnæ*, *per modum ſubſidij*, aut *per modum miſericordiæ*; iſtud non imponitur per modum pœnæ,

quia non minus pios ac probos quàm immorigeros attingit. Onus per modum subsidij semper respicit principem secularem, aut eius mandatum; nam hoc modo seculari in secularibus subuenitur, quod iustum est & iure debitum. Princeps vero ecclesiasticus si quid in hoc casu fieri mandauerit *quasi non imperans dicit*, vt 2. *Cor.* 8. 8 *sed consulens*, aliter si quid petit, aut *stipendium* est, vt 2. *Cor.* 2. 7. quod operanti debitum, aut *decimæ* quæ litanti. Mandatũ clericale in causa pecuniariâ non agnoscimus; admisimus fateor, & non gravatè, ita modicæ erant eorum res & adeo spectanda modestia; at nunc reprobamus, ità difficiles sunt mores illorum & facultates augustæ, ità angustæ res laicorum. Tertio onus per modum misericordiæ vtrumque quidem principem spectat, tàm ecclesiasticum quàm secularem; sed hoc neminem inuitum tenet; nam verum est illud *Scoti*, & totius Scholæ, *Nemo cogitur ad misericordias*. Hic non sine culpa arguendus est *Leonardus Lessius* de Iur. & Iust. l. 2. c. 14. dub. 6. potius eo quod Pontifici plus iusto studet, quàm quod alijs minus æquo.

Primò in omnes laicos peccat dum ſummo Pontifici poteſtatem diſponendi *de bonis ſingulorum temporalibus* tribuit, *prout expediat ad bonum ſpiritale*. 2. in principes, & magnates, dum bona incerta & adeſpota ijs in ſuis ditionibus iure proprio ãtiquo & optimo competentiã in Pontificẽ transfert. *Horum diſpoſitionem* autore *Leſſio*, *poteſt Summus Pontifex principibus ſecularibus ſubtrahere, & ſibi reſeruare, ſuã lege ſtatuendo vt impias cauſas conferantur, neque debere eos ius in iſtis ſibi arrogare, niſi in caſu quo Põtifex non diſpoſuerit*. In vtroque dogmatizat. Primum inſeitè, & improbè dictum, ob varias rationes: nàm primò datâ tali diſpoſitione; non tenetur quis quià expedit, ſed quia præcipitur. Aut igitur contẽnenda eſt Papa ſententia quandò non expedit, quod in nullo caſu fertis, (& reuerà omnia iura ſunt contraria) aut ei parendum quandò quis ære alieno grauatur, aùt tenuiores fortè ſunt facultates eius quàm cenſuerat Pontifex: Et ſic non ſua, ſed miſericordi Pontificis pietate, ille cum vxore & liberis, (re ſua diſſipata) ad miſeriam acti ſunt, quo nihil iniuſtius. At *S. Pontifex* non diſponet niſi quandò expe-

diet

diet? In hoc virum te præbe, & ego ex albo Pontificum multos, & nominatim *Alexandrum* expungam, & tu eris mihi magnus & sextus *Alexander*. Secundò hoc ius non conceditis in clericos quorum bonorum & iurium iure proprio summus Pontifex est supremus administrator; & cùr sua laicis inuitis bona præripi posse contenditis? Quid garriat *Em. Sa.* qui eandem papæ in Clericos beneficiatos concedit potestatem *Aphorism.* ver. Papa, nihil moror, nèque quid centum tales; nàm cùm ipsi necessariò sunt beneficij incapaces, volunt omnes ad arbitrium fieri exbeneficiatos. Rectiùs tu eiusdem religionis màgis religiosus; Nobis tamèn religionem faciũt ipsæ leges: nàm etsi expediat ad bonum spiritale vt Episcopus aut Parochus modicè literatus & moratus beneficio amoueatur, vt surrogetur vtilior, Non tamèn potest Pontifex hunc mediocritèr doctum destituere, vt substituatur alius multo doctior & màgis pius, nisi cum proprio consensu, aut seruato iuris ordine; & hæc est communis sententia, a qua tu non dissentis. l. 2. c. 34. d. 1. Tertiò non tenemur strictè ad sententias practi-

cas

cas Pontificum, sed creditiuas solùm, vt posteà ex teipso & alijs ostendam. Quartò euertit naturam meriti, & communem æternæ salutis ordinem; nam non priuat me Pontifex bono temporali, nisi vt assequar maius bonum spirituale, ad quod tuo dogmate me adstringis: sed ex omnium mente in istis rebus, euangelica semper dantur consilia, nunquam præcepta.

Secundum dogma magis laborat: nàm principes & proceres sempèr eorum iuribus priuat, *nisi quando Pontifex non dispoſuerit, neque debere eos istis rebus se immiscere, nisi in defectum dispositionis Pontificiæ:* & hoc est decernere Papam in terris aliorum principum proprium & directum in secularibus Dominum & administratorem, ipsos verò principes solùm indirectos & minus principales; putà non habentes Ius nisi in casu quo Iure suo non vsus fuerit Pontifex: in quo pariter dissentis a communi Theologorum sententia. Sed progrediar.

Tertiò Regem priuari isto iure damnum est; nàm fieri possit, (& sæpè accidit) vt *dominium vtile rei donatæ cedat principi*, quod positâ ista donatione fieri non potest;

test; nàm succedit ecclesia & aliud forum in totum ius regis: vndè amittit non tantùm ius in re, sed ad rem. Damnum autèm numqàm infertur, nisi iure aut iniuria: nàm de damno fortuitò accidente dicere non refert. Damnum iure illatum semper supponit iuris ordinem ac processum aut spontaneam cessionem. Iuridica mulcta semper fundatur super præuiâ & probata iniuriâ, & ideò dictat subsequam, & debitam compensationem. Aliàs non potest Iudex quacumque autoritate fultus & munitus, vllo iure aut iuris pietatisue prætextu *Iohanni* adimere vt *Petro* deferat: nàm nemo, sinè mandato ipsius Dei, licitè potest bona *Egyptiorum*, Ethnicorum, aùt Laicorum in Israelitas, fideles aut Clericos transferre, aùt ab illis auferre, vt istos locupletaret.

Sed apud vos frequens est, istis donationibus neque pœnam, neque onus, neque damnum inferri principibus? Quià vt Constantiuus 23. *q.* 8. *c. in qualibet ciuitate, màgis religionibus quàm officijs & labore corporis Respublica continetur.* Fatentur principes, & ideò concessa sunt ista prædia, & istæ immunitates, quibus nùnc fruimini,

sed

ſed *non ſine numine principali*, vt Imperatores ſæpè. Præterea ità ſenſit *Conſtantinus*? Sinite quòque vt alij, quorum paritèr intereſt, paritèr ſentiant. Sed leges ſinunt, imò ſanciunt liberas donationes vt *L. Generali, & l. Iubemus. c. de ſacroſancto. eccleſ*? nihil minùs: Ille leges oſtendunt Imperatores eo tempore liberè conſenſiſſe in liberas donationes eccleſiæ faciendas; Cùr idem ius hodiernis negatur? Lex autèm de donatione inter viuos C: eodem, contra vos eſt; nàm in diſpoſitione donationum plenum Ius principi facit. Sed æquum eſt, & *Conſtantino* priſciſque Imperatoribus conforme, vt noſtri principes nùnc quòque in liberas donationes conſentirent quia dantur ob eandem cauſam & in eundem finem? Iudicium penes ipſos principes eſto; nàm ſicùt tempore *Conſtantini* & antiquorum nihil donatum accepimus, ijs non autoribus, aut fautoribus ſaltèm; idem concedite eorum ſucceſſoribus, mihi credite, iuſtum eſt: Nàm *Conſtantini* manipulis addidere modios.

Vt *caueret neceſſe eſt*, certè vèl maximè; nàm ſi *regnum diuiſum deſolabitur*, quomodò non regnum indies deficiens,

&

& dissipatum? Imò desolatio non incerta: *nam regnum ferreum in parte fictili læsum corruet*, vt *Dan.* 2. 23. Et ruina non inconspicua; dùm enim ecclesiastici ex omni parte corrogant, ex nulla perdunt; & nihil illis acquiritur quod regi non perit, quis totius Europæ Dominus posset hoc iuge detrimentum pati? Vt Reges sint liberales nihil fulgori eorum aut muneris amplitudini accomodatius; vt non sint liberales nihil istis donationibus magis incommodum, nam vere *Hieronimus*, *Liberalitas liberalite perit*, nempè propriâ, adde alienam, deperit. Perenne damnum ipsos *pietatis montes* exhauriet; at illis remedium parastis, etsi non absque malo, si *Caietano & Soto* credimus? Cur idem Rex in rebus suis ac licitis non conceditis vt sit regnum eius stabile sicut vestrum? imò sine quo vestrum non est stabile; nam sublatis montibus maiestatis, impij & fontes in vestros irruent *montes*, & ipsos *pietatis fontes* exhaurient. Cur regi in principes externos & eorum subditos sibi aut suis damna inferentes potestas conceditur? quia *alias manca & imperfecta esset eius auctoritas, si sibi & suo statui omni modo non*

possit

possit cauere; & nunc parem ob eandem rationem in subditos denegabitis? stupidè factum: nam a fortiori, Eadem magis concedenda in proprios, & in omni noxâ interna sibi ac suo regno ingruente: Grauiùs enim læditur qui intrinsecè; & frustra ab externis, raris, & minutis cauet damnis, qui domesticis, quotidianis, & maioribus subiacet. Sapienter & ad rem Romanus; *quid ista circumspicis quæ possunt fortasse euenire, sed possunt & non euenire? illa dico quæ tibi incidunt non insidiantur: illa potius vide, illa deuita quæ te obseruant, quæ te captant*; & ibidem, *malum quo frequentius, blandius, pertinacius eo magis cauendum.* Ad viuum depingit hoc malum & quod ab istis donationibus manat damnum; nam nihil frequentius, blandius, aut pertinacius. Quid *frequentius*, dum quotidie accidit? quid *blandius* dum maius Regi & Reipublicæ pollicetur bonum? quid *pertinacius*, dum Ecclesia omnia *manu apprehendit mortua*? Istis consideratis, nihil est, ausim dicere modò non sit fatale, principi magis incommodum aut magis nocium quàm si subditis ad libitum liceat terras & prædia sua in ecclesiasticos transferre: nam

Senec: ep: 103

nam istâ libera dispositione concessa fieri potest vt magnatum nonnulli spe prolis orbati aut sine liberis obientes (forsan non pietatis aut animæ causâ sed odij & priuatæ simultatis vt principẽ mulctarent fraudarent) Ecclesiæ suorum dominiorum Ius plenum donent vel legent, & eo modo princeps vno tempore quasi vno ictu vulneratus parte Regni non contemnenda caderet. Hoc interdum a summæ (animo non dicam maleuolo) Nobilitatis viris vt ab *Henrico* Comite Palatino *Henrici* Leonis Ducis saxoniæ filio tertio, *qui sine virili prole decedens, Ecclesiæ pactus est sua Iura, nimirum Comitatum stadensem & Bremam*; sed sæpe sæpiùs a minoribus non ignobilibus (neque animo dicam iniquo sed quis omnibus ibit fideiussor?) factitatum nouimus, & sæpè a magis Illustribus.

Alb: Krantz. hist. Sax. l:7.c:39.

Aequissimum igitùr, obstrepente quocumque, quod posuimus aio, nempè vt donationes immobilium adsensu principali non firmatæ non sint validæ; nisi in hoc consentirent ecclesiastici vt transeant terræ cum suo onere, id est, vt *sint redimibiles*, & regijs inquietionibus obnoxiæ. Quod non sunt obnoxiæ ab ipsis regibus

prouenit, nàm iure suo cessere, alioqui vt dixi ex *Ambrosio* & *Gratiano*, temporalia ex seipsis & naturâ sua sunt Iuris *Cæsarei*, & *immunitas non impetratur nisi benignitate principum*. Quòd non sunt *redimibiles*, emanat a præ-excellenti ipsius Dei maiestate, & rerum diuinarum, atque a diuersa natura alterius politeiæ quarum vsui & quibus sacrantur, mancipantur. Et quamuis essent *redimibiles*, vt in multis casibus ad arbitrium summi Pontificis & ecclesiasticorum forsan sunt, vt in sequenti capite dicemus, hanc tamèn legem suaderem ob duas rationes. 1. quià difficilis est rei vindicatio *quandò ipse Dominus non condicitur*; & ideò quod de donatione, idem de omni contractu immobilium, siue gratuito, siue oneroso intuitu Ecclesiæ ineundo dicendum censeo. 2. vt sopiantur & extinguantur omnes querelæ, simultates, & futuræ lites, quod fiet accessione adsensus regij: Nam *volenti non fit iniuria.*

CAPVT VNDECIMVM.

Exemptionem clericorum non posse reuocari, verius ac iuri conformius arbitror; itèm nec bona eorum immobilia ipsi ecclesiæ incorporata, putá iure ad mandatum Principis, etsi in hac re dubij videntur nonnulli patrum: & idem dicendum de mobilibus pretiosis quæ seruando seruari queant. Secus autèm ex S. Pontificis qui est supremus bonorum ecclesiasticorum Administrator, dispositione, aut si ipsi ecclesiastici cesserint aduersus Pij 5. opinionem.

VARIA exemptionum & immunitatum genera explicare aùt discutere nõ est huius loci: ad rem ipsam accedam. Cur ista principalis non possit reuocari, triplex habetur ratio. 1. ex parte principum. 2. ex parte ecclesiasticorum. 3. ex parte & natura ipsius exemptionis. Principes vt ipsi Deo reuerentiam exhibeant, & suam subordinationem agnoscant, eius ministros eximunt. Idem obsequium præstant Regi minores & subordinati, eius famulos ab ordinario & cõmuni processu excipiendo.

Hoc postulat æquitas, & Iuris ordo: nàm aliàs Regia celsitudo, operâ minorum in administratione leuiori subleuata, sæpe in rebus

rebus maioris momenti possit prægrauari. Quo autèm Deo propinquiores, eò æquiores: igitur minores, nè fortè præuaricentur æquum est vt præcepto regis tenerentur: ipsi reges sola æquitate. Ea tamen semper eadem, & constans: Quicquid igitur super eâ fundatur paritèr constans, præsertim in iure; nam *iura fauent libertati, & gratiæ sunt ampliandæ*. Valet tamen exemptio stricto iure: nam iste Rex non potest id petere, ad quod ius nunquam habuit: neque prior, nam non potest id reuocare cui renuntiauit. Emancipatus vix in seruitutem retrahitur: *nam nihil difficilius reuocatur quàm libertas*; quod probant multæ leges, vt *L.* 10. 20. 26. *C. de liberali causa*. Multò minùs principaliter exemptus: nàm *manumissio semper supponit conditionem*, non autèm renuntiatio; & tamen illa irrita si posteros spectemus: conditione enim nihil operante, *ius cũ manumissore perit*. Eximijs autèm sacerdotibus libertos & seruos *in causa liberali* adæquare nefas? Servus enim meus est vt ager est meus: At sicut non raro inter Prætorẽ, & ciuẽ euenit, sic sæpè inter laicũ & ecclesiasticũ, (etsi alia ratione stricta tamẽ & obligatoria) Subditus meus

pater meus est. Verum horũ magis subesse dicam? Ille præest domi, hic in foro; potius quidem pro tempore est forense, sed strictius ius paternum; Illud induxit iuris ordo, hoc naturæ; Illud igitùr solui potest, hoc non potest.

Secunda ex parte clericorum: ratio est, quià in vniuersum considerati sunt communitas, rectiùs Vniuersitas. Priuilegia autèm vniuersitati ordine distinctæ concessa non possunt reuocari, quià censentur *Vniuersitati incorporata*, atque ipsi ordini adnexa: vnde quamuis alicui communitati ratione particularium priuilegia possint concedi, atq; fortasse irrita fieri, vel *per reuocationem cessante causa*, vel *per renuntiationem*, non tamẽ ista cuius ratio est indeficiens, & quæ quasi cum ipso ordine coaluit, adeò vt cuiuis minori æquè ac maiori ratione ordinis cõpetat, quià *Clerus Domini est*. Renuntiatio igitur multorum, puta Italorum aut Hispanorum, cæteris non nocet quia concessa est communitati. Neq; renũtiatio communitatis, (si fieri contingeret) successoribus derogaret: Nam non istis aut eorum gratiâ erat indulta, sed prioribus & ratione ordinis atq; functionis. Sed non

est

est vt eorum expectemus cessionem, dùm concessis non acquiescunt. Immunitas & priuilegia non parui æstimantur, plura expetunt, imo exigunt.

Tertia, ex parte ipsius exemptionis, eaq; duplex: 1. quia non concessa *ad tẽpus*, *neq; sub cõditione*: 2. quia eadem manet exemptionis ratio, nempè *vt liberius vacarent diuinis*. Hanc innuit sacra scriptura *nemo militans Deo, se implicat secularibus*, 2. *Tim.* & hæc apud me semper maximè valuit; Quid enim proderit seipsos non implicâsse, si ad illa ab alijs possint cogi? Atque vt ingenuè dicam quod sentio, æqua est vacatio (ideoque exemptio) si illi vigiles; nam diuinis incumbere, & animabus, est Ars Artium, ideo cæteris longior, & magis operosa: Omnis autem ars longa, ac totam poscit vitam, & parum est; ista igitur totam vitam & totum hominem. Hac autem sublata, multis subiacent oneribus, multis difficultatibus, remoris multis: experientia docuit; In multis enim liberi, sed non in omnibus, *ad militiam cogebantur secularem* vsque ad *Caroli Magni* tempora, vt patet in eius diplomate. Neque tamen *Hostiensi*, *Siluestro*, & alijs adsentior, qui *donationes*

& priuilegia Ecclesiæ aut Ecclesiasticis a Rege & Imperatore concessa, & a summo Pontifice confirmata non posse reuocari asserunt, quia *a Papa tanquam Superiore robur obtinent*: Nam errant Iura confundendo; valet hoc vbi potestates sunt eiusdem generis & subordinatæ, non autem in cõcessionibus Regum ac principum; Pontifex enim in hoc casu neque est Superior, neque principes subordinati. Quod tamen volunt non negamus, non autem ob dictam rationem, sed quia Deo dicantur & sacro cultui, in quem ius Regi plenum non facimus. Videamus nunc de alienatione.

Sub nomine alienationis intelligo cum alijs *conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & perpetuum contractum emphyteuticum.* Sed primo quærendum an possint bona Ecclesiastica alienari? & respondeo affirmatiuè. Secundo an ad arbitrium principis? & respondeo negatiuè; secùs ex dispositione summi Pontificis, aut Ecclesiasticorum ad quos pertinent. Vt possint alienari ratio primaria vult vnde iura orta sunt; vt a principe non possint, Iura volunt quibus ratio secundaria siue

exorta

exorta cedit. Videamus primo quarè non a Rege.

Vt Princeps non alienaret, obligatione iuris diuini fit ad quod tenetur, & æquitate iuris sui ad quam, vt scite Imperator, ex maiestate obligatur. Primo de iure sacro: *Quicquid semel consecratum fuerit, sanctum sanctorum erit Domino*, id est, intimi iuris erit, in quod ius Regi negatur, aut ad *interiorem templi domum* pertinebit, in quam inspectio Regi non conceditur. Sed solo *sacerdoti maximo*, aut *eius filijs*, puta Clericis, idque semel in anno, id est, quando necessitas aut vtilitas tulerit. Quis hoc ius sanxit? ipse Deus; ergo princeps minore iure fultus, soluere non potest aut rescindere. Quibus concessit? sacerdotibus; *Ius erit sacerdotum, & ad ius pertinet sacerdotum*, non igitur ad ius principum neque princeps minore autoritate munitus potest auferre. Nam quod a superiore indultum est, decreto inferioris iure non potest adimi. Neque dicendum hoc esse cæremoniale, & cum vetere sacerdotio desijsse: nam naturale est, vt quod potiori, scilicet Deo, & ad finem sanctiorem est dicatum, a minore non auferatur,

Leu. 27.

tur, aut ad vsum communem transferatur. Et ideo transijt hoc ius naturale in regulam Iuris positiui. c. 51. de Reg. iur. in 6.

Obligatur etiam ex æquitate & maiestate iuris sui: nam priuilegium principis duplex est, personale & reale; personale personam sequitur, & cum persona extinguitur. Reale vero semper est perpetuum (ita *Augustum* est Regis beneficium) nisi fit ad tempus concessum. Perditur tamen trifariam. Primo, *per non vsum*: sic qui impetrauit a principe nundinas, non vsu perdit nundinas. Secundo perditur priuilegium: *si potest concessionem incipiat esse grande præiudicium alteri, non autem ante*; quia in hoc casu præsumitur, quòd Princeps in priuilegium non consensisset, si damnum præsensisset. Tertio *per abusum*: at non ipso iure; *Sed abusus est iusta causa inducendi principem ad reuocandum suum priuilegium*, ideo vulgatum est, *Qui priuilegio abutitur, meretur priuilegiũ perdere*. Sed hæc intelligenda sunt de priuilegijs concessis a principe suo subdito, secùs quandò *non subdito*; ratio est, quia priuilegium concessum

non ſubdito eſt ab initio contractus voluntarius, ſed ex poſt facto irrenocabilis. tale eſt priuilegium conceſſum a Rege aut Imperatore Eccleſiæ, quæ alia eſt Politeia, aut eccleſiaſticis tanquam membris eiuſdem politeiæ: nam etſi ipſi eccleſiaſtici ſint principum ſubditi, non tamen Eccleſia in quam Ius tranſit; & ideò Bona non incongruè dicuntur *Eccleſiæ incorporari*, id eſt, in aliud corpus tranſire.

Sed eſt ambiguitas in verbis Patrum, eſt, malè intellectis, aliàs non. *Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, tollat eos ſi libitum eſt*, inquit Ambroſius. Et Auguſtinus, *Res terrena non rectè à quoquam poſſideri poſſit niſi vel iure diuino (quo omnia iuſtorum ſunt) vel iure humano, quod in poteſtate regum terra eſt*; ideò *falſò res veſtras appellatis, quas ſecundum leges Regum terrenorum amittere iuſſi eſtis*. Ad *Ambroſium* facilis eſt reſponſio, dùm non quid ſit licitum, ſed quid *libitum* indicat. *Imperatori non dono*, quià quod licitum non eſt petit, *Imperatori non nego*, quià quod libitum eſt, ad libitum vindicabit. Sed minor eſt difficultas in ſenſu *Auguſtini*; vt iuſtis

stis sit ius possidendi à iure diuino est, *quo omnia sunt iustorum*, quod reipsa possideant; à iure humano est quod decreto aut permissione principum nititur. Hæretici, de quibus loquitur *Augustinus*, iure diuino prohibentur, quia illi iusti non sunt; legibus principum priuantur, quia hi iuris diuini vindices sunt. Hîc autèm nulla alienatio, nàm vt verè ille, *sub nomine Ecclesiæ tenebatis quod non debetur nisi veræ ecclesiæ*, cui ritè iterùm reddi curant Reges. De hæreticis, quicunque sunt aut vbicunque, rectè ille contra *Petilianum*. *Magis mirari debetis quod adhuc tenetis aliquid, quàm quod aliquid amisistis.* 23. q. 7. c. *si de rebus.*

Sed a S. Pontifice, & ecclesiasticis, iure possint; Aliàs beneficium interdùm maleficium esset, si hæreditas damnosa, aut parùm commoda, vendi aùt permutari non posset. *Iuris erit Sacerdotum*; An ius ad quod illi sunt obstricti? non, sed ius quo illi sunt donati; ager igitùr mancipatur, Clerici manent liberi: & ager potest emancipari, aliás Clerici in hoc casu non manent liberi. Nèque obstat iuris sanctitas, aut religio finis; nàm iura sacratissima, & cultus primarius, quandoq; hominibus subijciuntur, non homines

mines illis, *Filius hominis Dominus est Sabbathi*, nempè quandò cogit necessitas; multo magis Clerici, *Domini villæ*, si viderit vtilitas.

Theologia igitùr & ratio, necnon iura suffragantur; communis enim opinio est, bona ecclesiastica ob quatuor causas posse alienari. Prima, est necessitas, putà si debita vrgeant Ecclesiam, nèque de fructibus satisfieri potest. Secunda, vtilitas, vt res melior habeatur *Authen. Hoc Ius* C. de sacrosanctis Ecclesijs, vbi hij duo casus habẽtur, & c. *non habenti*, & c. *sine exceptione* 22. q. 2. Tertia, est pietas in redimẽdis captiuis: *Ille verus thesaurus est domini qui operatur quod sanguis eius operatus est*, c. *Aurum* q. *eadem*. ex *Hieronimo*. Quarta, est incommoditas si res alienanda sit minùs vtilis aùt longe dissita. c. *Tertullus*. q. *eadem*. Sed quid si deerit conditio, an vacillabit emptio? non; *hoc nulla lege cautum est*, inquit *Syluester*, addo ego neque vllâ cautelâ præcauendum. Pactum igitùr erit ratum, si pretium sit iustum, vt rectè illè, *Alienatio Sect.* 24. aliás Ecclesia *priuilegio minorum est donanda*, vt communiter sentiunt omnes. Sed hæc ad aliud pertinent institutum. Contra sensisse

Pius

Pium 5. nempe Alienationes Immobilium ab ecclesiasticis factas (licèt á summo Pontifice approbatas) esse illicitas vulgatum est tam ex dictis quam factis eius: petitus enim á quodam qui *Romæ* causas Nobilium procurabat vt quasdam prædiorum concessiones á Clericis proprietarijs factas ratihaberet, se facturum negabat, quia tales concessiones ex natura sua esse malas & illicitas, neque summo Pontifici Ius esse vt faceret licitas aut Iure validas semper habuisset. Iurisperiti & curiales Pontificem Ius suum adeò arctè habuisse, cum contrà erat sententia scholæ & fori, dolent; & vt laxiùs haberet orant, præsertim cum nuperrime idem fecerat *Paulus* 4. in casu quorundam heroũ ac nobilium (quos ego nominare possem) & ostendunt Acta pũblica quibus *Paulus* eisdem proceribus & nobilibus multa prædia quibus Ecclesiastici (puto inuiti) cesserant confirmauerat. Sed exemplum Antecessoris etsi fere proximi & amicissimi non mouet cum ei de Iure non constabat, ideoq; respondet Pontifex *hæc valere possunt in foro fori sed non in foro poli*, ratio, quia cùm quid *ex natura sua sit furtiuum vel sacrilegum, eousq; non valet*

autoritas

autoritas ſummi Pontificis vt faciat non furtum aut non ſacrilegium. Hæc mihi retulit vir probus & doctus nunc ſacerdos, tunc quibuſdam honorandis amicis ſuis coram Pontifice cauſarum patronus: Sed ex mente omnium quod ei Ius erat fecit *Paulus* 4. quod potuit non fecit *Pius* 5. neque vllis precibus aut rationibus adduci vt faceret in cauſa Nobiliſſimi viri, eiq; deuotiſſimi Romæ morientis qui diu ei ſupplicauerat vt nounulla prædia, quondam cœnobitica, hæredibus eius confirmaret in perpetuam emphyteuſim; ſed in aliam conditionem conſentire noluit Pontifex quàm in contractum emphyteuticum ſub hâc lege *vt Clerici aut Religioſi Ius ſuum repetentes tenerentur ad expenſas & meliorationes*, ratio oneris erat quia prædictus Nobilis & pater eius amplis ædibus & alio ſplendido & commodo ornatu fundum ditauerant.

Sed ratio Pontificis de non alienando, re inſpectâ, omnino invalida eſt, verùm vt res ex poſt facto non alienentur aut verum dominium & bona fides in poſteros non transferantur nulla eſt. Oſtendam paucis. Nulla actio ex ſe ipſâ furtiua eſt aut ſacrilega, niſi ſuppoſitâ rerum proprietate & ſanctitate:

sanctitate: sublatâ illâ, non furtiua, sublatâ istâ non sacrilega, sublatâ vtrâq; nec furtum manet nec sacrilegium, sc. cum reatu. Proprietas cessat dum cedunt proprietarij, cessat sanctitas dum res a loco in locum transmouetur & ad vsum communem transfertur; postea qui rem eandem furatur (nisi maioris culpæ sit sibi conscius) furtum facit non sacrilegium. Quod ad proprietatem rei attinet, vt vno verbo dicam, nulla est difficultas; nam etsi deerat in adimente Ius & bona fides in primo possidente, non obest tamen quin ex post facto, accedente veri proprietarij cessione si talis inuentus fuerit, si non, supremi eiusdem rei Administratoris transactione ad posteros & possessores transferantur dominium & fides: nam quod in initio licitè fieri potuit vt postea non fiat nihil impedit. De sanctitate rei minor est difficultas licèt multi aliud opinantur; Iura enim sacratiora, quàm sunt rerum vtibilium quæ solummodò sacris annexæ sunt, hominibus subijciuntur vt dixi superiùs: igitur rationi est consonum, si illa solui possunt in casu necessitatis aut pietatis, certe hæc in casu vtilitatis aut securitatis. Præterea si sanctitas

ipsi

ipsi rei inhæreret, tunc sane cum re periret & non alias: cum vero omnino sit extrinseca, atq; ex vsu pendet, certè cum vsu perit. Alias, putà si post vsum maneret sanctitas, multa esset & cottidiana ecclesiasticis perditio in rebus pretiosis quæ seruari non queant (dum eas alienari non liceret) quarum non minor sanctitas quàm si seruari possint; & idem dicendum de rebus viliori-bus, quæ non minus sanctæ quam quæ pretiosissimæ, non enim in pretio consistit sanctitas sed in solo vsu: hæ autem varijs modis & vicibus commutantur & transiguntur quia vtile est, possunt idcirco illæ si pariter esset vtile. Nō hoc dico quasi licitum cuiuis putem res sacras ad vulgarem transferre vsum (nam hoc laicis nego) sed quia nolo ecclesiasticos rebus suis mācipari quibus dati non sunt, sed vt bona ecclesiasticis mancipentur quibus data sunt; & vt sint *Domini rerum*, vt dixit Dominus de Sabathismo. Sed etsi nolo rebus suis mancipentur *Clerici*, tamen volo vt maneant obligati, sub lege si fieri possit, sin minùs, sub peccato quemadmodum homines ad religionē sabathi, (seruato vtriusque obligationis modo) id est, vt cum quoquā

non

non transigant aut cuiquam cedant nisi quando Iusta causa fuerit, & non sine permissu superiorum aut superioris si ad vnum solum tenentur.

Caput Duodecimum.

Hunc Augustum *Dominum, qui eos ditauit, honorauit, exemit, & irreuocabiliter posuerunt infra sortem cuiusuis Sacerdotis aut Laici excommunicati quoad pœnas.*

Ista iudicare ac discutere est supra vires nostras, inquit *Frisingensis*, & credere, ni res manifesta, suprà fidem nostram. Rex vos illustrauit & auxit, principatus & dominia non debita concedendo : vos eum humiliastis, spoliâstis, regalia eius minuendo, regna adimendo, & alijs vt occupentur exponendo. Ille vos humiles suscitauit, & cum seipso, *cum principibus seculi collocauit*; imò vt vos *magis quam seipsum aut principes seculi* populi reuereantur, cupijt, suasit, iussit : Vos eum, vt vestrum euehatis, solio deturbâstis suo & vt *ad nutum vestrum* omni honore careat, voluistis, consuluistis, mandastis. Ille vos, *iure Reipublicæ seruos*

c. 2. Constantinus d. 69. Bonifac. de maior. obed.

ac

ac subditos, & multis difficultatibus grauatos, subleuauit, sublimauit: Vos eum dominantem deiecistis, & oneri difficilimo, plebeio plusquàm, aut *ethnico* subiecistis. At quod non potuit *Otho*, vos nullo negotio soluitis? Illi exonerârunt, locupletârunt, nobilitârunt Pontifices, sed optimos, & digniſſimos; vos etsi omnes subiugâstis: Reges tamèn nullos destituistis, aut exauctoraſtis, niſi peſſimos & exorbitantes? Concedimus; rectè tamèn à Regibus factum dicimus, haùd benignè à vobis. Rectè & perbenignè ab illis; Nihil enim inconſultius fuiſſet quàm immerentes, primitùs ditaſſe aut ornaſſe, ratione verò bonorum malos non paucos paſſi ſunt, qui iſtius regiæ munificentiæ non minùs fuere participes, quàm qui optimi: nàm præter *Iohannē* 12. & duos vel tres alios dè quibus ambigitur, abdicârunt neminem, & tamen ſi velle principum eccleſiaſticorum, & patrum deliria propalare, in promptu eſt vt nôſtis ferè 20. Pontifices traducere, doctores quidem non prauos, ſed nec æquos principes nec paſtores probos. Vos autem gratia vnius alteri non parcentes, vt ſex vel ſeptem fierent eximperatores ſategiſtis: multò igi-

tùr æquiores aio seculares. At secularibus Pontifices abdicare nullo iure conceditur? miror vestrũ acumen; hinc eorum æquitas. 1. quià id volunt quod iure possunt: 2. id tamen possunt principes quod de facto possunt: nàm vulgatum est illud *Antonini Caracallæ*, *Leges dant non accipiunt*. 3. quòd maiorem autoritatem habeat Pontifex in temporalia Principis, quam Princeps in spiritualia Pontificis saltem in temporalia, incerti iuris est; nam vt *Gregorius Tholosanus* · *difficilis quæstio est, cùm maxima in hijs vicissitudo inueniatur*. 4. vt *Otho* abdicaret *Iohannem* non defuere rationes, non exempla: nàm si mali principes bonos Põtifices publicâri fecerunt, abdicârunt, quod sæpè euenisse monstrat historia: tùnc à fortiori, non temerè, *imò non mirum*, vt *Bellarminus*, *Si pius Imperator deterrimum Pontificem*. Cur autèm *Gregorius Henricum* excommunicatum imperio priuaret, nou suadet ratio, non exemplum vnum: multa autèm secùs.

De rep. l. 26. c. 5.

De Rom. Pont. l. 2. c. 30.

Sed videamus quos reges, non ferulæ sed virgæ suæ ferreæ subiecerunt. An omnes? nequaquam; *nimis durum hoc & minùs credibile*. Solos igitùr fideles? at hoc màgis iniustum

iniustum, & contra omnem iuris dispositionem: sæpè enim cauent leges, ne quis ex malitiâ portaret commodũ sed nunquam vt quis ratione probitatis ferret damnum, quod in casu nostro causâ fideifieri non est ambiguum: nam viam salutis iniuisse laudabile est, quamuis defeciſſe turpe & (si finem intuebimur) perditum. Iniquum igitur est, & contra omnem iuris ordinem, principes post lapsũ ad duriora obligari, quàm ante fidem susceptam; sed æquum & iustum, vt amisso nouo iure, sint in statu quo prius.

Sed an soli a fide deficientes sub amissione tenentur? minimè; nàm non minus requiritur morum probitas, quàm fidei sanitas. Si enim princeps minùs vtilis, saltèm si ecclesiasticos, (præsertim si Ius ecclesiasticum) seueriùs quã alij, inspectabit, licèt catholicus sit, aut in *ordinem redigendus* aut abigendus est; Exẽplũ sit *Henricus* Angliæ secundus. An igitur vitæ probitas Reges Catholicos semper eximit? Responsalibus hic opus est: nàm si Canones practici valeant, aut inquietum quorundam Pontificũ ingenium, nec hij indemnes. Hæc explicatiùs tractantur ab Illustrissimo Cardina-

le de S. Pont. l. 5. c. 7. (& fusiùs ab alijs refutantur) repetenda tamen sunt, vel potiùs quædã expetenda, vt videatis quousq; se extendat virga Pontificia, in quos intendatur & vt caueatur. *Cum* Petro *dictũ est, Pasce oues meas*, Iohannis *vltimo, data est illi facultas omnis quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendũ: at Pastori necessaria est potestas triplex, nimirum, vna circa lupos, altera circa arietes, tertia circa oues reliquas. Ex hoc igitur loco tria ducuntur argumenta*, nempe contra reges tripliciter distinctos. *Primum sit, lupi qui ecclesiam Domini vastant heretici sunt, vt patet ex illo* Mat. 7. *Attendite à falsis Prophetis, &c. Si ergò princeps aliquis ex oue aut ariete fit lupus*, id est, *ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simùl iubere populo m eum sequantur, ac proindè potest eum priuari dominio in subditos.*

Nihil solidum, nihil subsequum. *Data est omnis potestas*, saluâ pace, sensu tuo non omnis; nam quomodò coercendi illi, qui neque ex ouibus, neque ex arietibus fiunt lupi, sed natiui sunt; qui non minus cauendi; (nàm ab istis maximum olim & non leue nunc damnum sentit ecclesia) nèque ca-

mèn

mèn abigendi putà per ciuile exterminium quod hic moliris; aut ſecularem eiectionem ex mente tua; ſecùs ſi valeat argumentum *Sancti Thomæ. Et ſimul iubere populo ne eum ſequantur*; quo aut in quibus? ne extra ouile quo ille trudatur? cauebit ouis; nè in hæreſi quam ille profitetur? prohibeat paſtor: Sed quid hoc ad ſeculare dominium? *Attendite vobis a falſis Prophetis*, cautio eſt vt nulla imbibatur dulciloqua aut ſubdola hæreſis, & *ſubditi eſtote principibus* præceptum eſt vt omnis caueatur legifera & ſuperba phroneſis: vtrunq; affirmatiuum eſt & obligat ad ſemper & pro ſemper in quibus datur, hoc ſi fieri poſsit ſtrictius; *eſtote dicto obedientes Tit.* 3. in quibus dicto? in ſpiritalibus? negamus nos; igitur in ciuilibus? ſed ſi laxauerit Pontifex negatis vos; attẽdite lectores a falſis prophetis. Sed video quid agis, quid probas vident & oſtendunt alij: verùm eſto? hæreticum principem concluſiſti, pergamus porrò.

Alterum verò ſit, poteſt paſtor arietes furioſos deſtruentes ouile ſeparare, & recludere; princeps autèm eſt aries furioſus deſtruens ouile, quandò eſt Catholicus fide, ſed adeò malus, vt multùm obſit religioni & eccleſiæ, vt

si episcopatus vendat, ecclesias diripiat. Ergò poterit Pastor eum recludere, aut redigere in ordinem ouium. Dùm quæris nouum ius, amittis concessum; nàm hunc posse aut debere excommunicari, ex mente tua negamus: non enim solent pastores arietes arcere, abigere, aùt prorsus amandare, ad quod valet excommunicatio, sed, vt rectè tu, recludere, (ideò malè te intellexit *Barclaius*) & si in ordinẽ redigere non possunt, mactare. Dùm autèm ista potestas summo Pontifici non conceditur, *omnis facultas tuendi gregem non datur*, quod audactèr à te asseritur: consultius igitur Cardinalis *Baronius*; qui vt verè omnimodam potestatis plenitudinẽ faciat, ista verba strenuè, & vsq; ad sanguinem exprimit, *Surge, occide, & manduca*. Sed leuiora linquam. Hìc alterum subiugasti principem, nempe Catholicum fide, sed moribus prauum, putà si episcopatus vendat, fortè tres pro gladio, vt *Henricus 4. Ratisponensem, Augustensem, & Strasburgensem*; herclè non carum mercimonium? sed vt odium vtrinque vitem, singulare nihil discutiam, quamuis ius ipsum attingat. Pontifex potest illum principem exauctorare *qui est Catholicus fide*,

Tom. 9. an. 800. 15.

de, ſed adeò malus, vt multùm obſit religioni & eccleſiæ. Hui principes in ſublimi poſiti, ruinæ, imò quod recens eſt, ignominiæ proximi, quis vos vindicabit ab ira Pontificis? forſàn leges, ſi ex preſcripto imperaſtis? nequaquàm: minoribus ſubueniunt leges non vobis, quandò enim princeps adeò malus, legibus non ſtatuitur: ſed iudicium penes ſummum Pontificem, qui vos ad examen vocavit. Firmum ideo manet quod poſuimus, infirmum eſt veſtrum imperium; imò conditio deterior, ſi audiantur iſti, quàm aliorum. Alij enim ius ſuum non amittunt, niſi dictante lege: Rex autém ſuum *ad nutum & patientiam Sacerdotis*, vt ſatis pro imperio *Bonifacius* 8. de maiorit. & obedient. 3. Audiamus argumentum. Tertium eſt, *Poteſt Paſtor ac debet omnes ità paſcere vt eis conuenit: ergo poteſt ac debet omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ea cogere ad quæ quilibet eorum ſecundum ſtatum ſuum tenetur*, id eſt, *ſingulos cogere vt eo modo Deo ſeruiant quo ſecundum ſtatum ſuum debent: debent autèm Reges Deo ſeruire defendendo eccleſiam, puniendoque hæreticos & ſchiſmaticos; ergò poteſt & debet regibus iubere vt hoc faciant, &,*

nisi fecerint, etiàm cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes. Plenè respondet *Barclaius*, nihil repetam. Commodæ autem istæ rationes secundum vos sunt, hunc abdicare qui non vult, alium subrogare qui vult. Sed quid si princeps non possit commodé hæreticos coercere, quid iuris? detur regnum eius potiori, nàm hæreticos ob bonum temporale nullatenùs ferendos vociferantur inclementes isti Censores. Sæpe sæpiùs coràm audiui. Quis nunc ab isto fulmine tutus? primò, non prauæ fidei princeps; secundò, non Catholicus, si malè moratus; tertiò, non pius nec probus, si indulgens, aut minùs potens, quod culpâ principis non accidit. Summe Deus, gregi tuo prospice, Pastorem secundum cor tuum præficiendo. Non dubitamus de fide Doctoris, verbo tuo innitentes, sed de æquitate principis: Nam vnus *Alexander* pater, & *Cæsar* filius, quas turbas, quæ venena non dabunt? *arietes furiosos* si non inueniunt facient, principatum ambiunt, aut occupatum inuadent, aut fundabunt nouum: quod fieri non potest, nisi veterà rescindendo, vestra minuendo & dissipando.

Cæsar Borgius.

Vos

Vos quorum interest cauete principes; nàm vos nòn tuti, quamuis æqui ac probi, si ipse Pontifex minùs probus.

Ista vt vlteriùs prosequantur non est opus, etsi vt prosequantur & protendantur non operosum; sed quia inuidiosum, mitto & quia ex dictis satis patet, per hos magis infirmum esse ius regni quàm minoris dominij & dependentis, quo nihil iuri aut æquitati màgis contrarium, Nàm semper firmamentum habent inferiora a quo auctoramentum: igitur maiora, iure firmiora. Ast *Regem postponi dixi cuiuis sacerdoti & laico excommunicato? in pœnalibus* &. verè; neque præter mentem Theologorum. Istos seligo, quia censuræ pontificiæ strictiùs subsunt: prior ratione ordinis, alter ratione criminis.

Sacerdotem non potest Pontifex, inquit *Lessius, priuare suo beneficio, nisi iusta causa subsit, de iure & iust. l. 2. c. 34. d. 1.* Iusta autèm causa est si incidat in crimen aliquod, cui amissio beneficij ex iuris dispositione adnexa est. Illa autèm crimina sunt determinata, in Canone descripta, & ab ipso *Lessio* in eodem capite recensita: Hæc caueat sacerdos, & in portu est. Ac

in

in regno sempèr fluctuatur, scopulos non nouit, non Syrtes, nèc noscere datur; nàm iura silent, vt non sileant Reges: si non silent satis est, pœnas luent, vt silere discant. Omnia igitùr in Regno incerta, lubrica. Præterea illud Regem exauctorabit, quod parochum non attinget: nàm si aliquem in causâ hæresis aut schismatis misericordiâ dignabitur princeps, cui Pontifex decreuit aut minatus est pœnam, capitale est. Sed si tota parochia sacerdotis reticentiâ hæresis morbo laboraret, modò ipse hæresim non docuerit, parochus tutus est. Si eùm submouendum censuerit Pontifex, tenetur ei de competenti prouisione: at Rex omnibus fortunis exutus aris & focis interdicitur. Sed ista inuidiam ac odium concitant, ego mittam; aliud ius, & aliam iuris praxim ab *Alexandro* 3. discite, qui ob eandem culpam clericos suspendendos, etiàm deponendos docuit, ob quam reges, & principes, solum piè & humilitèr monendos. *c. De hoc autem. &. c. Veniens ad nos de simonia*; profectò non *Gregorizat*, si spectemus septimum. Cur altius spirarent alij quàm *Alexander*?

Vltimò *Augustum* regis Ius pluribus angustijs

guſtijs & difficultatibus onerarunt quam cuiuſuis laici excommunicati. Res liquida eſt; illi bonis, fortunis, debitis aut alijs iuribus non priuantur quando aut quia excommunicantur, neque vt communior eſt opinio, priuari poſſunt; ſecùs in caſu principis, poteſt ille & conuenit: nam Rex (vt expreſſe Innocentius 4) *peccatis ſuis ligatus, abiectus eſt & omni iure ac honore priuatus*, ſaltē honore & dominio principali ex mente aliorum. De priore quidem controuertitur, ſed communior ſententia vt dixi fauet plebi. Vndè *Leſſius lib. 2. c. 16. d. 9. iure diuino non priuantur, quia hæc ethnicis & publicanis non negantur.* Vbi aduertite quæſo, *tanquam ethnicus & publicanus* valere in caſu populi ſed non principis, ſicut nos antè monuimus. *Non iure humano*, nam c. *Nos Sanctorum.* 15. q. 6. & c. ſeq. *Iuratos milites, non loquuntur de iſtiuſmodi iuribus; nempè de debito pecuniario &c.* ſed de debito fidelitatis & obſequij: & clarius *Leſſius* in ſequentibus.

C: ad Apoſtol: Tolet: de Iuſtr: lib: 1. C: 13.

Hinc me tacente ex ipſorum verbis hoc conſtat. Illa Iura quæ ſunt humana, nempe in hoc caſu eccleſiaſtica & Pontificia vt *Nos ſanctorum*, &c. deditâ operâ contra

principes

principes sunt edita: Iura diuina generatim quidem sunt data, si autem pœnam spectabimus, alij, modò non principes, horum explicatione a grauamine subleuatur. Solus igitur Princeps omni iure premitur, nullo sustentatur. Alij ad Deum accedentes iura spiritalia acquirunt; a fide deficientes hæc amittunt, sed pristina retinent, erunt tanquam ethnici & publicani ex mente *Leßij*: Rex vero accessione fidei diuinis initiatur, forsan sicut cæteri, inuestitur; Sed in casu lapsus hoc nouum & accessorium perdit, & vnà antiquum & principale contra omnem æquitatem, & iuris dispositionem; nàm semper accessorium sequitur principale, non autèm principale accessorium. Sed etsi amitterent alij quia priuati, non tamen secundum Iuris ordinem princeps, quia *ratio semper habenda est principalis maiestatis*, at in hoc casu, & istis arbitris, contra principem valebit solum. Ethnicus regnabit etsi ethnicus, alij iura possidebunt, etsi *tanquam ethnici*; Rex verò Christianus potior ethnico, prior quouis alio tanquàm ethnico, nèc regnabit, nèc iura possidebit sua. Nùnc videte, si non verè *Otho, Ista in dicare & discutere*

discutere supra vires nostras. Si impar principes & præsul; Quid ego humilis & hebes frustrà conor? Capitulum & Librum finiam.

FINIS LIBRI PRIMI.

SECVNDVS

SECVNDVS

SECVNDVS DE SECVLARI SVMMI PONtificis Iure liber abbreuiatus vera eius Regalia primò inspicit.

CAPVT PRIMVM.

Summus Pontifex iure optimo suos obtinuit Principatus.

CHRISTVS Dominus regnum oblatum respuit; quod non sine ratione *Syluester* Papa accepit: putà ius, quià muneri suo commodum; non titulum; quia vnico fulgori, & merito *Constantini* debitum. Cur *Christus* abnuit, ratio est, quià venit vt ecclesiam redimeret, videlicet moriendo emeret; Pontifex, vt emptam regeret. Seruienti & morienti sceptrum intempestiuum, & inutile; regenti

genti verò & presidenti opportunum & vtile. Qui igitur ad regimen ecclesiæ regnũ politicum non conducere arbitratur aut cui collatum displicet ; delinquit atque delirat, impius & mentis inops. Impius est si quis obstrepere ausus, quià munificentiam & magnificentiam, decretum & dispositionem pijssimorum principum & ipsius Dei calumniatur, proscindit, & quantum in se est posternit. Quis ènim istius secularis imperij autor & fundator? princeps optimus. Qui auxerunt & ampliârunt? similitèr pij & optimi. Quis quasi vlnis suis excepit, sinu fouit, & alijs regnis interim variè actis, transactis & euersis, istud maiori discrimini obnoxium, minore præsidio fultum, præter spem muniuit, sine detrimento & iacturâ conseruauit? ipse Deus potentèr & patentèr. Non verebor dicere, si æquâ lance perpendantur, ex vna parte variæ eorum fraudes, vires & machinæ, qui ei a principatu primùm fundato vsque ad nunc, æmuli, aduersi, auersi & ex alterâ qui ei beneuoli, amici, & patroni ; non illustrior est sapientia aut maiestas diuina in aliorum principatuum distinctione, trãspositione, & defectione, quàm in istius perennitate.

perennitate. Hæreat lingua mea faucibus si voluntatem summi Dei, pietatem optimorum principum, & sublimitatem tantæ sedis vellicauero. Inops consilij est qui non conducibile (etsi non necessarium) autumat: nàm vis vnita fortior, Quomodò regna màgis vnita quàm cùm in manu vnius Rectoris? qui fortiora quàm si coalescentia simùl creuerint?

Principis iura separatim discutere, hominis temerarij ac leuissimi est, ideò hic pareius loquendum. Hoc vnum tamen ausim dicere; Iura antiquiora, æquiora (quod semper spectandum) aut notiora, quàm quæ Pontificis non noui vlla. Quæ in historijs aut alibi cuiuis pateant a quouis patefieri & evulgari non erit insulsũ. Primò occurrit Concessio *Constantini* B: *Syluestro*; de quâ multi, ijq; boni & viri doctissimi dubitant, imò eam in formulâ quâ concipitur planè fictam non temerè arbitrantur. Antequam igitur progrediar; duplex istius æui vitium est detegendum; ere communi Lector erit, & non a proposito. Catholici quandoque & quædam credunt, etsi eo tempore deest traditio aut historica relatio; vt hanc *Constantini* donationem

de qua nihil constat per annos. 800. post mortem donatoris, similiter istam, quam nunc disceptamus, temporalem Pontificis potestatem sine historia imò mentione eius reali aut ad mentem Aduersariorum veridicâ vsque ad annum. 1080. & forsan pauca alia vulgò credita. Nouatores & sectarij multa non credunt etsi Clarâ traditione & historia. 1600. annorum constant. Multa tacebo etsi non omnia, vt B:*Petrum* fuisse Romæ & ibi cathedrã sui episcopatus posuisse. Idẽ dicendũ de reb' maioris momenti de spiritali primatu Romani Põtificis, cui in sensu quo nunc creditur, (abstrahendo a sacrâ scripturâ) adstipulatur historia liquida & irrefragabilis 1300 annorũ & pariter de sacro Imaginũ vsu, cui fidẽ facit praxis non dubia nec interrupta 1000. annorũ & de multis alijs quibus supersedeo. Credere sine ratione aut pietate etsi multi credidere, anile est. Credere quod credidere alij cum pietas & mores probati suaserint etsi deficiat ratio, pium & laudabile est, & ad ipsam fidei virtutem quæ rationibus non nititur multùm conducit: atque profuit *Augustino*; & alijs proderit quod ille de multis credibilibus

credibilibus non veretur dicere, *nullatenus dubitandum sed pie credendum &c.* Verùm non credere quæ vnanimiter credidere fere omnes qui pij & laudati, & quæ per tot secula vniuocè credenda proposuere, audim dicere, mētis proteruæ estimò salutem suam & sobietatem pertæsæ; atque ad hæreses, sectas & schismata magis proclive est quam quoduis aliud præcipitium. Via trita, *tuta est vt viatores non errent per eam etsi stulti fuerint*, sed deuia sunt semper salebrosa & periculosa vt homines errent in illis etsi docti fuerint; imò quo doctiores eo errant magis, nam ignobile est (ita *inflat scientia*) si docti viarum compendium non fecerint: & si se extra viam sentiunt (quod non paucis accidit) tamen quia repedare puder quod semper tutum est & non operosum (nam non procul sunt a regno Dei) meatus & saltus exquirunt vt viam insiliant, quod nec certum nec tutum est.

Neque tamen omni destituitur firmamento ista donatio, nam multum apud me valet *Petri Damiani* viri Grauissimi autoritas; sed magis *S. Bernardi* qui Papam in Temporalibus Constantino succes-

ceſſiſſe ſæpe repetit. Quare autem Conſtantino potiùs quam *Carolo* cùm plura dediſſe *Carolum* quam *Conſtãtinũ* liquidũ ſit? quia a *Conſtãtino* origo Iuris & nõ a *Carolo*; Iſtis adde fidũ canonis, præcipue Actionis *Ludouici Banari* contra *Iohannem* 22. tot Iuriſperitorum & Theologorum conſilio & calculo inceptæ, approbatæ & an: 1324. editæ, quæ (hac ſublata) ex vna parte nulla & ridicula eſt, ideoque ipſo *Cæſare* conſentientibus principibus & doctoribus indigna, & donatio multis forſan non erit dubia ſaltem non omittenda. In canone igitur ſic habetur. *B. Syluestro patri noſtro, Summo Pontifici &c. & omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus qui vſque in finem mundi in ſede B.* petri *erunt ſeſſuri de præſenti contradimus palatium imperij noſtri Lateranenſe, deinde diadema videlicet coronam capitis noſtri ſimulque phrygium, nempè mitram &c. & etiàm imperialia ſceptra, ſimulque cuncta ſigna atque Banda, & diuerſa ornamenta imperialia, & omnem proceſſionem imperialis culminis, & gloriam poteſtatis Noſtræ &c. & deinceps tàm palatium noſtrum, vt prædictum eſt, quàm* Romanam Vrbem, *& omnes* Italiæ, *ſeu occidentalium regionum,*

regionum, prouincias, loca, & ciuitates, præfato beatissimo Pontifici Vniuersali Papæ contradimus atque relinquimus. Et ab eo, & a successoribus eius per hanc diualem nostram, & pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque mansura. Hæc vero omnia quæ per hanc Nostram Imperialem sacra & per alia diualia decreta statuimus atque confirmauimus, vsque in finem mundi illibata atque incussa permanere decernimus. Quæ hic cumulate sunt congesta & quibus terminis atque vt Ius transferant & fidem faciant quam validis videtis: *Constantini* tamen filij & successores non *Italiam* & prouincias sed solam *Romam*, eamque vix pleno Iure a Pontifice possideri permiserunt; saniores igitur & qui in Iure & historiâ sapiunt magis, solam *Romam* cum vrbano Iure fuisse a *Constantino* concessam atque traditum opinantur. Ad hoc facit Canon *fundamento de electione in. 6.* vbi vrbs *Roma* tantum dicitur donari vt recte notant *Nauclerus* & alij; & cohæret quod *Frisingensis* l. 3. c: 3. quosdam existimasse *Constantinum* non concessisse Pontifici *Italiæ* principatum, quiâ diuiso inter filios imperio, vni Orientem, alteri Occidentem

legabat refert : *quod facere noluisset*, inquit *pius princeps, si prius Pontifici tradidisset*. Alij putant dominium vtile concessum, supremum verò retentum, etiam Ipsius *Romæ*. Neque temerè affirmatur: nàm hinc post *Caroli* tempora ortæ lites de supremo dominio inter *Lotharium*, *Ludouicum*, & *Sergium* Pontificem : inter *Lotharium*. 2. & *Innocentium*. 2. & inter *Frederioum*, & *Adrianum* 4. Sed hoc non videtur verum neque *Constantini* menti consentaneum; nam hæc concessa sunt honoris & fulgoris causâ: alias cur Româ abscessit *Constantinus*, meliùs enim Pontifici (si dominium vtile spectabimus) consuluisset prædia *Rustica* concedendo quam vrbana? sed discedit vt non esset in ipsâ vrbe qui Pontifici emineret aut Ius haberet superius & verba donationis indicant. *Sacrosanctam Romanam ecclesiam venerantes decreuimus honorari, & amplius quam nostrum imperium, & terrenum thronum sedem sacratissimam B.* Petri *honorifice exaltari*; & posteà. *Nos phrygium candido nitore splendidum resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus : & tenentes frænum equi ipsius pro*

reuerentia

reuerentia B. Petri *stratoris officium illi exhibuimus.* Supremum verò dominium, Imperatori integrum, necessariò supponit in Imperatore principatum, & in Pontifice vasallatum, contra mentem & verba *Constantini.* Vnde verius reor, *Constantinum* ideo imperium distinxisse, Româque inscripsisse, vt vtrumque facerent titulare: successores verò Occidentales contra fas & æquum detinuisse, quià tantum dominij dispendium ferre noluerint. Hoc vt credam facilè inducor quià eodem modo summos Pontifices Ius eorum Hispanicum amisisse circa an. Do: 700. sub wittiza Rege video; quod per literas suas repetebat *Gregorius 7.* lib. 1. ep: 7. sed frustrà, nam pluris æstimantur Dominia & principatus quam vt suadâ aut minis cartaceis restituantur. Primâ igitùr donatione irritâ, alia & secunda est exquirenda.

Ditiones & facultates Pontificiæ si cum hodiernis conferantur, per plusquam 400. annos post mortem *Constantini* exiguæ erant, & incertæ, vt patet in c. *Romani de* iureiurando in *Clement* nam post *Constantinum* secularis principatus fundatores aut auctores numerantur nulli ante

Carolum. Ab alijs tamèn (non imperatoribus) quædam concessa fuisse constat vt ab *Heriberto* Longobardorum Rege Alpes Cottias; à *Luitprando* Sutrinum, a *Pipino* Exarchatum Rauennæ, & postea ab eodem 20. alias ciuitates, quas *Aistulpho* ademerat, quæ omnia tanquàm iure minus firma *Carolus* Bullâ Imperiali confirmari fecit alias ditiones insuper addendo per designationem confinium. *Nempè Diœcesim Lunensem à Lunis, cum Corsica Insula, deindè in Suriano, in monte Bardone, in Vercelo, in Parma, in Regio, in Mantua, & ponte Silicis, in prouincijs Venetorum, & Istriæ*, sicut antiquitùs erant, in *Ducatu Beneuentano*, & *Spoletano. Hanc Donationẽ propriâ manu corroborans subscribi* mandat ab *vniuersis Episcopis, Abbatibus, Iudicibus, & Graphionibus, quibus adstantibus se omnia in eadem Donatione contenta seruaturum sub sacramento promittit.* Papale deincèps dominium accessione Siciliæ à *Rogerio* fuit auctum, mágis autèm a *Mathilda* Comitissâ donatione Thusciæ & Liguriæ; multa itèm alia fuere ab alijs concessa, quæ historiæ non mandantur: vt manifestè patet, dùm *Gelasio* secundo, periclitanti *Gulielmus* Apuliæ Dux,

Dux, *Robertus* Campaniæ Princeps, & *Richardus* Aquileiæ, tanquám ſuo Domino temporali ſubueniunt, ſe vectigales agnoſcunt, & Pontificem periculo eximunt. *Naucler. vol. 3. gen. 38. pag. 189.* Recentiora vt par eſt iura non inſpiciam; multa igitur ſciens præteribo, etſi non noua, *à Ludouico Pio, ab Henrico, ab Othone 4. à Frederico 2. & Rodulpho* conceſſa. Hæc tantùm de antiquo eius iure dicta ſunto. Præſens & modernum ratione variæ tranſactionis, tranſpoſitionis, & feudatariæ traditionis fortè hinc non roboratur, nec infirmatur. Neque ideo a me dicta vt roboretur; nàm hoc ſolùm conor probare, Dominium eius fuiſſe optimo iure & ab antiquo fundatũ, nèc defuiſſe per nonnulla ſecula poſſeſſionẽ non improbandam, ſolum, ſi multa ſpectemus regna, indubitatum & validum imperij Ius.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Quod vnus idemq; possit præesse in sacris & secularibus simul.

VT vnus posset semper licitum, sæpè commodum, interdùm necessarium. Licitum fuisse ante legem probatur exemplo *Melchisidechi*, post legem exemplo *Heli* & Assamoneorum, in quorum familia durabat primatus vtriusq; iuris per multos annos vsque ad *Herodem*, vt *Iosephus* antiq. Iudaic. l. 12. c. 8. Commodum fuisse non minus indicant principatus *Samuelis*, *Ioiadæ*, & quorundam *Machabæorum*. De *Samuele* non est difficultas, nàm non solùm Iudex & Sacerdos, sed Sacerdotum Princeps, vt *Ignatius* ad Magnesianos ep. 3. non iure proprio ac hæreditario, sed delegato, vt S. *Augustinus*, *Heli sacerdote reprobato, substitutus est in Dei ministerium* Samuel, *simùl officio sanctus Sacerdotis & Iudicis*. De ciuit Dei. l. 17. c. 4.

Neque solùm licitum & commodum, sed aliquandò populo tanquàm ex necessitate incùmbit vt vnus in vtrisque præsit. Hoc à Romanis didicimus, qui vt plebem

non

non minus coercerent quàm erudirent, eundem Pontificem maximum & Imperatorem decreuerunt. Et maximè necessarium fuisse, tradunt omnes politici vt ad rectam Romanorum institutionem sacra à *Romulo* omissa, a *Numa* sancirentur, qui successit màgis Pontifex quàm Princeps. Neque inconsultum vobis videatur, aut homine Christiano indignum a gente intelligenti, quàmuis non sanctâ, documenta petere: cùm ipse Dominus prudentiam *ab iniquo* discendam monuit. Romanorum verò vestigijs insistere vtile, & honorificum: nàm ab illis non solùm multas legum ciuilium Decadas sumpsimus, sed etiàm potuissemus sacras: si enim nonnulla, & hæ inter diuinas præciptæ perijssent, aut memoriâ excidissent, ab ijs suppeditari potuissent, vt *primitias Deo offerre. Plin.* l. 18. c. 12. & *Plutarch* problem. c. 16. *& decimas soluere* exemplo *Camilli. Liuij.* 5. & *Plutarch*: itèm *Plin. l.* 19. c. 14. & tam multa alia apud eos passim occurrunt, non solùm ad Christianos mores sed etiám sanctitatem adeò accommodata, vt meritò queant dici *sanctiones*. Neque hanc potestatum connexionem ac coalitionem rebus suis necessari-

am

am soli rati sunt Romani, sed etiàm alij non minùs celebres nec minùs cauti, nempè Athenienses: nam inter Areopagitas qui primatum tenebat erat Sacerdos, vt patet ex eorum decreto apud *Ioseph. Ant. Iud. l.* 24. *c.* 16. Vultis adhuc sanctiorum mores? Tres reges, qui vt Christum Dominum in fascijs adorarent ab oriente venerant, non temere creditur fuisse sacerdotes: nàm sacerdotes magos òlim in Persida regnâsse, docto & historico non est dubium.

Ad tempora Christi deuentum est. Aſt hîc hæreo? non autèm quià deficit ratio, sed ob defectum regiminis ac Regum: nam Christianorum primus Pontifici regalia sine morâ deferebat, & ob eandem rationem. Et detulisse certum est etsi donatio in canone concepta sit totaliter ficta, (nam eam credendi nemini necessitatem Impono) sed dedisse *Constantinum* Pontifici Romano secularem principatum, sc. Romam cum omnibus *Vrbanis* Iuribus liquidum est. Quare enim vnam vrbem non incolant *Cæsar* & Romanus Episcopus sicut *Cæsar* & Constantinopolitanus? quia voluit vt Romanus esset in secularibus supremus princeps, non autem Constantinopolitanus;

politanus; vna siquidem ciuitas aut prouincia duos supremos seculares principes non capit. Magis ideò placet ratio donationis quæ in Canone, præcipuè a *Petro Damiani* viuide exprimitur quam ipsa donatio; *Vt Pontificalis apex non vilescat, sed màgis quàm terreni imperij dignitas gloriâ & potentiâ decoretur, eccè tam palatium nostrum, &c. contradimus & relinquimus.* Et apud Petrum Damiani. Constantinus *Româ abcessit, & in Bizantina Prouincia nomini suo ciuitatem ædificauit, & imperium constituit: non æquum, non iustum ducens, vbi principatus Sacerdotum & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, vt illic Imperator terrenus haberet potestatem.* In Synod. dispt. inter Reg. Aduoc. & Rom. ecclesiæ defensor.

Sed quid exempla moror? satis valida absque exemplis est ipsa ratio, quæ semper eadem, (nempe vt maior diuinis adhibeatur autoritas) & vbique militat; nam hâc vnicâ apud Romanos invaluit religio, & *vnicâ religione imperium*, vt testatur *Cicerò* in *Orat. de Aruſp. respons.* & pariter apud Iudæos rerum summam tenentibus *Samuele, Ioiada, & Machabæis.*

Nec

Nec minus vtilis Christianæ Reipublicæ ista iurium coadunatio quam Romanæ, Athenienſi, aut Iudaicæ. Huius rei teſtis eſt recens & locupletiſſima Germania: nam vt recte Cardinalis de S. Pont. l. 5. c. 9. *Sine Germaniâ Epiſcopi principes non fuiſſent, nulli ad hunc diem in ſuis ſedibus permaniſſent*, addã ego, non Catholica religio vix Christiana, ingruente Turca, nonnullis ſpectantibus, quibuſdam adiutum parantibus. Hoc cuiuis in hiſtoria aut politeia vel tenuiter verſato obuium.

Neque obſtat illud *Nicholai* Papæ, cap. cùm *verum* d. 69. vbi iurium connexionem in *Melchiſidecho* probare, in alijs verò damnare videtur. Hoc enim vult Pontifex, non tam vt ſit diſcretio Rectorum quam vt diſtinguantur iura, quod nos apprime volumus.

Si quis ex parte principum dixerit, Quod æquum non videtur ſummum Pontificem eis non ſubeſſe in temporalibus ſecundum morem veterem, cum illi ſubſint Pontifici in ſpiritalibus, noſtras partes agit, ipſe nec noſter nec æquus; nam æquiſſimum eſt! Hinc enim ſublimatur Pontificia dignitas, ad quam filiali reuerentia omnes

nes tenentur, neque tamen regia minus perfecta; Ratio est, quia subesse in spiritalibus non impedit administrationem ciuilem, Nam Rex excommunicatus potest nihilominus munia sua exequi quàm si non excommunicatus, at non Pontifex captiuus aut exul. ideò quoniam tempore ethnicorum principum fieri non potuit, vt ordine ac iure humano ab istis difficultatibus eximi possent summi pastores, ipse Deus B. *Petrum* bis incarceratum prima & secunda vice ope angelica ad futuram rei memoriam, & futurorum correptionem expediuit, vt *Act.* 5. & 12.

Sed sat dictum est: Rem enim ab illustrissimo Cardinale fusè & æquo limo tractatam repetere, quid aliud quam insciti-am, & incogitantiam prodere? crassioribus igitur quibus nos laboramus ista sufficiant, doctiores consulant ipsum *Bellarminum. de Sum. Pont. lib. 5. cap. 9. & 10.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Pontifex, quâ Pontifex, nullam habet secularem poeestatem directè aut indirectè.

RECTE Gratianus *in c. Nos §i. 2. 9. 7. Duæ sunt personæ quibus mundus iste regitur; regalis videlicet, & sacerdotalis. Sicut Reges præsunt in causis seculi; ità sacerdotes in causis Dei: regum est, corporalem irrogare pœnam, sacerdotum spiritualem inferre vindictam.* Fatemur dicetis; Si potestatem spectamus ordinariam siue directam, sed in casu quo reges ecclesiæ fuerint damnosi, aut ipsis ecclesiasticis noxii, tunc summi Pontifices *qui beatorum Apostolorum* Petri & Pauli *cathedram tapessunt*, vt Gregorius. 7. sæpè, & *qui supra totam familiam positi, Iudices omnium sunt constituti, debent eos coercere*, vt Cardinalis *Baronius*, & *in ordinem redigere* vt Bellarminus? Apage te directò Ius indirectũ & inordinatũ? Nullo iure possunt, nullo câsu. Quid tu magnanime *Gregori* crebrò *Sanctos Petrum & Paulum*, & vos sequaces non raro causamini? *Stetisse lego Apostolos indicandos, sedisse indicantes non lego* inquit *Bernardus*

de

de considerat. ad *Eugen.* l. 1. An hoc de spiritali potestate dici arbitramini? nequaquàm, sed solum de seculari; nàm, (quàm præfuisse Apostolos in sacris) *Bernardo* nihil antiquius, nihil prius. An de ordinariâ seu directâ? minimè; nàm nunquàm legisse ait, id est, non aliquandò aut in casu quo ipsi principes exorbitauerant, & reuerà si vnquam, tùnc maximè isto obliquo iure opus est, *dùm ipsi iudices iudicantur. At erit illud non fuit?* Recolit S. *Abbas* tempora *Gregoriana*, & improbat ideò obijcit & soluit. *Quis me constituit Iudicem, inquit dominus & magister, & erit iniuria seruo & discipulo, nisi iudicet vniuersos?* nempè temporalitèr & potestate indirectâ; nàm vt iudicet vniuersos directâ aut ordinariâ nemo, non ipse *Gregorius* adrogauit: & in spiritalibus omnes *Bernardus* etiàm ipsum Imperatorem & vniuersum mundũ, putà Christianum Pontifici subijcit, vt patet in epistola ad *Conradum.* Loquitur igitùr de potestate seculari & indirectâ. *Habent hæc infima & terrna iudices suos, reges & principes terræ: quid fines alienos inuaditis? & quid falcem in alienam messem extenditis?* Respondete nunc bonâ fide &

altâ voce: quos & cuius rei arguit *Bernardus*? an Pontifices, quod communiter & ordinariè se ingerebant rebus & rationibus imperatorum & principum? aerem verberat; hoc enim figmentum planissimum: Nàm nèq; ab vllo, aut vnquàm factum fuisse cõstat. Igitùr hoc solùm damnat, quòd Reges & principes in secularibus iudicare & plectere ausi erant, exemplo *Gregorij 7.* & in casu exorbitantiæ.

An tu, sancte *Bernarde*, Papam fines alienos inuadere, dùm temporalibus se immiscet, putas? falleris, falliſq; pie Monache; & ferè dimidium iuris Pontificij aufers, dùm temporali à subtrahis nàm *Barclaius* plenitudinem potestatis ecclesiasticæ ei concedit, & in Italico solo nempè suo, omnimodum ius tribuit, solùm posse eum principes alios in temporalibus iudicare negat; & ferè *dimidiâsse potestatem Papæ queritantur* multi, & nominatim *Bellarminus* contra *Barclaium* c. 1. Quibus nunc credimus? Ipse Dominus *Petro; Dabo tibi claues regni cælorum*: de clauibus regnorum secularium, *ferè dimidio iuris*, nè verbum quidèm. Ipse *Petrus* successori apud *Bernardum*, *quod habeo relinquo tibi*,

sed

ſed ſeculare nihil habeo, in iſtis ſuccedunt *Conſtantino* non *Petro* inquit ille: paſſim ſequuntur patres; omnes proferre prolixum & moleſtum. *Hieronimus* in Epiſt. 24. ad *Marcellin*, *Apoſtolis conceſſit Dominus neq; peram in via, neq; virgam*, id eſt, *non potentiæ ſecularis auxilium*: idem *Ambroſius* in eundem locũ. *Chryſoſtomus*: *Cœleſtia & ſpiritalia ſacerdotè commiſſa ſunt, ſecularia verò & quæ hic ſunt, non illi ſed regi*: & Bernardus. *Alijs terrena, vobis conceſſit ſpiritualia, & non mediocris iſte Principatus*. At vos iſto principatu, etſi magno non contenti, ſeculárem depoſcitis, imò ordine iuris adnecti vultis?

Eccè, impletur vaticinium *Malachiæ*, *Ergò beatos nunc dicimus arrogantes*. c. 3. 5. Veteres & ſancti Pontifices *triſtes coram Domino ambulantes* officio & vitâ functi, hoc non petierunt nec habuerunt. Venerũt *Gregorius* 7. & poſteri, arrogârunt & euicerunt. Sed dùm principatum quæritis, aut principum iuribus inhiatis, antiquum ſapitis: Sic primus ſacerdos maximus *Num.* 12. & poſteà alij ſacerdotũ proceres *Num.* 16. vndè non ſinè cauſa *multum eirgimini filij Leui* dixit *Moſes* Primatibus *Leuitarum*,

eius principatum iniquè ferentibus, & coram populo sugillantibus. Nèque obstat quod dicitur, vt *sacerdotium vobis vendicetis*, quàsi sacerdotium, & non principatum ambijssent; nam reipsa non *Aaroni* sacerdoti, sed *Mosi* principi insidiati sunt, vt eo subacto (qui sacerdotem ex officio tueri tenetur) sacerdotium & quiduis aliud vlurparent, vt claré *Iosephus* Ant. l. 4. c. 3. *Chores, vir genere & opibus inter Hebræos clarus, & populari facundiâ præditus, videns*, non *Aaronem*, sed *Mosem in excelso dignitatis constitutum, molestè & inuidenter ferebat*. Hoc in ecclesiasticis futurum præuidit Dominus, ideo vt ab isto veteri fermento cauerent posteri & successores, omnes in persona Apostolorum admoniti sunt, illi dilatant phylacteria sua, & *magnificant fimbrias Mat.* 23. 5. *Vos autèm non sic*; & obtemperâstis probè per mille annos, sed posteà maiores facti, grandiores feciſtis fimbrias, & dilatâstis manifestè, dùm temporalia spiritalibus, tanquàm ex iure, committi vultis.

Sed contra vos sunt omnes testes exceptione maiores, & omnis æui mores. Iungamus paritèr. Incipiam à Leuitici ge-

neris ſacerdotibus; Sub veteri lege ſacerdotē minari, aut ſub pœna ciuili interminari, potentiá ſeculari vti, ſiuè vi coactiuâ, etiam in re ſua petenda (nihil enim ſupine prætermittam) ſemper nefas, multo màgis in rebus alterius adimendis. *Da mihi carnem*, inquit famulus, *vt coquam ſacerdoti?* reſpondet pius Hebræus, *præter morem eſt*, Suſtine parùm. Nequaquàm, *ſed dabis, alioquin tollam vi*, 1. Reg. 2. *grande peccatum*, inquit ſacra pagina. *Iohannem* 22. *Ludouicum* Imperatorem adorientem & agitantem conſpicor. *Intra tres menſes cede tuo iuri, alioquin tollam vi.* Imperator non immodeſtus *à Papâ male informato ad benè informandum* ſupplicitèr, (& depoſito faſtu imperiali) *prouocat.* Fruſtra? aut *electioni tuæ renuntia, aut ſubmouebo ocyùs.* Conferamus inuicèm: in hoc ſuperiores Iudaici ſacerdotes, quòd quæ iuris erant ſui petunt. Pontifex rebus alienis ſe ingerit. In hoc pares, quòd vterque vim minitatur, & in hoc quoque conueniunt, quòd æquè obſtant cultui ſacro; ratione illius vis *execrabantur homines ſacrificium*: ratione iſtius ipſam eccleſiam, & eius limina horrent & auerſantur, nō plebeij modo & popu-

BIBL. CANT. ACAD

pulares, sed maximè, quod maximè est cauendum, ipsi principes.

Sed Prophetarum quodnam ius? explicatè narrat *Gratianus*. Nathan *cùm Regem redarguit suum exequutus est officium, in quo Rege superior, non vsurpauit Regis officium, in quo Rege erat inferior* in c. *Nos si.* 2. q. 7. Multùm se torquet hæreticus anonymus, popularis iuris patronus, quomodo Dauidem *a populi censurâ ob scelus scelerisaditum* iure eximat; sed torsisset magis, si septuaginta millia ex eis eius culpâ periisse attendisset nouus faber. Verùm istos nebulones cum suis nugis ad extremos Indos (si eoùsque aura popularis possit eos ferre) amandandos censeo, & Prophetas præteribo. Nàm ab eis ius ordinarium non ducitur, quia ipsi extra omnem iuris ordinem: sufficit quod ex mente *Gratiani* nulla potestas secularis eis competebat. Videamus quas pœnas ipse *Christus*, & quam vindictam Apostoli indixere.

Si Apostoli persequuti sunt aliquem, aut aliquem Christus tradidit inquit *Petilianus*? respondet *Augustinus*: *Christus Dominus flagellatos expulit de templo improbos mercatores.*

catores. Sed exemplũ *Christi* flagellantis, est *Christi* Prophetæ nõ sacerdotis; nam iratus sacerdos *& in virga veniens*, 1. *Cor*. 4. non alio accingitur gladio, aut aliud portat flagellum, præterquàm spiritale; vnde idem Augustinus ad *Donatum* presbyterum Ep. 204. *Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt Apostoli homines potestati Satanæ*. Ecce Ius Apostolicum! Maius quidem non datur, nec màgis timendum, ideò *Augustinus* eidem *Petiliano*, *Possem quidem dicere ipsum Satanam omnibus malis hominibus peiorem, cui tamèn tradidit Apostolus hominem*, & alibi, *quos tradidi Satanæ*. Secularem autém potestatem nullam habuerunt; nàm vt ipse alio loco, *pertinet ad reges seculi*. Tract. 11. in c. 3. Iohann. Vndé *Bernardus Eugenio Papæ*. *Accingere gladio tuo, gladio spiritus*. De consid. lib. 2. *Quid èrim tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam?* ibidem lib. 4.

Apostolis proximi sunt Pontifices antiqui & medij. An hij vsurparunt? nunquam. An de iure potuerunt? nequaquam; sed expresse verbis negarunt, & simili praxi

comprobarunt; ex vtraque classe vnum seligam. Inter primos *Antherus c. Absit v. q. 3.* vbi sacerdotalem potestatem sub vtraque lege comparatiuè exponens, (nàm quomodo melius quàm comparatione?) ad mandatum veterum sacerdotum nullam spiritalem pœnam potuisse irrogari docet, ad mandatum nostrorum nullam temporalem. *Quicunq; sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiectâ contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali animaduersione truncatur, aut electus de ecclesiâ rabido ore dæmonum decerpitur.* Vbi tria notanda sunt: primum, pœnam ecclesiasticam distingui, & vltimam exprimi: secundum, distinctionis vim esse in diuersi generis pœnis; Non poterant veteres tradere contemptores Satanæ, ideò ciuiliter plectebantur: Non possunt nostri illis ciuilem inferre pœnam, ideò inquit ille spiritaliter mulctantur, aut traduntur dæmoni. Ratio igitùr aut clara, aut nulla est. Omnimoda vindicta, penes solum Deum; vnde Bernardus, *Si vtrumque gladium habere velit perdes vtrumque.* Hinc quia Mosaicis sacerdotibus

bus ſpiritaliter punijſſe non erat conceſſum, ideò datur vltio temporalis; noſtris pari ratione quia non poſſunt pœnam decernere temporalem, ideò poteſtas conceditur ſpiritualis. 3. quod & præcipuum, quam pœnam poſſent illi decernere aut irrogare propter contẽptum, quã noſtri (nam ob ſolum contemptum gladium adrogant iſti ſecularem; ſi enim gladio ſpirituali caſtigati paruerint, illicitum eſſe vſum alterius ſaniores inter illos fatentur) apud illos, qui non obtemperabant, traditi ſunt *in manus gladij*: apud nos *in manus diaboli*. Quid ſtrictius aut fortius?

Inter medios teſtis eſt *Nicholaus* 1. omni ſimiliter exceptione maior, & in re aperta; nàm petenti *Albino* Archie-piſcopo *vt daretur poteſtas marito vxorem adulteram ſecundum leges mundanas ciuiliter* plectendi reſcribit pius Pontifex, ſibi talem poteſtatem non eſſe creditam aut conceſſam: *nàm eccleſia non habet gladium, niſi ſpiritalem. c. Inter hæc. 33. 6. 2.*

Sed vt iſta Iuris quæſtio fiat explicatior, ex iſto cap: quatuor ſunt aduertẽda. 1. Iſte maritus in foro ciuili, obſeruato iuris ordine, vxorem ſuam capite plectere potuiſſet:

ſſet: nam in Longobardiâ, vt vere Gloſſa, hoc marito erat conceſſum; & pariter in multis alijs prouincijs, non autem potuit ad arbitrium ſuum (licèt hoc multi ſomniant) ſine legali accuſatione, nàm hoc inter Chriſtianos numquàm licuit, neque reuerà inter Ethnicos. Concedunt leges poteſtatem marito occidendi adulterum, vt *Lex Iulia*, & *L. Gracchus, C: de Adulterijs*, ſed non omnem; occidendi vxorem autèm non niſi per modum accuſationis, & ſeruato Iuris proceſſu.

Secundum, ſed noluit maritus eam publicè & iuridicè traducere ob duas rationes: 1. quia turpe & ignominioſum erat; vtrumque enim æternâ dedecoris labe aſperſiſſet, vnius turpitudinem, alterius ignominiam patefaciendo: 2. quià non tutum, fortè ob vxoriæ cognationis potentiam, vel aliorum ei faucntium, quod non rarò accidit vbi hoc ius valet, (valet autèm non nullubi): ideò multi partim vt vtrique, & vtriuſque familiæ honori conſulant partim vt inſidiantium, & calumniantium, fraudes & maleficia ipſi caueant, vxores veneno clàm perimunt; & ſacerdos ſat probus ſe ynum nouiſſe, qui in eodem caſu

idem

idem fecerat, mihi retulit.

Tertium, Maritus igitùr vt ſtrepitum forenſem & alia pericula, ac incommoda vitaret, principem eccleſiaſticum nempè Archiepiſcopum adit, quin ille ratione potioris iuris & ob legitimam cauſam, hunc gladij ciuilis vſum concedere potuiſſet non ambigens. Sed Archiepiſcopi, licet ex officio a latere Legati, iura tamèn ſunt definita ac determinata, ideò vtriuſque gladij poteſtas ei non datur. Putabat tamen *Albinus* Archiepiſcopus ipſi Põtifici (in quo iuris plenitudo) hoc fuiſſe licitũ ipſum igitùr *Nicholaum* conſulit, mariti gratiâ deprecatur, vnàque petit, vt ad eius mandatum, ſaltèm nutum, hæc pœna ciuilis poſſit irrogàri. Sed expreſſe reſpondet Pontifex, hoc ius ſibi nullo modo competere, *nàm eccleſia gladium non habet niſi ſpiritualem.*

Neque obſtant verba præcedentia *eccleſia mundanis legibus non conſtringitur*: nàm non quæritur vtrùm debeat Pontifex eam morti adiudicare ſecundum leges ciuiles, ſed an vellet aut poſſet? vt quod lege ac edicto Principis licet, idem fieret ad mandatum Pontificis. Et poſſe fieri expreſſe negat.

negat. Aliter respondent cautiores, quibus ni fallor adsentit *Lessius*: nimirum ideo Pontificem non permisisse, aut potestatem non concessisse, non quià, lege stante, ob iustas causas non potuit, sed quià iniquum censebat, ideoque non concessit vt legem improbaret. Sed pace eorum hoc omninò falsum, nàm in capite præcedenti idem Pontifex refert, se *interfectores suarum coniugum homicidas iudicâsse*, sed ratio erat, *quia Bituricensis Archiepiscopus eas fuisse adulteras, & iuridice interfectas* subticuisset. Igitùr si cognouisset eas propter adulterium iudicialitèr fuisse damnatas ipsos maritos non damnâsset. Idem patet ex censura *Pij* Papæ in c. sequenti, vbi non improbat interfectionem vxoris quæ non fit *absque lege, vel sine causâ, & uerta probatione*. Ideò probat iudicium quod legibus, iustâ causâ, & legitima probatione nititur, ac fundatur; sed quocunque modo intelligatur iste Canon quauè ratione adrogetur ista potestas, ex ipsis verbis & mẽte *Nicholai* nihil clarius, quàm Pontificem gladium non habere nisi spiritualem.

Pontificibus adiungam Imperatores pios, & antiquos. Non quià in ordine ac robore

bore iuris postpono, sed quià magis validæ sententiæ Pontificum in casu nostro, præcipuè anteeessorum contra successores. Neque est quod hos sereniſſimos principes vobis amiciſſimos, indulgentiſſimos, vereamini iudices, nàm si ex vllâ parte deuiarunt, profectò non declinando sed inclinando, nimiumque largiendo peccarunt, saltem omni modo abunde fecerunt honori, & iuri vestro: nàm vt *Iustinianus Iohanni* Papæ, *per omnia properauimus honorem, & autoritatem creſcere veſtræ ſedis. L. Nos reddẽtes honorẽ. Sect: Nec enim patimur. C: de Summa Trinnit.* Inter hos merito censeo Constantinum, Constantem, Gratianum, Valentinianum, Theodosios, Marcianum, Iustinianum, qui omnes a primo ad vltimum si quid penes eos erat spirituale, vobis restituere accelerabant; si quid penes vos erat seculare, ab eorum gratiâ promanasse putabant. Incipiam a *Constantino*; Pontificem non posse a seculari potestate solui, ligari, aut iudicari fatetur; d. 96. c. *Satis euidenter*, ob hanc rationem *quia Deus est*: nempè in ecclesiasticis & causis fidei, in quibus Deus; *non posse autem Deum ab hominibus iudicari manifestum*

est

est: similitèr non posse Imperatorem aut Regem in ciuilibus solui, ligari, aut iudicari manifestum est; ratio vtrobique eadem: *quia Deus est*, nempè in ciuilibus, & rebus seculi. Vnde ijdem Imperatores maiestatem principalem *numen* vocant *Imperatorium*, vt L. *Sacrosancta, C. de sacrosanct. eccles.* & Edicta ac sanctiones principum, *oracula. L. digna, C. de legibus.* Consulimus primum, exquiramus ab vltimo? vtriusque æui, vtriusque Imperatoris fides eadem, mores ijdem: solummodò in ecclesiasticis vult Pontificem præesse *Constantinus*, in solis ecclesiasticis *Iustinianus. Honorantes vestram Beatitudinem omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre Sanctitatis vestræ*; & postea, *Omnes sacerdotes vniuersi orientalis tractus subjicere & vnire sedi vestræ Sanctitatis properauimus. L. Nos reddentes. C. suprà*: sed in laicos, aut in causis seculi, nullum ius agnoscit, nullum concedit, nisi ex mera gratia, vt in eius constitutionibus vbique patet, ob quod a *Lessio* male audit. Satis ad rem, & satis ad fidem faciendam *Constantinus & Iustinianus*; sed ex intermedijs constabit meliùs: nàm etsi *Theodosius* minor

ad

ad Ephesinũ Conciliũ mittebat *Candidianum* Comitem cum mandatis, vt ecclesiasticis non intermisceret se negotijs, d. 96. c. suprà: interim tamen non remittit quæ iuris erant imperatorij aut secularis; quæ omnia vt a solo comite exequantur curabat. Vnde autoritate eiusdem coercetur *Ignatius*, expellitur, damnatur absque autoritate Concilij & Papæ: quod factum fuisse etsi non probat Pontifex tamen non diffitetur. cap: eodem. Sed màgis distincte *Valentinianus* ad eundem *Theodosium*, in epistola præambulari rectiùs monitoriâ ad Concilium Chalcedonense, in qua cauet Imperator, vt secundum tenorem sui iuris habeat *Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus locum & facultatem de fide, & sacerdotibus iudicandi*; num Lutherizat Imperator? & tamèn nullam facit de Laicis aut iure regni potestatem; vt sciatis vtriusque vicariatum, in quibus succedit ille, in quibus iste. Consentit per omnia *Bernardus de consider. l. 1. Tu episcopum ab episcopatu deponere potes*: sed nusquã ei potestatẽ facit vt regẽ regno deponeret etsi tunc in quæstione erat. Vere igitur & ad mentem eorum *Otho*; *Sicut illi persona quæ gladium materialem*

materialem portat, non licet contingere ea quæ sunt spiritualia; sic iste ea vsurpare qua huius sunt non conuenit. Imò *Gratiano B.* Petri successorem perstringenti attingere capitale est. *Omnis præter illum vel autoritatem eius, qui, vt ait Apostolus, non sine causa portat gladium, cui etiam omnis anima subdita esse debet, omnis inquam qui præter autoritatem huius gladium acceperit, gladio peribit* 23. q. 8. Cauete omen moniti, saltèm non temere excidat *Gregorianum, ideo morior in exilio.*

Patres iure postponuntur, & tamèn magna eorum autoritas & valde valida, quià vnita. Hi non minus vniuoci, quàm si vnam habuissent linguam, vnam mentem: nec minus nostri, quàm contra nos *Bonifacius* 8. qui Imperatoribus, Regibus & Principibus *terrorem potiùs quàm religionem injcere, quique dare regna & auferre, pellere homines & reducere, pro arbitrio animi conabatur. Platina* in vita eiusdem. Et rectè confero, si patres non cautè intellecti. Gladius temporalis est in manu regum, sed *ad patientiam sacerdotis*, inquit *Bonifacius*: verbis verò illorum, gladius spiritualis est in manu sacerdotis & sacerdotum,

dotum, sed ad patientiam Regum: nàm vt *Gregorius Mauritio, Ego famulus tuus*; & non solum laicos, *sed sacerdotes Deus tibi commisit: & c: principes seculi.* 23. q. 5. *qui eorum potestati suam ecclesiam credidit*: & si bona ecclesiæ exteriora spectemus, & patrum verba, ad meram patientiam possidentur, vt in libro priori diximus ex *Ambrosio* & *Augustino*. Sed Patres sanè intellecti vtrumque agnoscunt principatum, vtrumque distinguunt, vt *Chrysostomus Homil. 4. de verbis Isaiæ. Regi quæ hic sunt, commissa sunt, sacerdoti cœlestia*: & Ambrosius, *Imperatori Palatium, Nobis Templum*, contra *Maxentium de Basilicis tradendis*; & Hosius Constantio, *Tibi Deus commisit Imperium, Nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit*. Attendite nunc si placet Patrum & Canonis mentem & verba, recentium doctorum versutiam & versiloquium: *Sacerdotes & ecclesiam suam Deus credidit & commisit potestati principum, vt disciplinam, quam humilitas ecclesiæ exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. c.* supra. Secundum hos verò malè disciplinatos, Reges & Rempublicam commisit Deus & credidit sacerdotibus,

vt humilitas ecclesiastica imponat disciplinam, quam imperialis maiestas nunquàm exercuit. Sed aùt delirant Patres candidi, qui in regibus agnoscunt sacerdotes (si deliquerint) coercendi potestatem; aut errant Patres rubri, qui sacerdoti autoritatem reges decernunt (si exorbitauerint) ciuiliter plectendi. Eximia verò est integritas & candor Patrum, quia non exarmant quem armauit Deus vt *vindex esset in iram ei qui malum agit*: nimia autèm temeritas feruorque Purpuratorum, quia eum armant quem Deus misit inermem, *sine virgâ, vt incentiua litis & instrumenta eriperet vltionis. Amb: de Ioseph. c.* 13.

Bonifacio qui vtrumque gladium vendicabat (cuius omnis autoritas seipso obeunte obijt) *Gregorium Magnum* oppono & præpono, cuius autoritas nunquàm peribit. Qui gladium secularem in manu Imperatoris fassus, (quod rem ipsam attingit) tanquàm in superiore domino veneratus est: & non fictè aut verbo tenùs, sed seriò & ex debito, nisi obsequium ipsi Deo præstandum sit quoque indebitum epist. 61. *lib.* 2. *Indict. v. Qua debui e-*

xolui,

xolui, qui & imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minimè tacui. An hoc quoque officiosum? nèc hoc nèc illud; vtrumque debuit, vtrumque soluit. Perindè vt *Bonifacium*, omnes posthabeo eiusdem classis, eiusdem moris, tàm autorem quàm fautores & sequaces.

Sed autoritate *Nazianzeni* nos premunt? Grauis illa quidem & ponderosa, si non ficta aut ementita; At re inspectâ, mittunt ipsum *Nazianzenum* ipsiusque intellectum, quià ius Pontificis temporale nè per somniũ quidem vidit vnquàm? verùm ratiunculam suppeditauit, quam omni molimine ornant, & ex quâ omne istud Ius eliciunt. Magis tortam, & magis eneruem non vidi vnquam; sed de eâ posteà. Miseret me vestræ miseriæ, eximij Patres, quod eò estis acti, imò vnà cum impostoribus ad artem hæreticam coacti; nempè *Patrum verba captare* aduersus eorum mentem. Sed màgis temerè, aut præcipitanter màgis, quam in *Nazianzenum* incidere, non potuistis? pondere enim & mole suâ vos obruet. Nàm si talis potestas Pontifici fuisset concessa, aut si vlla iusta vindicatio, vbi iusto titulo

regnatur, omnia ſuadebant, inuitabant, clamabant *Iulianum* non ferendum. Perſecutor peſſimus, imperium duriſſimum (intellige ſi Chriſtianos ſpectemus) remedium facilimum: ſolum deerat ius, & legitima poteſtas. Prætereà contra vos ſunt pietas, fides, eximia doctrina, ſolertia, ſollicitudo illius æui, illius patris. Quid igitur verba audiam cum facta video? & tamen vos maximè premunt ipſius verba. *Lachrymæ chriſtianorum ſunt ſolum contra perſecutorem* (*ſc:* Iuſto titulo regnantem) *remedium*, ergo in Pontifice nullum, aduerſus vos; in plebe nullum aduerſus populares. Sed preſſè *Barclaius*, & alij vlteriùs non vrgebo.

At Cardinalis nos grauitate *S. Bernardi*? Impar quidem *Bernardus*, ſi ſeculum ſpectemus aut ſeculi mores. At fortè non? ſi ipſius fidem ac ſanctitatem. Cedo igitur arbitrum? Expendamus primò verba, ſecundo Doctoris mentem. *Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis Sic, Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu. &c.* Tuus igitur eſt gladius in manu regis, ſic ipſe Rex tuus,

ſed

sed nutritius, & eius gladius tuus, sed tutelaris. Hoc innuunt verba sequentia. *Si nullo modo tuus?* imò modo quem diximus. *Pro ecclesia exercendus*, id est, pro bono ecclesiæ; & *in manu militis*, scil. ad custodiam, ad tutelam dati, qui tamen nec Imperium nec arbitrium præstolatur tuum: Sed qui ex istis verbis *ecce duo gladij hic*, inferunt, *hic sunt*, ergò tui sunt, aut *ambo quodammodo tui*, id est ratione officij intrinsecâ (putà quià pastor spiritalis) *tui*, aut supremum vtriusque dominium penes te: *Bernardi* mentem nèc capiunt, nèc sapiunt: *nàm plane ab alterutro prohiberis*, id est; vt verba priora indicant, a dominio alterus. *Tuo nutu euaginandus*, Vacillat illud imperium, & languidum est, quod nutu pendet: Nam obsequium quod nutu acquiritur ad nutum amittitur: *subitò datur citò negatur*. In milite tamen cum Historico probamus, quià pro re natâ *subita sunt Imperatorum iussa, edictis aut decretis non procedit bellum* vt rectealius: *ideo vt miles ad signum sit intentus edicitur*. Sed in ciue cum politicis nolumus, quià in Republica maturitas quæritur & ideo consilium & manda-

tum. Sed màgis infirmum, quod *forsitàn nutu*? Verùm quid tu probus Theologus (in iure Pontificio bis nutans, bis in Clericali) faceſſis nobis negotium ex verbo Nutu, cùm ex hac vocula nullum Ius promitur aut promi poteſt? Iura edictum, mandatum, ſaltèm iuſſum ſupponunt, exigunt; nutum non agnoſcunt, ad nutum non obligant, *hinc ille eſt hoc Imperium non ciuile* vt rectè alius. Auſim dicere, imperium quod nutu conſtat, aut diuinum eſt aut nullum eſt. Ideò doctiſſimum Cardinalem gratis nobis laboràſſe in materie mandati & nutus mihi mirum. Factum non reor ignorantiâ iuris aut praxeos, & tamèn factum. Ego igitùr pace eius, ex natura & veritate vtriuſque explicabo. *Pius* 2. vt tranſcendens ius priorum Pontificum *Mahumeti Turcarum* Regi venditaret & ſuum adleuaret, *Anteceſſores ſuos Stephanum*, Adrianum, *& Leonem, aduerſus Aiſtulphum & Deſiderium, Pipinum, & Carolum accerſiuiſſe* refert. Vere, & ad fidem hiſtoriæ. Eccè gladius ſecularis ad nutum Pontificis euaginatur? Satis profectò pro imperio, Iure tamen factum concedimus, ſed quo? precario, vt omnes

Epiſt. 396.

nes habent historici, vt ipse vester Canon *Hortatu & precibus Adriani Romanæ vrbis Episcopi exoratus Carolus Rex bellum contra Longobardos suscepit, quod prius quidem a patre eius Pipino, Papâ supplicante*, nempè Stephano, *cum magnâ difficultate susceptum est.* 23. q. 8. c. Hortatu. Ecce nutum Pontificium in *precibus* & *supplicationibus* fundatum, quo vsi sunt Papæ a *Leone* primo ad *Alexandrum.* 2. & *Gregorium.* 7. & deinceps; quem vult *Bernardus*, quem nos concedimus. Si quis autem dixerit, vi istius voculæ ius aliquod positiuum tribui solere aut posse, aut ex mente *Bernardi* vllam secularem potestatem coercitiuam supra Reges aut Principes Pontificiratione officij inhærere, hunc ego nec iura nouisse, nec quadruplicem *Bernardi* considerationem attendisse, quidni dicam? cùm contrà sint iura, iuris ordo, & *Bernardi* propositum. Quos enim mores Pontificum culpat, dùm *fines alienos inuasisse* (vt hoc vnum repetam) *aut falcem in alienam messem extendisse* arguit? an cottidianos, & familiares? nullus Pontifex, nullum æuum admisit: igitur raro, aut in discrimine se ingessisse improbat. Et

quos præcipuè eximit, dum ait *& erit seruus iniuria nisi iudicet iniuentos.* Nonne Reges in secularibus? an ordinariè eos iudicarit? minùs de facto quàm de iure constat. Igitur vnquàm iudicasse (illis putà sæuientibus) damnat. *Dracones, inquis, ne mones pascere, & scorpiones, non oues;* Quos denotat? an plebeios, aut priuatos nobiles? pulices sint hij, & homines nihili, si *Eugenius*, & illius seculi aurã aut Pontificis animum spectemus. *Sed super Dracones ambulabis & Basiliscum*, Dracones isti & scorpiones ex mente vestra sunt Reges & principes *Henricus & Fredericus*, &c. quomodò igitur impetendi? *propter hoc, vinquam, magis aggredere eos.* Strenuè dictum, & animosè sed quibus telis? *verbo, non ferro.* Eia, pie Monache, agnoscimus antiqui Doctoris discipulum, *vbi grauiora sunt regis peccata, ibi non videtur à Sacerdote parcendum, vt iustis increpationibus corrigantur.* Ambros. in Psal. 37.

Et tamèn cum *Bernardo* hunc gladium nullo modo esse tuum negamus; nam tuus est, & ad tuum nutum emaginandus, modo quo diximus, vt tuæ propulsentur iniuriæ. Vt tu petas, ad tuum ius spectat; vt reges

subueniant

subueniant, ad illorum officium. Vere igitur ille *Vterque est Ecclesiæ*, scilicèt spiritalis & materialis: *sed is quidem pro ecclesia exercendas?* rectè; à quo autè, & quomodò ad nutum? an ab Imperatore ad nutum Pontificis? non, sed à milite: an á milite ad solum nutum Pontificis? *non; sed ad nutum Pontificis & iussum Imperatoris.* Non autèm ad nutum Pontificis absque iussu imperatoris; nam vt alibi *Bernardus, Habent hæ terrena iudices suos reges, & principes terræ*: cuius mandatis seculares in secularibus parent, sed non ad nutum; nàm nutu nemo cogitur, nisi eius, cui omnia parent sine nutu.

Dicimus igitùr cum toto foro, Nutum nihil operari stricto iure, secùs ex Reuerentiâ. Si summus Pontifex nutum, id est, voluntàtem patefecerit, scilicèt directiuam, inclinabunt principes, auscultabunt: &, si æquum postulauerit aut iustum, præstabunt, idq; ex officio: nàm non ignorant se ideò positos & præpositos, *Vt qui ecclesiasticâ disciplinâ corrigi nolunt, rigore principum conterantur*; & *rationem se reddituros propter ecclesiam quam a Christo tuendam susceperunt*, Vt suprà, ex c. Principes seculi.

Et

Et cum *Bernardo* concedimus Pontifici in ecclesiasticis summum ius, etiàm, si opus sit, iuris plenitudinem: nàm vt ille, *nihil excipitur vbi nihil distinguitur*, verum ciuile nullum putà proprium; vsuarium aut supremum. Nam, vt ille, Apostolis & eorum successoribus *interdicitur dominatus aut Apostolatus, & Apostolicus si ausu fuerit vsurpare dominatum, non se illorum numero exceptum putet, ipsi regnauerunt sed non ex me.* Vndè verè ille, verè nos, (dominium supremum supponentes) *planè ab alterutro prohiberis*, & tamen cum eodem *Habes sine defraudatione integrum paternum fundum.*

CAPVT QVARTVM.

Autorem istius secularis iurisdictionis fuisse Gregorium, nec antiquiorem habuisse Assertorem probatur.

DVm vetera recolunt & perlustrant, vnde origo istius iuris, vnde facti, nescit *Otho*, nescit *Nauclerus*; nisi forte *ab occisione* Goliæ *proprio mucrone factâ.* Hercle ius antiquum, sed male partum, male conciliatum? Videte vt ludos facitis pijs & vestris,

sed

sed interim regibus *Truculentum*. Dicam seriò: ad ius vestrum firmandum nihil màgis ludicrum aut ineptum, ad vestram correptionem nihil magis aptum aut argutum. 1. *Dauid Goliam* impetit & subijcit, nempe hominem aduersus Deum ouantem, inclementem, Acheruticum: atque in eo gentem immanem, inimicam, infestam, quam subiugandam voluit, promisit Deus. Vos principem sub Deo & pro Deo regnantem, quem vnxit, (*nolite tangere*) & euexit fere ad superos qui supremus est, ideo ob dignitatem sustinendum; atque in eo ordinem *non qui vobis multa bona vult*, sed fecit, cui vos & omnes alios obedientes esse voluit & *iussit Deus*. 2. *Dauid* prælium non veretur, aggreditur, vincit: vos declinatis, terga datis, cùr non palmam datis? 3. ille periculo se exponit, vt alios eximat; Pontifex alios damno protudit, vt seipsum indemnem seruet. Aliter bonus pastor, cui illi vicariam dat operam, sed non semper: 4. *Dauid solus* discrimen subit; solus Pontifex in vtramque aurem dormit, omnes alij quorum interest periclitantur, principes abrogatus & subrogatus, & omnes subditi: nam qui vni religiosus est, alteri

teri reus est, qui neutri pars est, vtriq; præda est. 5. ille certamine finito victoria potitur & gladio, ideò iurè vtitur: *Gregorius* 7. lite non inceptâ, saltem non contestatâ, successores eâ pendente gladium vendicant, nonnulli eorum gladiatoriè vindicant, omnia sine iure. Ausim dicere, nunquam fuit æquo Marte ventilata ista lis, nunquàm Synodicè, autoritatiuè, aut maturè terminata: imò nunquàm scholastice (data æquâ sponsione, aut fidâ operâ) disceptata. Nõ est igitur cur nos premant autoritate *D. Thomæ* aut dimidiatæ scholæ: miror potiùs *Scotistas* & illam partem in vestra penitus vota non abijsse, nàm a primo die quo lis orta est ad hunc vsque, solis Pontificijs patuit schola, Regijs autem neque vllis neque vnquàm. Nonne ab ipso *Gregorio* orauit *Hermanus* Archi-episcopus Metensis, sed nihil exorauit, nihil impetrauit, præter epistolicas narratiuncu-las, infirmas, a posteris, a vobis ipsis omissas, spretas? Nonne *Occhamus* in aurem Imperatoris lectiones habuit, dùm scholas aperire veriti sunt ipse & Imperator? An non posteà etiam clandestinas profiteri alij Minores tempore *Ludouici* (cum publi-

cas

cas fas non erat) coacti sunt? Sic cœpit, sic adoleuit, sic senio confecta terminabit. 6. *Dauidis* certamen fausto omine initum, prospere gestum, fœlicem habuit exitum & optatum; hinc *Dauidi* tot hymni, tot palmæ. Pontificis, Deo aduerso inceptum, in medijs nullum remedium, in fine nihil non durum, nihil non infaustum. Hinc Pontifici tot funera, *Tibi fluxit populi, fluxit Magnatum cruor*, non sine tuo maximo damno: cætera profluunt, *Sanguis retrò currit, redit in autorem scelus*, Sæpe fœlix, semper funestum. Sed etsi nescijt *Otho*, nouit fortè *Gregorius*: ab ipso petamus.

Primò, secundò, & semper dirum faciens, vt authoritatem suam venditet ad *Diuos Petrum*, & *Paulum* tanquam Primipotentes prouocat, illos Autores & patronos aduocat, & herclé ad rem; nam hinc ius vere Apostolicum, si vere ius. At ab illis solam autoritatem petit, non exemplum? Vtrumque in quæstione est, videamus vtrumq;? vtrumq; hercle nimis futile; Videamus tamen, sed paucis. Primò eorum potentiã protendit & extendit ad omnes & omnia, animam, corpus, regnum, resq; cuiusuis, præcipue Regum, quia illi præci-

pui

pui, sic *Philippo* Francorum Regi. *In beati* Petri *potestate est regnum tuum & anima tua* ep.20.l.8. & *Henrico* Imperatori, *Vt sciant omnes si potestis in cælo soluere & ligare, potestis in terra omnium hominum possessiones, pro meritis vniuscuiusq; tollere vnicuique & concedere.* Sed dum ad cœlites properat, in aëre pendet; *& in desiderio animæ suæ attraxit ventum*: sed præter ventum & turbinem nihil. Nam si Sanctorum vires propalat, nihil agit, si suas deducit, nihil probat: hoc tamen imprimis vult, *Vos elegistis me, non ego vos, &c. & ego auctoritate vestra, &c. agite queso & adeste.* Sed in vtroque nullus est, a suis desertus est, reipsa destitutus est. Nam Diuos alloquens, si quam olim, dùm in terris, potestatem habuerunt supponit, nimia est; si qua nunc gaudent; nimium abs re est; si eam, quam nunc habent, nobis communicari aut impartiri autumat, nimis stupidum est; nam mentalem & Angelicam delegationem aut dominationem non capimus, neque qualis aut quanta sit ipsa hîc disputabimus. Illorum opem eum sæpe imploraſſe verba indicant nunquam impetraſſe rei exitus probat. Illis igitur nimium faciendo, nec primum

ſc: diuinum propitiauit numen, nec eorum demeruit ſecundum: ſibi nimium adrogando, nec ſuæ cauſæ profuit, nec ſuis placuit. Hoc autem ius a *Gregorio Magno* fuiſſe aſſertum magni faciunt Cardinales *Baronius*, & *Bellarminus*: ſed maximopere *Baronius*, quem laudant & ſequuntur alij. Hinc *Gregorio 7.* origo Iuris, facti & forſan ſui nominis: eius igitur mens attendenda, & noſtra intendenda, nam tùm demùm error euincitur, cum extirpatur. Et extirpatur iſte (modò ſit extirpatum quod ſtirpitùs euulſum) ſi vnquam alius, opera virorum eruditionis & fidei ſpectatiſſimæ & probatiſſimæ: vellicarunt etiam ſcioli & vnà fidem veſtram; adeò vt vos ipſos dum hunc animis obfirmatis propugnatis, cuiuis petulanti nebuloni & inerti cauponi proijcitis, qui ſe veſtras fraudes & ſtrophas ſoli meridiano expoſuiſſe gloriantur. Vt quod res eſt dicam, quâ fronte hæreticos patres inuitos in ſenſum ſuum trahentes (trahunt autem cottidie & in omni quam tractant quæſtione) perſtringemus, cùm vos *Gregorium* coegiſtis inuitiſſimũ ōnibus eius dictis ac factis, moribus, & monitis reclamitantibus & *fidem*

veſtræ expoſitioni abrogantibus vt vere *Barclaius*. Sed ſit hoc priuilegium indubitatum vere tamen ille, *ſunt hæc non Imperantis ſed imprecantis verba*, & addam ego ex mente illius; huic forſan debent ſequentes Pontifices epilogum Bullarum ſuarum vſitatum, certe non *Gregorius 7.* poteſtatis ſuæ primordium aut exemplum inſolens. Rem verò penitiùs inſpexit *Widdringtonus*; nam hinc nullum in Regnum poteſt Ius elici, quin idem poteſt in Infernum, ſc: vt decernat & mandet damnationem qui depoſitionem. Sed datâ poteſtate in vtrumque, hanc autem pœnam formaliter & pro tribunali a mitiſſimo Pontifice *ob delictum leuiuſculum* putà *ſi fratres inquietauerit* fuiſſe decretam ſæuum eſt, iniquum eſt: ſed vt Reus quicunque fuerit, ſc: *Rex*, *Antiſtes*, *Iudex &c.* ſiue qualiſcunque eius culpa, putà *ſi decretum violauerit vel contradixerit*, ad Iuſtum dei iudicium amandetur ſecundum culpæ modum puniendus, æquum eſt, Iuſtum eſt; & hoc vult *S. Gregorius* & ſic eum intelligunt omnes qui intelligere volunt. Mitto quàm infœliciter in hoc priuilegio enarrando & confirmando ſe exercuit Cardinalis Baronius,

nius & (ni ampla dignitas eum exemisset) dicerẽ vix fideliter, dum ei idem est dignitate carere & Regno priuari; certe nec cautè, dũ nouum componere nititur; nec solidè, dum ex cartâ dubia, incerta & dubij sensus, Ius certum & firmum astruere conatur. Et mittam ipsum priuilegium, quia plura quàm quæ ab alijs sunt dicta, dici haud queant. Hoc vnum tamen prætermittere non possum quia rem ipsã attingit & propositum meum manifestè probat. Illud dogma cum Iure super quo fundatur à *Gregorio* primo non habuit originem aut exemplum: neque ante *Gregorium* 7. orbi erat notum: probo clarè, quia primarij præsules & ipsi *Gregorio* intimi, nesciebant quo Iure defenderent, sed ab ipso *Gregorio* petunt rationem tam dogmatis quam facti *vt responderent contradicentibus*, inter hos *Hermanus* Metensis Archi-episcopus; cui fusè & deditâ operâ respondet *Gregorius* lib. 8. Epist. 21. allegationes verò eius a vobis pro rationibus non habentur sed ritouæ & meliùs accommodatæ ex cogitantur. Quomodo verò non nouum, quod Doctioribus & Ecclesiæ pastoribus eo tempore erat ignotum?

CAPVT QVINTVM.

Ex Scripturis non probatur, sed earum auctoritate euertitur.

NON ex Scriptura, nec Scripturæ sententiolâ: ideò ad sacrum Indicem tardi veniunt: & tamen maiore quam par est acumine & indagine lustrant. Vnam solummodo citant seriò, eam verò non liquidam, nisi contra seipsos. Sed quid opus est liquidâ? inquit Cardinalis aduersus *Barclaium*, c. 8. *Nam sicut licitum fuit ecclesiæ post annos trecentos declarare illam Scripturam, Ego & Pater Vnum sumus, de Consubstantialitate: ità eidem ecclesiæ post annos septingentos* (adde fere alios 400.) *explicare hanc de Summi Pontificis potestate. Quicquid ligaueris, &c.* At non explicauit? igitur vos futiles qui creditis, vos fungi qui creditis. Tamen an liceat post discessum Domini possit ambigi? Nàm scitum est illud Iure-consultorum, ex *L. 1. C. de legibus. Iudex non debet recedere a iure scripto propter æquitatem non scriptam, nisi auctoritate principis ad quem hoc pertinet*, At Autoritas (quam volunt Iure-consulti) in successore

quærimus non in vicario; ille non datur, igitur de hac dubitatur: & Ideò Patres *Nicæni* priorem locum appositè interpretantes, a iure scripto, nempè litterâ & sensu, traditioneq; priorum ne vnum latum pedē discedunt. Vos verò neq; ad literam, neq; ad sensum aut traditionem Patrum respicientes, in omnibus estis contrarij. Præcipuè si spectemus Patres, quorum autoritas & traditio in priore declaratione præcipua. Verùm de iure non differam, cum factum videro. Interim veniâ vestrâ ipsam concessionis paginam examinabimus quā *interpretatam dicitis*, aut interpretari vultis, geminamq; interpretationē: exinde quænam sit màgis menti principis functi, licèt non defuncti conformis & consentanea constabit. Et constabit meliùs si legali modo & genuino digerantur loci & exponantur, (quod nùnc & a me expectandū) quàm si paraphrasticè, aut more scholæ. Totum istud ius quod quæritis, eiusq; constitutio, habetur, & quod in scripturis eiusdē generis solet patet, (nā vt pateat cōuenit) in istis sacri codicis paginis. *Mat. 16. Tibi dabo claues regnicælorū quodcunq; ligaueris, &c.* Mat. 18. *Amèn dico vobis quæcunque alligaueritis*

super terram, &c. & Ioh. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis, &c.* Quòd in primo loco solùm, & personalitèr alloquitur *B. Petrum*, in secundo ijsdem verbis cõmunitèr omnes, in tertio itèm omnes sed alijs verbis, non refert, nàm non quærimus cui principaliter hoc ius & quibus secundariò competit; Sed vtrum in istis locis cõtenta sit vestri diplomatis sanctio; & an ista verba possint extendi ad ius illud quod petitis & vsurpatis? & posse ac debere vos ipsi Autores estis. Istas scripturas idem ius spectare, ad idẽ referri & inter se cohærere testantur omnes Bibliorũ editiones: quæ in priori ad marginẽ designãt secundã & tertiã, proximæ primã referunt & vltimam, & postremam duabus præcedentibus consignant; similiter interpretes priorẽ locũ explicantes, vim 2. & 3. innuũt, & in sequentibus prioris sensum interserunt. Sed sine interpretibus satis patet ex re ipsa; nàm aliam potestatem dari *Ioh.* 20. quàm quæ promissa erat *Mat.* 16. & 18. dicere, non differentis sed dementis est. Triplici paginâ idẽ ius concedi aut exponi non est necessariũ: nàm si in vna, est satis validum, etsi fortè nõ

satis

satis patens, quod, vt dixi, in materiâ Iuris aut potestatis semper requiritur; aliàs leges dare ac Iudices, iurgia ferre ac lites fouere esset. Dico igitur cum omnibus Iure-consultis ex *Reg.* 95. Idem in tribus locis, aut ternis vicibus repeti, *Abundans est, sed superuacaneũ non est, inutile non est.* Hinc nata ipsa Regula; *Non solent quæ abundant vitiare scripturas*, sed explicare; ideò diximus in omni diplomate eâdem autoritate dato aut munito, & varijs vicibus renouato aut iterato hoc statuendũ, si ijsdẽ verbis repetitur, confirmatur, si alijs, explicatur, si pluribus & aliud ius spectantibus, nouum ius confertur, si quibusdam omissis essentiam Iuris continentibus, aut Ius reuocatur, aut quoad partem excipitur: sed semper quod postremum, est explicatissimum. Hoc, sicut vestri Iuris concessor est omnium maximè peritus & verè consultissimus; sic in vestro diplomate est maximè liquidum. In primo loco solũ designatur beatus *Petrus*, quia ipsi conceditur principalitèr, aut tanquàm principi; neq; tamen alijs minus efficacitèr: nàm illi Ius suũ non à *B. Petro*, (vt nonnulli inscite volunt) sed immediate ab ipso Domino, quemadmodum & ipse *Petrus*. Ne

autem ob personale priuilegium *B. Petrus* sibi arrogaret Realem distinctionem, aut proprietatem, ideò in secundo loco eandē potestatem promiscue & æquo iure concedit omnibus. In tertio autem loco, ne esset ambiguitas in Ipso Iure nēpe quid aut quæ possint ligare, quæ soluere (nàm in hoc non minor quàm in priore difficultas) ideò distinctè exprimit & explicat illud quoq; *Quorum peccata remiseritis erunt remissa, & quorum retinueritis erunt retenta.* Recte proinde *Theophilactus* in Mat. 16. *Quamuis* Petro *soli dictum est, Dabo tibi: omnibus tamē & Apostolis cōcessa sunt; quando? quum dixit, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur.* Nihil igitur conceditur aut datur quod sub istis verbis non continetur; nam hoc præcipue & semper notandum, *quando lex pluries exprimit idem verbum, videtur velle quòd non fiat extensio ad alium casum quā expressum; licet materia de sui natura esset proportionabilis alijs.* Gloss. in *Clem.* 1. in verb. *diocæsanis*, de Iure par: *Quod uni* inquit ille, Petro *promissum* est, Mat. 16. *datum est omnibus* Ioh. 20. & *quod ante promissum, nunc datum.* At non satis quòd datum, nisi sit notū? quomodò autem notum, nisi expositū?

nulla

nulla autē exponitur quæ nō est spiritualis; nulla igitur potestas datur, nisi spiritalis, vt recte *Chrisostomus* ex eijsdē verbis, *Quodcūq; ligaueritis, &c. nō intelligitur aliqua potestas data nisi spiritualis, absoluendi*, sc: *à vinculo peccatorū*: nec aliā intellexit *Bernardus* quā *spritualē & in peccata* ad Eug. de consid. l. 1.

Sed abstrahamus ab ista germanā & bene digesta explicatione? nostra tamen innuitur satis clare ex prioribus locis. *Dabo tibi claues regni cælorum, &c.* Datione *clauiū* potestas significatur; Datione *clauiū regni cælorū* potestatis species designatur. Vnde vestra autoritas quæcunq; ex posteriore ac explicatiore loco, & ex designatione qualitatis, est spiritalis, si potestatis spectabimus qualitatē, si subiectam materiā, sola inspicit peccata, & ligaturas animæ: in illa datur imperium; ab istis datur remedium: Sed potestas quæ datur, circa ista versatur sola; *nā qualitas respiciens verbū omnia qualificat quæ ab eo verbo reguntur*, l. 1. in Princ. & L. 3. Sect. *quod ait prætor* C. *de Incen: ruina naufrag.* & iuit in Regulam. quæ non est intelligēda quasi omnia faceret eiusdē qualitatis cum principali, quod forsan innuēt Theologi; nam hoc fieri non potest, sed in-

dicat omnia esse ad idē interpretanda atq; restringenda, etsi ipsa verba aliud & quiddā generalius sonarent: vt *in stipulatione ob hypothecam, stipulatione causā dotis, & nudo pacto facto in iudicio*, stipulatio sēper est eiusdē naturæ & qualitatis, cuius est cōtractus & pactū in quo fundatur. Licet igitur hæc verba, *Quicquid ligaueris*, &c. sub se possint comprehendere diuersi generis suppositā, puta tā temporalia quam spiritualia, tamen sunt restringenda ad spiritualia, quia regnū cœlorū constat ex spiritualibus. Vere igitur iterum *Theophilact. subdit, quorum remiseritis peccata, vt ostendat quod genus donorū eis dederit*, nempe spiritualium, *remissionē, viz. peccatorum*. Dedit autem istiusmodi maxima; recte ideò ille, *vt Deus honorandi sunt*, putà ob istud quod ad Deum pertinet imperium; vnius generis hominem possunt expellere etsi admissus sit, *ligatis manibus & pedibus mittite eum. Mat.* 20. Alterius verò generis possunt admittere, etsi *per quatriduum* exclusus sit, *soluite eum Ioh.* 8. Sed ænigmata forte iuuabunt? non nisi Iudices vitio istius æui laborauerint, id est, minimū fuerint Critici, aùt dogmatici: Tunc enim illa duntaxat tempestiua, quandō

mysteria

mysteria occultanda proponuntur, non cum Iura affirmatiua feruntur, aut cum mandata exequenda dantur, præsertim quandò munus pastorale mandatur. Sed audiamus? *De cibo egressus est gladius?* Toto cœlo erratis: nàm contrarium verum est, & scripturæ consonum, De gladio exiuit pastio, *de fortibus cibus, de Leone fauus:* ideo stringunt & vibrant hunc mucronem *pasce oues meas* Cardinales *Baronius & Bellarminus*, sed timidè & oscitanter. *De hijs quibus dicitur Pasce*, inquit *Baronius, eque dictum scias, Occide & manduca*, sed non ex istis verbis *Pasce*, id est, *occide aut depone. Bellarmino* verò trita sunt ista verba, & omnis vis indè petita attrita, neque ab ipso Cardinale reparata; nùnc enim solùm hæc *Quodcunque ligaueris &c.* interpretari cupit, fallor, *interpretata* asserit. Non sic alter, verum vrget fortiter, & hinc dicit, *datam potestatem ad alligandos Reges in compedibus ferreis, Tom. 2. ann. 57* & verè, si quales futuræ compedes, verè dixisset, quas explicatè designat *Augustinus in Ps. 49.* & notas facit, nempè spiritales, *Tales compedes consolidat episcopi manus.*

Gladium deducunt ex verbo *pasce.*

Videamus nunc si quid nobis in diuinis præsidij

præsidij eloquijs, aut saltem àn nobis faueant màgis ? fauent verò dùm non obstant, & nos obtinemus, dùm illi nihil probant, vt rectè notarunt alij, docent multæ leges, & vniuersa praxis. Sed fauent maxime, & nostram sententiam eloquuntur non obscurè. E multis pauca docebunt, & pauci ex multis sacri codicis scriptoribus : sed illi ob multas rationes maximè suspiciendi, scilicèt, *Dauid & Salomon*, Pater & Filius, vterque Rex & Propheta, ambo nostro Regi & Prophetæ, (cuius causa agitur) satu, signatu, significatu iunctissimi Ille *opera sua dixit Regi*, & regnum eius proposuit pulcherrimè ; Iste opera quædam dixit Reginæ, & quid possit illa, exposuit optimè. Quid vtrique competat, tam sponso quàm sponsæ, in causa nostra disceptatur, & horum operâ graphicè describitur. Benè *Dauid* de potestate Capitis siue Principis veri, & vt nonnulli volunt Vicarij : bene etiàm de potestate Prælatorum, siue de tota armaturâ clericali. Rectè pariter *Salomon* de sponsâ, qualis illa in pace incessu, & qualis ad aciem processu; quomodò ad prælium nata, & quibus medijs ad triumphum ordinata, vos (vt otium

erit

erit) disquirite, ego interim vt ex paucis prælibetis inuito.

Accingere gladio tuo super femur tuum Potentissime. Ps. 44. Hæc præcipuè dicta esse de ipso Domino communis sententia est; vera esse de eius Vicario Author est *Caietanus in Concil. Lateran. sub Iulio. 2. Sess.* 2. Nèc dissonat *Bernardus in consider. ad Eugen. Accingere gladio tuo gladio spiritus.* Dicitur *Potentissimus*, quia vnus, cui soli ex mente *Caietani* competit ista potestas vicaria & *accingenda. Accingere*, monitorium est vt regnum suum ac regimen capessat, vt subditos regat, vt rebelles & immorigeros corrigat. Nempè gladio; hic interim *de binis gladijs* (quorum meminit *Caietanus*) nihil constat. Rectè verò gladio *tuo* in indiuiduo, nàm iste *propriè tuus est*, & (secundum *Caietanum*) *ità tuus est, vt illum alius nisi a te habere non possit*: sed alter tuus non est; nàm requiritur vt *gladius tuus accingatur super femur tuum*, nullum proindè gladium habes quoad Ius, quem non habes quoad vsum. Per *femur* enim intelligi gladij vsuram siue potestatis actum indicat alia scriptura, vt Cant. 3. 8. vbi de bellatoribus & excubitoribus dicitur *vnius cuiusque*

uscuiusque ensis super femur suum: gladium tenentes, ecce iûs! *ad bella doctissimi* ecce morem assiduum atque vsum. Aùt igitùr conceditur gladij exercitium, aut non conceditur gladij dominium.

Sed quoniàm, B. Pater, ex mente horum venisti in hæreditatem & consortium Domini tui, accipieris lautè & basilicè, sed *omnis gloria est ab intus*, & regnum tuum solùm odò spirituale. *In corda inimicorum regis* (quod a vobis sedulò examinandum) non in corpora, *habent hæc terrena & mundana Iudices & reges suos*, quod regimen manebit firmum dum ipse mundus. *sedet* nihilominùs *Christus* quià abcessit, sed in ministris seruit & seruiet, etiàm (quod miserius videri possit) inimicis vsque ad finem seculi, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: interim ille scabellum pedum eorum, *percussus, humiliatus de angustia non sublatus*. Dicitur *Christus, Princeps pacis, quare? quià venit mittere pacem?* non, *sed gladium* potiùs; *filium excitabit aduersus patrem*, sed quià principi isti in sola competit Ius arma pacis, non *instrumenta iræ*. Et hæc sola reliquit seruis suis, rectoribus ecclesiarum vt ex verbis clarissimis

clarissimis diximus S. *Ambrosij*, atque vt patet ex puris naturalibus, & intrinseca officij eius proprietate. *Non contendet, neque arundinem quassatam conteret*, quis est iste Baculus quassatus & arundineus quem non conteret *Christus? Rex* quiuis *nequam, qui Draco magnus Domui Israel:* Hunc tamen non conteret Dominus, igitur non quassabit Pontifex. Caueant autem ne super autoritatem aut vires istius baculi nitantur mali, sc: qui solum sapiunt seculum; nam arundo est: & caueant ne contra autoritatem eius enitantur bo ni, sc: ecclesiastici & qui reliquerunt seculum, licèt quassata sit: nam *contentio* secularis est, prohibita est, vitanda est. Matt. 12. Ezek. 29.

Virga directionis virga regni tui, quod in omnibus concedimus; non destructionis, quod pariter vniuerse negamus, etiam in subiecta materiâ. Neque obest quòd possis *tradere Satanæ*, quàsi ad carnificinam animæ: nám hoc solùm valet, quando iusta est sententia (iniustâ nihil operante) & solum quoad ipsam sententiam quâ extruditur, & hominis traditi commercium, in quo Christianis amandatus, dæmonibus fit mancipatus, non tamen sine spe salutis,

sed

sed *vt anima saluetur*; sin vero iniusta, non illi, sed tibi nocet. Dicitur ipse *Christus, Consiliarius*, in quibus? sine dubio in secularibus; nàm in spiritalibus solus Dominus
Esay 9. est, *factus est Principatus super humerum eius*. Quid igitur ineptius? Ipse Dominus, ex officio Rex & sacerdos, dominatur cõsilio; & Vicarius, sacerdos non Rex valebit Imperio & in ipsos Reges? *iniquus sortitu fori, haud Regibus Reges dedit*. Concludam igitur, vt consilium det Pontifex etiàm in re ciuilissimâ, antiqui moris est, sic apud Iudæos in rebus bellicis sacerdos maximus: Vt mandatis Imperet; recens traditio & impostura est. Si parum perspicax tibi videro, princeps Præsulum, in euoluendo Iure tuo aut tuorum, reuoluant tui totius Psalmi concentum, oculorum & mentis, quâ possunt, acie indagent, & qui sunt isti principes *in futurum constituendi, & quem domum deserturi* aduertant; & postea respondeant *de temporalibus*.

Benè secundò *Dauid* de Panoplia ecclesiasticâ & clericali. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Ps.* 22. Ecce arma, & munimenta ecclesiæ, secundum *Arnobium*. *Habet virgam vnde minatur delinquenti*

quenti, quam agnoscimus, de qua D. *Paulus*, *Vultis vt in virga veniam*. Sed quorsum baculus ? vt rem fustibus componat? non, sed vt reum (modò pœnitentem) sustentaculo fulciat, *vnde subueniat pœnitenti*, inquit *Arnobius*, & consentiunt alij Patres, vt patet superiùs. Consentiunt etiàm ipsi Pontifices, putá veteres, nèc minùs explicatè : nàm Ecclesia ex mente illorum non habet virgam & baculum, hunc spiritalem, illam secularem, aut duas virgas, vnam ecclesiasticam, alteram ciuilem, sed merè vnam, Vniusque generis. *Nunquid auis discolor ecclesia mea mihi ? Ier.* 12. *corporalia nescit arma*, ait *Iohannes* Papa c: *qui ita inquit* 16. q. 3. ideò quosdam Pontifices, Antecessores suos *diuina autoritate fultos, Reges ac Pontifices excommunicâsse* memorat *Gelasius* & laudat, vt *Innocentium* qui *Arcadium*, & vnum alium præsulem nempe *Ambrosiũ* qui *Theodosium Magnum* excommunicabat. *c. duo sunt. d.* 96. sed nullos ciuilem potestatem vsurpantes, regem aliquem deposuisse aut ciuiliter mulctâsse nouerat; si nouisset, damnasset sine dubio, nàm ratio clara ex alio Pontifice, nempè *Nicholao*, *Dominus non concessit Apostolis*

postolis virgam per quam violentia vlli inferatur. 20. q. 3. c. præsens. Vos infertis maximam & maximam defenditis: *In sensum & consilium vestrum anima mea non veniat.*

Sed quid possit ecclesia virtute & authoritate suâ, quid præcepto aut potestate alienâ, quàm scitissimè explicauit *Salomon* in carta monitoria de inimicis ecclesiæ coercendis & vlciscendis. *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* Cant. 2. Per istas vulpeculas intelligi minoris notæ hæreticos & aduersarios, ecclesiæ ruinam machinantes & molientes, nemini est dubium. At *aper exterminans eam & fera singularis depascens eam*, vt *Ps.* 74. 14. & *lupi rapaces deuorantes oues* sunt magis damnosi, & magis timendi atque vitandi. Cur non pia & animosa mater-familias administris suis putà secularibus (quos forte priùs alloquitur) & quibus secundum recens istud commentum potest præcipere? cur non inquam màgis aut paritèr de istis *Capite nobis hos?*

Hinc non ineptè colligitur vulpes & hæreticos minores capi posse & debere, & etiàm plecti: secùs cum *apro, fera singulari, & lupis deuorantibus* agendum. Probè

ab

ab ecclesia abigi per gladium spiritalem a pastore vigili & fideli, de quo Dominus in Euangelio & *Chrysostomus in cap. 10. Ioh. Hom. 59. qui oues non deserit, sed lupo generoso restitit* possunt isti, sed vt capiantur potestate naturali non conceditur, potestate concessa non cauetur. *Ecce mitto vos sicut oues in medio luporum, & sicut agnos inter lupos, Mat. 10. & Luc. 10.* Si lupi noluerint deponere efferam suam rapacitatem, non video quæ media, quam facultatem ex seipsis habeant istæ oues seipsas vindicandi, (nàm malitiâ præstant lupi & viribus) aut quæ illis concessit Deus, nisi quòd patientia, obseruantia, & omni comitate sunt deliniendi, vt amicabili hac (& vnà cælesti) aurâ affati, mansueti & clementes fiant, & tunc secundum prophetiam, *lupi & agni, leones & agni simul degant, vnà comedant.* Sed dùm feri manserint & rapaces, vitari fortè possunt, sed ab Ecclesia domari ingenitâ virtute aut iure concesso non possunt.

At nèc vulpes ab ouibus capi posse dicetis? Imò possunt; nàm nomine vulpium (quod non temere præterendum) nunquã denotantur vires, sed artes, fraudes & variæ

hæreticorum & malignantium technæ: his autem non obstantibus vulpes bene prehendi possunt; nàm Rectores & Pastores harum quium *sunt prudentes sicut serpentes*: vulpinam autèm vafritiem & dolum serpentinâ solertia & vigilantiâ superari quis dubitat? vndè hoc ecclesiæ competere cõstat ex vi innatâ. Et cum solæ vulpes capiendæ; id est, soli callidi & vafri, (quod præcipuè notandum propono) nulli igitur potentes & magnates quatenus màgnates: id est, capiendi sunt in fallacijs non in principatibus; nam vis publica vi non repellenda, vt rectè monet *Ambrosius, Lachrymæ & orationes sunt arma sanctorum, aliter nec possum nec debeo contendere. Estote sicut columbæ*, inquit Dominus Apostolis suis. Quem autèm illæ fugarunt nunquàm? sed etsi vis vi non repellenda; omnis tamèn astutia & fraus solerti vigilíq; dispellenda; nam dedit hos *prudentes sicut serpentes*. Aut quem serpentes? quod iterum notandum, num non dicuntur serpentes vt alijs noceant, sed vt sibijpsis prospiciant.

Quoddico de magnatibus, de omnibus dico laicis qui in rebus mundanis suis ab ecclesia vi propria aut innata non sunt capiendi.

Est autèm modus quo ab ecclesia lupi possint capi, & coerceri; sed quo licitè

ferus ille singularis, nullus. Sed quo tandem lupi? *Mammillã Regum lactaberis & scies quia ego dominus saluans te. Isa. 60.* Hoc lacte alita ecclesia & fortior facta lupos compescere & plectere potest, sed nunquam ferum illum singularem: ratio est, quia singularis est & sine pare, ideoque *sine spe vere a quo tegendus.* Neque potest istos autoritatiuè putà regibus mandando, seu exorando: nàm etsi Pastor præsit ouí, tamen vlummus subest alcori, legesque accipit, non dat. Et sic regit, sic dominatum Ecclesia *in hac lachrymarum valle*, si ego eam bene noui.

Per lupos intelligo aliquos tioris gradus feros, sed non ferum singularem, scilicet supremum principem, qui in ditione suâ siue beneficus, siue noxius,

Non tangendus, quia vnctus, nisi manus domini retrogerit eum.

Audiamus nunc ipsum Dominum suum regnum charactem, quod habuit, quod contestit. *Regnum meum non est de hoc mundo* respondet Cardinalis, *at est in hoc mundo*; pace tanti viri, ridiculè: nam quid non, quod aspicimus aut tractamus, vt Regis Schaccorum, etiam Regis Iudæorum? detur Cardinali mihique venia. Sed *princeps mundi in eum non habet quicquam*: ille in principes mundi non habet quicquam, *nisi dederint nomina sua*: Et cum dederint petit eorum corda non diademata. Dicimus igitur, Regnum

Non dico vt Redemptori maledicam nostro sed quia eum non faciam Regem qui seipsum fecit seruum vt Reges & alios qui erant serui liberaret.

num eius non est mundanum, non seculare, & didicimus a Patribus, *non constare opibus, honoribus & potentiâ.* Quod verum est, sed stricto examine parum est, nàm nihil seculare habet, nihil petit, nihil admittit; nullum ius proprium; nullum adnexum; nullum directum, nullum indirectum, siue spectemus seipsum aut Apostolos, siue ipsum Ius, Iuris ordinem aut naturam. Non munus seculare; *Quis me constituit iudicem super vos?* quis eius Vicarium? Non honorem mundanum, *Venit filius hominis ministrare, non ministrari, Mat.* 20 *& sufficit discipulo vt sit sicut magister eius, & seruo vt sit sicut dominus eius, Mat.* 10. Non prædium, non possessionem: *filius hominis non habet vbi reclinat caput*, & Apostoli; *Aurum & argentum non est nobis. Nullum habuerunt, nullum reliquerunt*, inquit *Bernardus.* Imò ex officio non admittit nèc agnoscit secularem cognationem: Mater non est mater, *Quid mihi & tibi mulier?* & Apostoli, *reliquimus omnia*: an ad libitum recessuri aut recepturi? Monachis negatis, quare alijs conceditis? Non minus igitur totum est pro Christo & Clericatu in secularibus,

quàm

quam contra *Ignatium Loialam* tot doctissimorum patrum patrem in ijsdem, *Hæres est vniuersorum*, nemini stricto Iure hæres, hic aut ille, nemini agnatus nisi spiritalitèr, *Hi fratres, hæ sorores*. Rectè igitur Paranymphus sponsæ, *obliuiscere domum patris tui*, intellige nisi accesserit spiritualis cognatio; tùnc verò vtramque cole, sed hanc màgis propter illam. Istis consideratis, rectè *Ieronimus ad Martell: Misit Dominus Apostolos sine potentiæ secularis auxilio* (perpendite Doctoris verba) ep: 24. sic primò, sic vltimò.

Caput Sixtvm.

Neque autoritate Conciliorum probatur, sed negatur potius.

AD Concilia properantèr venio: vetera probo, atque veneror, sed spero nouum. Dies elapsi & hodierna ingenia poscunt, & impetrabunt scio, ni Concilium Romanum prohibessit. Prohibuit diù; sed non diutiùs, nisi quo prouectior orbis Christianus, eò deliraret màgis. Religio & fides Catholica (Deo dante) latè quidèm patet; sed pateret latius, (da-

ret modò qui præest) vt Concilia magis pateant quæ nunc in Conclaui latent: dum autem latent in deuijs errant & pereunt non pauci milleni homines sine remedio (sed non sine querela) qui (mediante & duce Concilio) reduci & saluari quirent. Sed caue, sancte Pater, & vos sacrati principes qui a secretis, *si enim abijciendæ est omnis habendi Concilij cogitatio*, vt (nuper Luteriæ vnus vestrum honorando Theologo) tunc alijs ineunda est omnis ratio vos cogendi ad Concilium, nimirum principibus secularibus: nam si prioribus lus erat Concilia indicendi & conuocandi, nempe ob defectum potestatis ecclesiasticæ; idem nostris iurè licebit ob excessum licentiæ ecclesiasticæ. Atque hoc ab intimo iure & ratione peti contendo; Sicut enim spiritualia a spiritualibus regi volo, nisi desit facultas; ità spirituales ad spiritualia cogi arguo, si deerit voluntas. Et pariter a principibus Christianis. Sunt enim illi (Iure nouo sed liquido) *Nutricij ecclesiæ*: quare? vt ipsi nutriant? proprie non, sed modò curent, vt ab illis ad quos ex officio pertinet ecclesia nutriatur. Aliàs *vindices sunt omnibus*, in quem finem?

Cardinal: Barberino.

finem? vt foueant & tueantur; (nàm hoc proprium eorum munus) sed non solum Rectores aduersus subditos, sed etiam vt prospiciant subditis si neglexerint Rectores. Horum nullâ habitâ ratione, quomodo *rationem reddent Deo qui eorum potestati credidit ecclesiam*. 23. q. 5. c. principes seculi: *de minimis cura est Deo*, de minimis igitur curatio est principi. Ad Concilia cur prouocant autem? quiá in Lateranensi sub *Innocentio*. 3. cauetur, *vt præstent iuramenta temporales Domini de hæreticis exterminandis, si autem non exterminauerint, vt dominia eorum abiudicentur & aliis tradentur*. Multa proferunt, in nullo proficiunt. Puta enim quod Concilium asseruisset nominatim & districtim Regum hæreticis fauentium abdicationem. An igitur abdicandi, quiá asseritur? temere nimis & absque consilio; nàm vt recte *Bellarminus de Bonifacio, Non loquitur per modum definientis rem controuersam, sed simpliciter asserentis*. Sic aliud est quiddam in Concilio aut a Concilio asseri, aliud Synodicâ discussione definiri. Vere igitur idem Cardinalis in *Torto. Pontifex coadiuuantibus episcoporum Concilijs* Belll. de Cler. l. 1. c. 28.

poteſt ſtatuere dogmata, quæ fide Catholici credi debent, ſiue ſint concluſiones ex verbo Dei, atque ex primis articulis fidei deductæ, ſiue explicationes primariorũ articulorũ. Similiter nos, ex autoritate Cõcilij recte deducitur aut deduci poteſt cõcluſio vel explicatio definitiua, ratione cuius, Põtificem poſſe Reges deponere aut non, fiat credibile ſiue non: Sed autoritate Synodali transferri regna, aut leges condi quibus transferantur, ineptum eſt, inſcitum eſt. Quod aduertens idem Cardinalis, *in controuerſijs* nullum petijt à Concilijs robur aut firmamentum, ſed eſt penitùs omiſit; & in Reſponſione ad Sereniſſimum Regem non Ius definitum ſed præxin à & *in Concilijs approbatam* ſolùm affirmat. Mitterem quoque ego ſicùt alij, niſi quorundam noſtratum inſcitia, qui Doctores ſunt aut volunt haberi, me adegiſſet, dùm nonnullos conterraneos & conſacerdotes multò doctiores, quià iſtius Concilj autoritatem malè intellectam negligunt, hæreſeos arguendos, & vnà celeberrimam Theologicæ facultatis Scholam cenſent, ſcioli & inſipiẽtes. Horũ igitùr cauſa verba Patrũ Lateranenſiũ paulò accuratiùs expendemus.

Moueantur

Moueantur autèm & inducantur, & si neceſſe fuerit per cenſuram eccleſiaſticam, ſeculares poteſtates cuiuſcunq officij, &c. præſtare Iuramentum, quod de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, &c. ſi verò Dominus temporalis requiſitus & monitus terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæreticâ pranitatè, per Metropolitanum & Comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur: & ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Sum. Pontifici, &c. & terram eius exponat Catholicis occupandum, &c. eadem lege nihilominùs ſeruatâ circa eos qui nō habēt dominos principales. Ex multiplicitate iſtius Canonis emergunt quæſtiones variæ & variæ difficultates, ſingulæ cōtra vos ſoluendæ & explicandæ, ſingulæ ipſam cauſam euertentes aut vim Canonis eneruantes.

Prima eſt: Vtrùm ſub nomine Dominorum temporalium intelligantur Reges? Secunda: An minores Domini teneantur exterminare hæreticos ad mandatum Concilij? Tertia: An ſub pœna amiſſionis Dominiorum? Quarta: Pontifices concedunt-nè iſtam poteſtatem Concilijs, de abdicatione Regum ſtatuendi? Quinta: An ipſa

Concilia

Concilia ſibi adrogârunt hanc poteſtatem Iura regni diſcutiendi & diſſoluendi? Sexta: An Pontifices aut Concilia poſſint de Regnis abiudicatis diſponere? Septima: Poſſitne Concilium dare legem Pontifici? Octaua: An ſub nomine *huius hæreticæ prauitatis* veniant omnes hæreſes & omnis hæretica prauitas? Nona: An Epiſcopi ad mandatum Concilij poſſint exigere, aut ſubditi vi eiuſdem teneantur præſtare iuramentum? Decima: An poſſit Concilium obligare ad leges practicas, decretas vel decernendas? Iſtis explicatis conſtabit iſtos ſine Conſilio ad Concilia prouocâſſe.

Prima eſt: Vtrùm ſub nomine Dominorum temporalium intelligantur Reges? Et reſpondeo quòd non; res aperta eſt, Iure Ciuili *nullâ tenentur lege*, nullo grauantur onere: & a Canoniſtis, *vbi non nominantur excipiuntur* : vnde communis eorum ſententia eſt ex *C. ad Abolendam de hæreticis*, in hoc ipſo caſu quoſdam nominando vt *Barones, Comites, Rectores, & Conſules Ciuitatum* ex omni iuris conſtructione ſuperiores Innominatos excipi: Et quod valet in exceptione Regum, intelligitur de omni ſupremo

supremo principe, quia idem est iuris ordo, nempè *vt ratio habeatur principalis maiestatis.* Neque obstant vltima verba, *eâdem nihilominus lege seruatâ circa eos qui non habent Dominum principalem:* multùm enim discrepant, esse supremum principem, & non habere aut non agnoscere superiorem principem, nàm multi præscriptione aut speciali priuilegio eximuntur, qui tamèn iure principali non donantur, & multi euadunt non subditi modis minùs probis, minusque legitimis. Taceo interim quod præcipuum est, & Canoni dedit causam, seuerius in hoc Canone Iura minorum principum impeti, ne Comes Tholosanus & quidam alij suam renitentiam impunè ferrent. Cùm autèm maior Tholosano non mancipatur princeps, nihil Iurisperitis màgis est exploratum quàm hunc Canonem contra vos facere: nàm Reges nominatim perstrinxissent Patres, si eousque autoritas eorum valuisset. Regum hoc postulat summa dignitas, & sectæ indignissimæ maxima *incompatibilitas.*

Raymundus Comes Tholosanus.

Secunda: An minores Domini teneantur ad mandatum Concilij exterminare hæreticos?

hæreticos? Et respondeo, non magis adstringi isto Canone, quàm mandato Lateranensis sub *Alexandro* 3. c. 25. & Lugdunensis sub *Gregorio* 10. ad exterminium fœneratorum, quod in ijsdem concilijs verbis strictioribus mandatur, *præcipimus inviolabiliter obseruari, &c. vt nullos fœneratores in terris suis patiantur*, quod tamen non obseruatur à principibus secularibus, aut ab ecclesiasticis in ditionibus suis, neque ex communi sententia obligantur, ratio est, quia in Statu politico politicæ rationes semper sunt considerandæ, videlicet, ne grande detrimentum patiatur Respublica. Ideò in tali casu (vigeat vt vigere possit ecclesiastica disciplina, cui politicis fas non est ponere obicem) ciuilis verò mulcta à ciuili principe eatenus solùm admittenda, quatenùs publico suæ ciuitatis bono conueniat, cuius ipse arbiter est & iudex. Concilium autem Concilio quid præstat, Lateranense Lateranensi? & tamen maior est ratio cùr vacillaret istius Canonis autoritas quàm illius: quia in illo ciuile præcipitur sed sub pœnâ spirituali, quod aliquandò licitum est & pium, factumq; nouimus a *B. Ambrosio*, in isto autem

tèm ciuile mandatur, & sub pœna ciuili, quod sempèr supra licitum & semper supra potestatem ecclesiasticam stricto Iure. Neutrius tamẽ est satis valida, ciuilis enim lex ecclesiasticâ autoritatè lata, non est irretragabiliter obligatoria in hoc aut illo foro, quià sempèr spectandæ sunt seculares rationes, ob quas tàm hæretici quàm vsurarij possint sustineri, vt nostra tempestas docuit.

Tertia: An sub amissione dominiorum? Et dico similiter quòd non: nàm hoc mihi sempèr fuit orthodoxum, imò omnimodè catholicum, *legem Christi nemini priuare Iure suo aut dominio*, quod olim etiam ipsi *Bellarmino* fuit in Theologia Cardinale. Et adhuc posito non obstantibus exemplis allatis contrà *Barclaium* etc. quorum vnum solum ad rhonibum, sc. filij familias euecti ad Episcopatum in quo errat, *sunt* intelligit *ad rem* quo nemo priuatur lege Ecclesiastica, aut si dominium Iure naturæ debitum vt in casu nostro; nam non magis liberatur filius quia factus Episcopus quam si esset prætor Romanus, quo ipso facto pater subijcitur eius potestati, ita tamen vt retineat Ius paternum Iure naturæ sibi debitum,

tum, secùs forsan quod Iure municipali constat: Sed ego pergam. Lex autèm Conciliorum, Lex *Christi* est; alias sine lege conueniunt, sine lege & sine iure imperant. Vnde in addictione Iurium aut proscriptione bonorum nihil potest Concilium, nihil Pontifex, sed semper expectandum est mandatum & placitum principis secularis. Rectè igitur *Hostiensis* in c. *Ad abolendam* supra. *Quid ad Papam de temporalibus? reuerà nihil, sed hoc fecit de assensu imperatoris.* Similiter, quid ad Concilia de secularibus? reuerà nihil, nisi accesserit autoritas regia, & adsensus Regius. Hoc strictè obseruârunt antiquæ Synodi, (nec quòd arrogârit recentiores video) ideò Patres Carthaginenses nihil statuere aut decernere aduersus minorem Dominum, nempè *Rectorem Prouinciæ*, ius aut fas duxerunt, nisi venia petita ab Imperatore. *Con. Carthag.* 3. c. 38.

Quarta: An summi Pontifices concedunt istam potestatem de abdicatione Regum statuendi, competere Concilijs? Et respondeo vt priùs, nihil minùs. In hoc testis & Iudex (vt in multis alijs) est ipse Pontifex, nempè *Innocentius* 4. qui *Fredericum*

ricum 2. ſententialitèr depoſuit poteſtate propriâ, (ſedente quidem Concilio Lugdunenſi, quod màgis contrà vos facit) ſed ſine eius autoritate, approbatione, aut adſenſu, ſaltem corroborante, vt ex ipſa ſententia patet. Pontifices igitùr Concilijs ius nullum faciunt, & Canoniſtæ quoque eorum iuribus ſeruientes, nullum: vnde *Caſtaldus* in lib. de Imperatore q. 81. *Solus Papa ſine Concilio deponit Imperatorem.* Neque diſſentiunt hodierni Theologi, qui hanc in Reges autoritatem propugnant maxime: ipſum Ius in Pontifice locant, Concilium ſolum adhibent, vt maturè atq; ex vſu publico exequatur.

Quinta: An ipſa Concilia, re preſſè acta, hanc poteſtatem Iura regni diſſoluendi aut diſcutiendi ſibijpſis aſſeruerunt? Et dico ſimiliter quòd non. Probatur clarè ex alio Concilio pariter Lateranenſi ſub *Leone* 10. Ad hanc Synodum miſsi ſunt Chriſtianiſſimi *Ludouici* legati cum mandatis Domini ſui tenore ſequenti. *Ludouicus Francorum Rex, Dux Mediolani, &c.* Titularia quæ in mandatis habentur non placèt *Carolozolo, Maximiliani Sforcziæ* Oratori, ideo petit in publico conſeſſu a ſummo Pontifice

Pontifice & Patribus *vt non permitterent Christianissimum Regem seipsum nominare Ducem Mediolani: attento quod ipse vsurpasset Ducatum, & dictus* Maximilianus *auctoritate & ope Pontificis eum recuperauerat, eratque ab eodem Dux declaratus:* Et vera fatur; nam hinc graue bellum ipsi Pontifici & Patribus Italicis ab eodem Rege illatū, & Concilium Pisanum iniussu Pontificis indictum & congregatum. Aequum igitur orabat Legatus, necnon tempore & loco opportunis; putà in pleno Concilio, atque præsente Pontifice. Imò de omnibus conuenit; nàm libello Oratoris respondet Episcopus Massilienſis ex parte Regis, *illa illo loco & tempore determinari non debere,* nihil operante generali conuentu, aut præsentiâ Pontificis. Si verò in illo concilio, ab illis patribus & Pontifice Iura Regni non potuerunt solui aut determinari, cur in isto & ab istis abiudicantur & adiudicantur? At hoc non posse fieri contenditis, nisi ob delictum & nomine pœnæ esto; quod autem maius, aut grauiori pœnâ plectendum, quàm principatum retinere, multo magis vi & armis repetere, quem summus Pontifex abiudicauerat.

Nunquàm

Nimquàm igitùr màgis quàm hoc tempore & casu opportuna Concilij autoritas, aut màgis tempestiuus Patrum interuentus, quàm si eum verum esse principem quem summus Pontifex declarauerat iudicâssent, saltèm operæ-pretium atque è re communi fuisset, si quousque Ius Synodale se extendere potuisset insinuâssent. Sed Patres nullum Ius asserunt, & tamen verba Episcopi Ius omne negant. Atque ex mente aliorum Conciliorum si *Bellarmino* credimus contra *Barclaium*, c. 22. *Explicat Ecclesia in Concilijs generalibus*, (id est, Concilia in Concilijs) *hæc verba, Dabo tibi claues regni cælorum, &c. esse intelligenda, vt extendat se potestas summi Pontificis ad temporalia, ad regna, ad imperia*, at non docent vt se extendat potestas Conciliorum aut ad temporalia, ad regna, aut imperia. Frustrà igitur litigamus de Concilijs.

Sexta: An Pontifices aut Concilia possint de regnis abiudicatis disponere? Et respondeo paritèr quòd non: nàm hoc esset plusquã *Gregorianum* aut *Bonifaciannm*, vnde etsi de hoc iure garriant Canonistæ, & indocti Theologi, tamẽ à doctioribus habetur pro derelicto, vt dixi superius & meri-

tò. Alias Pontifex non modò esset Dominus Dominorum, sed Dominiorum, *Dominus terræ*, proximũ est, *ascendã in cœlum, similis ero Altissimo*: Sed ego doctiores sequar, & paritèr derelinquam.

Septima: An Concilium possit dare legem Pontifici? Respondet *Bellarminus* quod non. *Pontifex non potest se subijcere Concilio, si maximè vellet*: concilium igitùr non potest dare legem Pontifici, si maximè intenderet: & proinde deuiârunt Patres, cùm sanctio eorum non sit ex hac parte autoritatiua. Legem autèm Imposuisse manifestum est, dùm vt *exponeret terras* contumacium *catholicis occupandas* obligant. Quod durum est, & contra mentem *Alexandri* 3. *Pij* 2. puto etiam fere omnium Pontificum, sine dubio ipsius *Bellarmini*.

Octaua: An sub nomine huius hæreticæ prauitatis intelligantur omnes hæreses, siue omnis hæretica prauitas? Et respondetur, ex omnium mente qui hoc Concilium & Iura nôrunt quòd non: sed sola hæretica Albigensium prauitas, quæ omnium nequissima, tàm rebus publicis quam sacris damnosissima, & màgis propter multiplicem

multiplicem ſeditionem & varia ſcelera, quàm propter hæreſim damnanda. Neq; mirum Patres Lateranenſes (vt ſtirpitùs euelleretur) iura ſua tranſijſſe, cùm eodem tempore multi ex ſanctioribus Epiſcopi & Abbates ordinem, militiam & limites ſuos egreſſi, non infulati, ſed loricati ſub *Simonis Montfortij* & *S. Dominici* auſpicijs præliantes, perditiſſimos & ſceleſtiſſimos nebulones debellabant, ſibijpſis hæreſim, & ſectarijs nomen fælicitèr abolebant. Præterea pro nobis facit appoſitio particulæ *huius hæreticæ prauitatis*; itèm omnia Iura: nàm *odioſa ſunt reſtringenda.*

Nona: An Epiſcopi ad mandatum Concilij poſſint exigere Iuramentum, aut ſubditi teneantur præſtare? Et reſpondeo paritèr negatiuè: nàm aùt præſtatur, vt credantur quæ credenda, aut vt fiant quæ facienda in Concilio decernuntur. Primò, non vt credantur quæ credenda, quià maior eſt obligatio ipſa fides: nàm non credere quæ ſunt credenda, ex ſeipſo capitale eſt, lethale eſt, *qui non crediderit damnatus eſt*: qui non fecerit, aut qui perperam fecerit remedium habet, ſacerdotem adeat, ille medicus eſt: ſed qui non crediderit,

dæmonem adeat, ille ei pater & incredulitatis autor est. Vnde Iurabo me crediturum, aut spondeo me crediturum, Hactenùs inauditum & viris doctis insipidum. Secundò, non vt præstentur quæ præstanda vult Synodus; nàm non teneor rem ipsam præstare, vt in sequenti quæstione dicemus; igitùr non teneor de præstatione Iuramenti: *nàm accessorium sequitur naturam principalis*, vt in Iure est notissimum, sicut dixi superiùs.

Decima est, An possit Concilium obligare ad leges practicas, decretas vel decernendas? Et dico, vt in omnibus, quod non. Plurimi a nostris stant partibus, sed nemo màgis validè aut firmitèr quàm *Lessius* lib. 2. c. 20. dub. 23. contra *Sotum* de *montibus pietatis*. *Veritas quæ in Conciliis definitur semper rata est, & non pendet à receptione aut censurâ subditorum, sed obligatio legis quæ imponitur.* ¡Quid màgis neruosum, si attendantur verba, aut res ¡ipsa? Admittit *censuram subditorum vt recipiatur* decretum *& lex superiorum*: ergò in hoc casu nec illi subditi, nèc isti veri principes nam subditi inuiti tenentur, si principes Ius suum non transiuerint.

Hic

Hîc magnum vobis mihique ipſi faceſſerē negotium, ſi robur Canonum, etiàm definitionum ſynodalium diſcuterem. Nàm ſi ex vllà parte flectant ſe ad legem practicam, hærent protinus; itaque *Sotus* in cauſâ prædictâ negligit & ſpernit omnem vim a Concilio aut Pontifice petitam, etiàm ab illa Bullâ, in quâ expreſſe dicitur, *Declaramus & definimus, &c.* & ſimiliter *Caietanus*, Sed iſta fuſe diſcutere non eſt tempeſtiuum. Nonnulli poteſtatem Conciliorum omnimodam aſtruentes, Canones morales ſiue practicos tanquàm dubij iuris haberi fatentur, (nam haberi liquet dum quidam ſeruantur, quidam non) non autem quia deeſt poteſtas in obligante, nempè Concilio, ſed quià abundat lenitas & conniuentia in Præſidente & exequente, ſcilicet ſummo Pontifice; vis igitur & vita Canonis non pendet ab inſtanti Synodo, ſed a futuro Pontifice. Sed hoc inſcitè; nam qui Concilio non parent, in eodem caſu Pontifici non parebunt; errant igitur planiſsimè: idem enim dicendum de poteſtate ipſius Pontificis, quæ ſempèr, ſicut Concilij, eiuſdem eſt generis, in aliquibus tamèn non eiuſdem roboris, perindè

inde atque Concilij: ſed non patiar me abduci. *Leſſium* probo & communiorem ſententiam, ad quam recte *Gratianus* cap. *in iſtis* diſt. 4. *Leges firmantur, cùm moribus vtentium approbantur*: quid dici poſſit magis ad rem? *firmantur* quia *approbantur*, igitur ab vtentibus non probatæ, ex ſeipſis non firmæ: quod nos ponimus.

Nunc videant noſtri aduerſarij, an ex Concilio portârunt commodum? Primò, In iſto Canone Reges excipiuntur, & intelliguntur ſoli domini minores, ſiue agnoſcant ſuperiorem principem, ſiue non: ſecundò, neq; tamen illi obligantur; nam ſecreuit Canon quæ decreuit *Chriſtus*: tertiò, *Lex enim Chriſti neminem priuat iure ſuo*, priuârunt Patres: quartò, contra mentem Pontificum, Canoniſtarum, & ſaniorum Theologorum: quintò, imò praxin veterum Synodorum: ſextò, & contra omnem Iuris eccleſiaſtici naturam & ordinem: ſeptimò, eos autem principibus minoribus & Dominis ſecularibus Ius dixiſſe non eſt mirum; ſummo Pontifici auſi ſunt? Octauò, venia tamen danda eſt ſanctis Patribus; nam odium iſtius hæreſis, (turpiſſimæ

piſſimæ quidem & damnoſiſsimæ) eos & alios illius ſeculi ſanctiſsimos Prælatos vltra ſuos terminos abripuit, ita tamen vt illi vnicæ ac eius mancipijs vim & litem intẽdant: noſtri vero immites Domini extendunt ac transferũt ad omnẽ & omnes hæreticos, fortè bene morãtos: nonò, longius autẽ proceſſit piorum Patrũ feruor quam par erat (ſi ſectæ flagitia & atrocitatem non ſpectabimus) dum omnes iſtos hæreticos indiſtincte eliminari, dominos vero temporales ſine Iure & exemplo diſtricte ſacro & religioſo vinculo innodari poſtulant: Decimò, cùm communis opinio ſit ad Canonem practicum & ciuilem neminem ſtricto iure obligari, ſed hæret eius autoritas ex parte ferentis, & *pẽdet* vt recte *Leſſius a cenſurâ recipientis*. Huic ſynodo Cardinalis *Bellarminus* nouâ aduerſus *Barclaium* conſcriptione addidit nouẽ alias, vt copiæ in aciem procedant decuriatæ. Putabam, niſi quod aliud docet eius grauitas, me non decem, ſi maxime cuperem, inuenturum, qui de harum ſynodorum cum cauſa cohærentiâ conſentirent, Sed iſtis nuperrime vnus reſpondit docte & reſpondebunt alij ego tanti viri & tam ſtrenui vicem, quòd

causam adeo inopem susceperit defendendam, quæ tueri nequit nisi opem vbi non opinio opis tam deplorate emendicando, dolens super-sedeo.

Caput Septimum.

Rationes allatæ non valent, nec aliæ: nàm omnis ratio infirma, cùm thesis nostra maiore autoritate sit fundata: magis tamèn sunt validæ quæ illis contrariæ.

Rationes non dicerem, nisi autoritas Ratiocinantis commouisset. Omnis autem ratio vt dogmati autoritatem pariat, impar est, nulla est, quod a doctissimo *Barclaio* prætermissum miror: & tamen istæ rationes sunt nullæ, quas vsque ad vmbram non omisit *Widdringtonus*. Qui igitur inspecto, quod ex vna parte positum est, fundamento, aliud altrinsecus rationibus firmari posse retur, *cum ratione insanit*; qui rationibus credit, sine ratione credit. Paullò autem fusiùs ac seueriùs hîc agendum, quia in similitudine (vnde rationes desumptæ) hanc sententiam fundari qui autor, Cardinalis est; etsi ipsum Dominium superstructum

ſtructum ſit excardinatum. Si enim ſpectemus Pontificem Actorem & Aſſertorem, & quo titulo, puta rationes obtrudendo; principes vero proprietarios, & quo iure, nempè conceſſione diuina, *Iudicem iniquum puta habitura cauſa eſt.* Nàm cum ſcriptura dixerit, *Omnis anima ſublimiori poteſtati ſubdita ſit*, ſecularem ſpeciatim deſignans principem *qui gladium portat ad vindictam*, & alia, *Audite Reges, vobis data eſt poteſtas a Domino*, ſi inſilierit Cauſidicus, forumque occupauerit iſta fronte, *ſed ratio vult vt in quibuſdam caſibus & quandoque a non Domino, vel Vice domino auferatur*, libenter ego os illud aſpicerem, quod cum vobis commonſtrauero, tanti eſtis acuminis, tantæ fidei *os hominem indicabit*, vos hominem *ex ore indicabitis.*

Euanidis igitur rationibus quid ſupereſt? vt vmbras & laruas inſectarer. Neque erit moleſtum; Dignitati viri, cauſæ neceſſitati, & veritatis momento maiora debentur; & lubens ſoluam, verum paucis, & in illis ſolùm in quibus ratiunculæ veſtigium (ſi quod manſerit) appareat. Rectiùs & fæliciùs in apparatu, quàm in exercitu

exercitu Cardinalis; *Non ſemper expectanda ſcriptura; aliquando multa nos docet ratio*: placet Prologus, ſed fabulatur nobis; in ſcenam prodeat? Ratio, atque ea, vt dicam, *Rationaliſſima* vult; *quidque auferri eodem iure quo datur*: Poteſtas & imperium ſeculare Regibus ſacro diplomate, & in multis pagellis eſt conceſſum; Ratio igitur vult vt nulla ratione auferatur, ſed ſola autoritate ſacræ ſcripturæ, ſacri Canonis. Præterea eadem ratio, vnde non diſpar Ius petitum, vult *ſingula eo genere ſolui quo colligantur*, id eſt, non ſolũ eadem ab eodẽ principe tolli a quo dãtur, ſed eodẽ modo; *vt verborum obligatio verbis tollitur, & nudi conſenſus obligatio contrario diſſoluitur*: ideo ratio vult, vt Ius quod verbis claris datur non obſcuris & ambiguis ſed expreſſis ac diſertis adimatur; aliàs non. Cum igitur in antiquo Iure dicitur, *conſtitui te iudicem, poteſtas veſtra a me eſt, poteſtas eorum a Deo ordinata eſt*, & iteráto *dei miniſter eſt*, non ſufficit vt iſtud Ius minuatur, quià in nouellâ conſtitutione dicitur principi alterius fori, & paritèr *miniſtro, quicquid ligaueris &c.* niſi dixiſſet, priore iure priori principi priùs conceſſo non obſtante,

te, aut verbis æquiualentibus; aliàs fruſtra litigant qui negatiuam dant operam; nàm *expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. L. expreſſa* 195. *ff. de reg. Iur.*

Sed quid tandem ex parte Cardinalis dictat ratio? *Oues paſtoribus eſſe ſubditas*; reuerà quatenus & in quibus oues, neque hoc nobis obeſt: ſed eadem ratio, etiám natura non dictat modò ſed cogit vnumquemque ſubditum eſſe ſuo Domino ſubditum, vnde iſta Proſopopæia ſumpta eſt. Vt ſint oues, particulare & ex contingente eſt, etſi cum fuerint oues, vt paſtoribus pareant naturale eſt: ſed quod ſunt ſubditi, generale eſt (vos ipſos Clerici comprehendit) & ex ortu eſt, quod ſpeciali & ſuperueniente obligatione non ſoluitur. At quod eſtis ſubditi controuertitur? & quid non, ſi contra vos faciat? ſed ipſum Pontificem de facto fuiſſe ſubditum per multas annorum centurias faſſi eſtis ſi non de iure; *facto vero longiſſimi temporis ac temporum dominium Iure acquiri poteſt*, ſed nunquàm ratione, aut rationibus; præſumptio igitur contra vos eſt. Sed demus quod non de Iure? tamen Rex (quem nos defendimus) alterius eſt fori, atque in eo ſecundum

cundum vos ſupremus Dominus: Subditi vero alterius fori in forenſibus Pontifici non ſunt ſubditi, neque eorum res ei ſubiacent, vt doctiores non negant; igitur ſi ratione agatur, multo minùs ſupremus illius fori Dominus ac eius Iura, niſi potiora eſſe Iura ſubditorum quàm principum contra omne rationis dictamen inepte & inſcitè dixeritis.

De iſtâc ſatis. Videamus an aliæ valeant màgis? *Reſpublica eccleſiaſtica debet eſſe perfecta & ſufficiens in ordinem ad finem ſuum &c. Ergo debet habere omnem Poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum: ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi & diſponendi de rebus temporalibus; igitur &c. Neceſſariam* quis dixiſſet? quomodò tunc ſine hac per mille annos valuit & viguit Eccleſia? & ſi fideles, ſaluâ religione, ferre non poſſunt *flagella principum*, quomodò *ſcorpiones Antichriſti? & ſi deficiunt quos apprehendit humana tentatio*, quomodò perſtabunt, *cùm malitiæ humanæ acceſſerit ſumma nequitia ſpiritalis*? Commodam igitur forſan dixiſſet recte? ſed fac eſſe *neceſſariam*; non màgis tamen quam *D. Paulo, vt auferretur*

Angelus

Angelus Satanæ colaphizans eum. Atrox quidem ille & formidandus, ideo *terrogauit Dominum vt discederet*; sed non discedit Angelus, nec diffidit Apostolus. Et tamèn ausim dicere, plures gehennæ exponunt illecebræ carnis quàm impostura principum. Vbi autèm maius est periculum, remedium est magis necessarium, & datur quod est necessarium, sed quod contra eos, non supra. In homine relinquitur *stimulus carnis*, vt pungatur; *pungitur vt concertaret*; *præliatur vt coronetur*, disponente Deo: in ecclesia *accenduntur faces principales*, vt tententur subditi, *tentantur vt probentur*; *probantur vt ornentur*, ordinante Deo: Vbi differentia? In priore *dat deus virtutem in infirmitate*, non obstante Angelo; in posteriore, *preuentum in tentatione*, non obstante principe: Vbi defectus? Quodnam igitur remedium *S. Paulo*? *Sufficit tibi gratia mea*, Angelo non amandato; & ecclesiæ eadem gratia, principe non deposito, aut potestate de temporalibus disponendi non datâ. Et *sufficit* quidèm iudicio ipsius summi Pontificis si *Bernardo* credimus; *absque hijs tamen credidit* Petrus *satis posse impleri salutare mandatum*,

tum, nempè *Pasce oues meas; de consid. lib.* 3. si *satis*, cùr toties queritamini? si abunde *satis*, *cùr sorte vestrâ non contenti, quæ vobis accidit in præclaris*. Quod autèm *abundè satis* testatur alius Pontifex, nempè *Iohannes* 1. in epistola ad Episcopos Italicos in tempore difficilimo, & sub *Theodorico* principe nequissimo. *Hortor vos & moneo armari gladio spiritus sancti, vt eam* (scil. *Arrianam* perfidiam) *ità adminiculante diuinâ gratiâ opprimere & extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur*. Si autem temporalibus maximopere obstantibus *possitis opprimere & radicitus extirpare* hæreses, non video quidvltra petere tis; nisi forsan vt transferat hæreses & dogmata qui transfert hæreditates & diademata. Pono igitur contra illorum suppositionem, quòd sibi *sufficiens est ecclesiastica potestas ad finem suum consequendum sine dispositione temporalium*. Et profectò ista indirecta, quam fingitis & petitis, potestas nunquàm fuit Ecclesiæ vtibilis, (si de postfacto sumatur iudicium) sed potiùs nociua. Nam quod caractere indelebili & *in annulo Piscatoris* insculpi meretur, istæ seculares molitiones nunquam fuere necessa-

riæ,

riæ, nunquam commodæ, vt Pontifex propositum & finem suum assequeretur, sed semper sibijpsi damnosæ, ecclesiæ noxiæ. Vere igitur pius Præsul pro Concione ad Patres Lateranenses sub *Iulio* secundo, *Ecclesia gladijs fidens semper victa est*, at contrà, *gladio fidens* nempè *suo semper vicit*. Sufficiens ergò ecclesiæ est sua potestas, sc: spiritalis, testibus *Petro & Iohanne*, altera verò, nempè temporalis, nèc necessaria, nèc commoda. Non *necessaria*, vt liquida est historia mille annorum. Non *commoda*, vt non minùs patet ex sexcentis proximis, in quibus grandior Pontificis processus, minor Ecclesiæ profectus. *Dicite* igitur *iusto quoniam bene*; & non mirum: nam quod iustum est, ordinatum est; quod ordinatum est, a Deo est, *qui disponit omnia suauiter*, ideò dispositarius & mandatarius *attingit a fine ad finem fortiter*. Non iustum proinde quod vos petitis: multa enim amara produxit & indigesta, nihil suaue aut salubre, nec vnquam attigit a fine ad finem. Quod serio aduerti volo. Isa. 3.

Sed leuiores sunt istæ; Audiamus, quâ asseritur, fundamentalem. Sita est *in similitudine spiritus & carnis, ecclesiæ & reipublicæ*.

publicæ. An ſine perſpicillo hoc vidiſtis? *Nazianzenus*, qui huius vobis fecit cõpendium, vtriuſque naturâ perpenſè examinatâ, nihil tale deprehendit: vtramque ordinari vidit, neutram ſubordinari intellexit; ideoque poſtquam obſequium principale præſtitiſſet ipſe, epiſcopalem ſibi debitam exigit, *nàm vos quoque poteſtati meæ &c.* Hanc (ſcilicet poteſtatem ſpiritualem) intuitu humano ac vulgari opinione poſtponi & negligi non diffitetur, ſed non debere ratione perfectionis arguit: *Imperium enim ipſi quoque gerimus, addo etiàm præſtantius & perfectius &c.* igitur vt ratione ordinis in ſede epiſcopali præſit, poſcit *Nazianzenus*, vt ratione diſtinctionis, & ſuſ ordinis perfectionis liceat, fatagit; vt in Tribunali Imperiali aut ſeculari poſſit ille aut Præſul alius, non petit. Libellus iſte veſter eſt; ſed an ad ſenſum *Gregorij*, aut æquitatem iuris formatus, Iudicium Lectores veſtrum. *Iohannes Gerſon*, quid poſſint ſimilia, Doctor ſatis ſubtilis, rationibus vtrimque poſitis & expoſitis, contra vos reſpondet: & non ſine ratione, de quâ poſtea. Ego *Nazianzeni* verba & mentem, *Gerſonis* rationem ac illationem,

illationem, vestramque dissimilem & dissonam conclusionem (quantum mea fert hebetudo) sedulò versans, vos largitèr peccâsse censeo; & annuetis puto, si fundamentalia principia & munia vtriusque politeiæ indagabitis: eòque vt res melius pateat estis reducendi. Sed primò Cardinalem quò ducit sequar.

Sed missis artibus frænofactriâ & equestri, est alia similitudo longè aptior, quâ hoc ipsum explicat Nazianzenus *&c.* Hercle quid de istâ similitudine spondeat Cardinalis nescio, sed illa valdè inepta: nàm Principes sunt Equestres, sed fræna faciunt *Clerici*, & venundantur Romæ. Verùm in initio pace eius, de industria imponit Cardinalis, nàm nec *explicat Nazianzenus*, nec vo *explicaret* erat animus. Dignitatem ac Imperij ecclesiastici perfectionem effert sub velo *spiritus & carnis*, sicut postea *Gelasius* ex verbis *Ambrosij* sub nominibus *Auri & Plumbi cap. Duo sunt, d. 96.* sed neq; *Nazianzenus*, *Ambrosius*, aut *Gelasius* de hac subordinatione, aut indirectâ Iuris dicendi potestate somniârunt, vt nihil luculentius in eadem oratione *ad populum timore perculsum*; & in eadem epistola *Gelasij*

ad *Anastasium*. Captio igitur est in nomine *Maioritatem & obedientiã* induxit *Gregorius*, sed septimus Romanus non *Nazianzenus*; neq; tamen ille *explicat*, nisi edicere sit explicare; & acclamare *Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum & Principum patres & magistros censeri &c.* aut exprobrare, *Nonnè miserabilis esset insaniæ &c.* sit ius asserere. *c. quis dubitet. d.* eâdem ex epistola ad *Hermannum* Metensem episcopum. Sed pergit Cardinalis.

Vt se habent in homine spiritus & caro, ità se habent in ecclesiâ duæ illæ potestates. Hîc in progressu eâdem operâ fallit; *ità se habent in ecclesiâ duæ illæ potestates*, quasi Ecclesia esset vnum Concretum ex duabus illis potestatibus coalescens, sicut homo vna persona ex prædicta *materia & formâ* constans? cùm ex istis nihil quod vnum est coalescit; sed exurgunt duo *Imperia*, quæ etsi subiectiuè siue quoad subiectum vniantur, duos tamen habent *Imperatores*, vt indidem a *Nazianzeno* discere potuit, *Nàm imperium gerimus nos quoque &c.* videlicet stante Romano & seculari Imperio. *Quorum nunc est miserabilis insania!* Primò ecclesia fundatur *in fide & gratia*;

onn

non in principatu aut poteſtatibus, ſicut homo *in ſpiritu & carne*. Prætereà illæ duæ poteſtates efficiunt, non vt ſpiritus & caro vnum ſuppoſitum (etſi ſint in vno ſuppoſito) ſed duas politeias perfectas & diſtinctas quandò ſunt ſeparatæ, & duas paritèr perfectas & diſtinctas quandò ſunt coniunctæ, putà diſtinctas *lege, foro, & principe*, & quid vltrà quærendum? quarum vna tantùm eccleſia, perfectior ſanè, ſi res quàs tractat ſpectemus; & hoc ſolum vult *Nazianzenus* dùm excipit, *niſi cæleſtia Terrenis cedere velimus*) ſed quid hoc ad politeiam? quà politeia, minor eſt atque minùs principalis; & fundamentalis eſt altera, iſta acceſſoria. Imperium quod habet, a Deo quidèm habet & ſibi proprium; ſed quod in hanc Rempublicam potiùs quàm in illam, aut in partes & membra huius aut illius Reipublicæ, aduentitium eſt, ex ceſſione eſt. Cur enim *Gallia, Italia*, & *Hiſpania* ſubdiderunt ſe poteſtati & diſciplinæ eccleſiaſticæ, Turcia non? quià Chriſtianam amplexæ ſunt fidem, *in qua fundatur eccleſia*, Turcia non. Vndè quòd hæ amplexæ ſunt, Turcia non? ex gratiâ. Quid igitur lucratæ ſunt hæ quod

Turcia non ? vberiorem gratiam & salu-tem. Quid si renuent, vt Turci ? erunt vt Turci. Sed quid *si ecclesia monuerit, illi autèm non magis fuerint audientes* quàm Turci ? erunt itidèm vt Turci; *Tanquàm Ethnici & Publicani*. Imò insuper diademata amittent terrena, quod non Turci insulsè; Scriptura sacra est, *Væ vobis Corazin & Bethsaida, remissius erit Tyro & Sidoni quàm vobis*: sed quandò ? *in die iudicij*. Scriptura vestra est: Væ tibi Orientalis regio, & væ *Leoni & Constantino*, etiàm ante iudicium, imperium enim vestrum abstulit summus Pontifex, & dedit *Italis, Germanis*, & *Carolo*, & in simili casu istis adimet aut adimere potest, & locabit alijs. Iustitia Dei est, *Nudus veni & nudus reuertar*: Iustitia vestra est, Vestitus venit, sed nudus reuertetur. Hoc cuicumque acciderit, *dùm in via est* (putà quandò iura non sunt liquida) *sine dubio incidit in manus latronum*, Cauete nè de domo vestra dicatur, *eorum spelunca est*, Cauete itèm nè de regno & principatu vestro, *lauerna sacrum*: nàm *remotâ iustitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia*? inquit *Augustinus de Ciuit. dei lib. 4. c. 3.* Sed pergamus porrò.

Ità

Ità prorſus politica &c. illa habet pro fine pacem temporalem, iſta ſalutem æternam. Hîc in fine ſimilitèr errat ſi politeiam generatim deſignat, putà tàm ſeparatam quàm coniunctam, vt promiſcuè in tota dictionis ſerie ſumitur, & verba ſequentia indicant, *Inueniuntur aliquandò ſeparata &c.* nàm politeia ex natura ſua diuina contemplatur & tractat; & habet pro fine non modò bonum temporale ſed ſummum, & ſubditos dirigit ad æternam beatitudinem. Hinc tot ſacra monita ſparſim & crebrò a non ſanctis, præcipuè a politicis: nàm Religio eſt Caput Politeiæ. Vnde politicæ ſcientiæ Doctor, *primum eſt vt diuina curentur*, quem paſſim ſequuntur cultioris ac probatioris matheſeos diſcipuli, imo totum humanum genus *cælumque tuetur, nàm virtus & religio a natura impetus ſumit*, vt verè alter. Omnium calculo ineptit *Epicurus* non philoſophatur, dùm dolorem maximum retur malum; & ideo hunc vitat ille, non malum: contra verò vtriuſque generis ſapientes malum fugiunt, non dolorem. Et non mirum; nàm futura ſapiunt, & ad ea pergere geſtiunt, *licet per aſpera*: & rectè,

Ariſt. politic. lib. 7. c. 8.

Quintil.

rectè, nam hæc neceſſariò ſperanda, aut non beatitudo, *ante obitum fælix nemo.* Ideò cautè & ſanè ab ethnico ad principem ethnicum *neque malum neque bonum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi, ſed a diuino numine inuiſi, & ex naturâ diuerſa præmia bonos maloſque ſequi.* Hinc omnes Deo aut Dijs dediti, & cultu placant : vnde Athenienſes *deo litant* etſi *ignoto.*

Saluſt. ad Cæſar.

Hoc quámuis in omnibus ſit voluntarium, non ità tamèn quin ſit quoque obligatorium. *Iuſta vrondè & inexcuſabilis eſt omnium infidelium condemnatio, quia ex naturâ* & ex creaturis *cognoſcentes deum, non glorificauerunt vt Deum, mutantes &c.* at non iuſta neque inexcuſabilis ſi non erant obligati. Cui autem hæc curatio ? annòn principi ? quis non videt exemplis primorum & priorum principum ante realem poſitionem infulati & mitrati ordinis probari, & tamèn ſatis patet ex ſcitis aliorum : ideo rectè *Mecenas Auguſto, Ipſe Deos cole & alios vt colant effice.*

Sed rem penitiùs inſpiciamus, etſi vix tutum. De naturâ & eſſentia rei diuinæ non

non eſt vt ipſe Deus inſtitueret ſacrificia & ordinem ſacrum quibus ipſe coleretur: ſed potuiſſet humana ſanctio (in caſu quo non ordinâſſet Deus) tàm ſacrificium & ſacros ritus, quam ſacros miniſtros decernere, quibus Deum Opt. Max. cultu latriæ adoraret, atque vt faceret ſtrictiſſimâ lege obligari: in quibus Regis ſunt ſolæ aut primæ partes. Non dico tali cultu ac ſacrificio Deum poſſe promereri, aut ex congruo placari: nàm hoc vires ſuperat fractas, ſed debitum eſſe vt ab humano genere præſtaretur, in caſu quo ipſe Deus ſacrificia & certum quendam ſacrorum ritum non inſtituiſſet. Cum autèm omnis creata poteſtas Deo ſit ſubdita, poteſt ille inſtitutione ſua humanam mentem præuenire, quâ poſitâ fas non eſt diuinam voluntatem humanæ mentis idiotâ pietate, aut ſpontanea religione violari, putà mutando, addendo, minuendoue. Cuius cæcitatis & temeritatis gnarus benigniſſimus miſericordiarum pater præueniſſe tempore opportuno non tardauit, ideò in diuinis ipſe erudiuit: & nouam inſtituens politeiam, *in' captiuitatem redegit omnem intellectum.* Quare? vt ſecuri eſſent

ſeculares, & ſoli eccleſiaſtici ex officio ſolliciti? non: ſed vt ad eundem finem, quondàm ſuum & proprium, nùnc remotum recto greſſu & pari autoritate (ſeruata vtriuſque vice) poſſent principes temporales cum ſpiritualibus conuenire. Sed quià priora abſtruſioris ſunt Theologiæ, Canonicam cenſuram libenter ſubeo.

Finis igitùr vtriuſque politeiæ in ſeipſa conſideratæ eſt eterna Beatitudo: cuius poſſeſſor ac proprietarius ſecundum vtramque eſt ipſe Deus, imperitiâ quorundam Dij. Et pergit vtraque ad hunc finem ijſdem ducibus, *Iuſtitiâ & Veritate.* Sed ducunt iſtæ, non perducunt ſine alijs ductoribus ad hos Duces. *Reuelantur in eccleſia ex gratiâ & fide, reuelantur in politeia ex naturâ & creaturâ mundi vt clare* S. Paulus, *Inuiſibilia ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Hinc politicorum iuſta damnatio, *quia a veritate errantes detinuerunt eam in inuſtitiâ*: & hinc ſalus fidelium, *quià Iuſtitiæ quæ ex fide eſt, & Veritati quæ ex gratia eſt adhæreſcunt.*

Rom. 1.

Vnde igitùr ad hunc finem & hos Duces

ces diuersi tractus, diuersæ semitæ? a biuio incommeabili; sectantur naturam Politici; sectantur gratiam Christiani. Natura dirigit, sed non vsque: gratia perficit, etiàm cum vsque. Natura exauctoratur, *quià malitia mutauit intellectum eius*: Gratia substituitur, quià *Iesus*, nempè *salus dono cæleſti*, scil: fide *reuelatur*, *quem ignorabat Caro & Sanguis*. Deficiente igitur naturâ & proficiente gratiâ, dantur nouus princeps & nouæ leges: & hinc est, quod imperat gratia, cedit natura. Sed non in secularibus? quià non est opus; *filij huius seculi prudentes sunt in generatione sua*; at in spiritalibus, quia maximè opus est? *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei*. Et iustæ sunt istæ vices; natura enim *nuncia est*, scil: infirmitatis suæ & sufficientiæ alterius: infirma igitùr illa & fallax si fidimus; conducibilis & vtibilis si expectabimus: ideò oportet eam *cum nuncio minui*. Sed Gratia *Domina est*; nàm deficientibus Naturâ, Lege & Prophetis, ipsa tamèn manet *Benefica*, ideò opportet eam & quæ ex ea cum *Domino augeri*. Sed cum illo & sicùt ille; an ille temporalibus auctus? non màgis quàm *seruus*: nèc illa màgis

quam

quàm ancilla, *in vinculis genita, ad vincula nata.* Num foro? *Non venit vt iudicaret mundum sed vt saluaret eum. Et eius* Ecclesiæ data est non vt gentem vllo priuaret regno, secundum nonnullorum Iudaizantium deliria, sed vt gentem alio donaret principatu, *talitèr fecit omni nationi,* putà *cui iudicia manifestauit sua.* Et hanc reor vtriusque Politeiæ & potestatis Oeconomiam.

Vidimus principium, medium & finem istius vmbræ; euanescit raritate sua, fatiscit quoque vitio adumbrantis: impar illa vt Ius faciat, imparatus ille vt fidem. Videamus nùnc disparitatem, (vbi similitudo præsumitur esse maxima) vim eius, imò iuris inde hausti eneruantem. Paucis & strictis absoluam omnia: dictiones vagæ sermonem sempèr protrahunt, sensum sæpè contrahunt.

Inuenitur caro sine spiritu in brutis, spiritus sine carne in Angelis, in homine simul. Quomodò *caro in brutis?* sordida, lutulenta, Bruto similis. Quomodò *spiritus in Angelis?* solutus, vegetus, fœlix, sibi similis sũmoq; Deo. Quomodo *in homine?* angustus, hœbes, squallidus, nexu corporeo implicatus, impeditus.

impeditus. Ex altera parte, quomodò *Respublica sine Ecclesia?* illustris, ampla, suis numeris absoluta; Athenas, Spartam, Romam antiquam peragra, & de ornatu & apparatu politico refer. Quomodò *Ecclesia sine Republicâ?* obscura, spreta, exilis, suis terminis inclusa. Quomodò *Reipublicæ vnita?* clara, augusta, eius conterminio dilatata, contubernio fœlix facta. Hui Planetæ errant? *Luna in solem* versa est; *Ecclesia à Republicâ, Pontifex ab imperatore* fulgorem mutuatur; sed màgis errant qui nos in vtroque Planetâ errare satagunt: *subordinatũ* enim *præposito* compendium facere, aut *superiorem à subordinato* dispendium ferre posse idque de Iure dicere, delirium est apertum. Non hæc dico vt dignitati vestræ velum obducerem, aut vulgo exponerem, sed vt memores sitis vbi estis, nempè in hoc mundo: & quandiu estis in orbe hoc solari, non aliàs posse illustrari nisi ab isto sole. Et cùm nobilitas vestra sita sit in excellentia rerum quas proponitis & disponitis, nollem vestri honoris gratiâ, imò pudoris, vt ineptè transferretis ad ipsum Ius. Quià enim res quas tractatis sunt præstantiores, ideò Ius vestrum magis potens aut patens? insci-

te.

inſcitè: Potiore Iure non vtitur (vt ab *Ambroſio* & *Gelaſio* ne diſcedam vnguem) qui Aurifodinæ præeſt, quàm qui totidem aut pluribus, & fortè màgis ſpectandis imperat Argentarijs, aut alijs qui operam & obſequium locant in Aurichalco.

Prodeant nunc in ſupremo Actu diſcrimina ipſam iuris eſſentiam comitantia: Nolo enim Ius Theoricum, aut diſputabile; vitæ dantur Iura, non ſcholæ. Caro, vt ſua poſſit obire munia, a ſpiritu eſt, qui vitam & vim dat & adfert: Reſpublica verò non modò ſine Eccleſia exequitur ſua, ſed nunquam meliùs aut liberiùs, quàm cùm ſine. Lippus qui hoc non vidit, *ſolus* in politeia *peregrinus*, qui non nouit. Inſpiciantur & conferantur prædictæ Reſpublicæ, & liquidum erit. Eccleſia, quàmuis ſufficiat ſibi ad Imperium & finem ſuum, maiore tamèn difficultate & non adeò commodè ſeparata, quàm cùm vnita (non ob defectum poteſtatis ſuæ, ſed quià ſine profectu facultatis alienæ: ad cultum verò lautiorem & ornatum vberiorem màgiſq; ſplendidum non omnino ſufficit; ſed *duxerunt filij Dei filias hominum*, *quoniàm pulchræ*, (ſpero Deo non inuito) hinc veſtræ copiæ,

copiæ, veſtræ vires : Reſpublica verò ſemper, omni modo & omni bono congruo ſibi abundans, in ſtatu ſuo valet, viget, & dominatur, ſine collatione Eccleſiaſticâ. Eccleſia ſi diſceſſerit, manet Reſpublica in pleno iure: ſpiritus ſi receſſerit, manet caro in nullo iure. Caro, ſublato ſpiritu, truncus eſt, cadauer eſt : Reſpublica verò, ſublata eccleſiâ, in re minimâ non læſa, (putà intrinſecâ aut neceſſariâ) eadem eſt, viuida eſt. An non hæc eſſentiam Iuris ſpectant? magis tamen robur argumenti à ſimili infirmant. Reſpublica poteſt Eccleſiæ interdicere ne ineat, & præcipere vt ſuis ſedibus exeat, hac lege, hac apologiâ; Mihi in munijs meis obeundis noxia es, damnoſa es; at non caro ſpiritui : Recede, aduentu tuo aut interuentu grauor aut turbor, quo minùs mihi proſim aut proſpiciam. Ridiculè? Reſpublica, ſi Eccleſia ad mandatum eius ſponte non exierit, poteſt eam cogere proprijs viribus: Eccleſia verò nullum damnũ poteſt Reipublicæ irrogare quod ipſam attingat, ſine ope ipſius Reipublicæ. Iſta Ius veſtrum prorſus euertunt. At non fiunt ſine iniuria? fortaſſe aliquando non; quandòque autèm, ſine minima

nima offensionis modò Iustæ aut datæ nota. Sed ex istis constat de potestate? faciam vt de iure: *nàm alias manca & imperfecta esset potestas secularis, si quouis modo sibi prospicere non posset*, vt rectè *Lessius*, & sæpe alij qui Iura nôrunt. Quomodò igitur hoc incommodum vitandum? Caueat Ecclesia vt non noceat, aut læsa non ægrè ferat. At tandem delirium vestrum attendite, & agnoscite ex verbis ipsius Cardinalis: *potest spiritus præcipere carni, etiàm inuitæ, vt sibiipsi vim aut pœnam inferat.* Rectè: hoc enim supponit in spiritu dominium, sed non potest caro incommodare spiritui sine ipsius consensu: hoc etiam quandam dependentiam in carne. At potest Respublica Ecclesiæ, ipsa inuitissima: ergò contrarium potiùs verum, aut melius prospexit Deus cuilibet spiritui, indiuiduo, vago, etiàm prauo, quàm Ecclesiæ dilectissimæ sponsæ: Nam spiritui cuiuis dedit potestatem vt subditum coerceat suum, Ecclesiæ verò non. Sed exorbitantiam, dicetis narras maximam, dùm non imperat Ecclesia à qua maximum bonum, paret Respublica a qua in hac parte nullum, sicut est dispositio spiritus & carnis ex voluntate

te Dei & ordine naturæ? vos extra orbem iſtum itis nunquam, *ducentes per aera gyros?* Cunctos vt ſalui fiant adligabitis contra ordinem ſalutis, & iuſtitiam Dei. Verba igitùr mera iterum datis; Romæ hæc a Cardinalibus decernuntur & ordinantur, non a Deo aut Natura, orbique venditantur a Cauponarijs. Voluntas Dei & ordo Naturæ hic eſt. *Sibi ſua habeant Regna Reges, ſibi quiſque habeant quod ſuum eſt, alijs abſtineant inuidere.* Vultis vt Eccleſia, vera vitis Dei) *deſereret vinum ſuum, quod Deum letificat atq; hominem* (puta quemuis bonum) vt imperet cuiuis malo? ſpinarum ſunt hæc vota atque vrticæ, natæ vt noceant, non vt proſint (ſecus eccleſia non data vt in ſenticeto regnet aut vt *ex ea ignis exeat*) pectoribus veſtris amouere. Plura ſunt attexenda, quæ ipſa diſparitas attento Lectori monſtrabit.

Dixi primò, ſed dennò repetendum, nullas rationes valere vt Iura & Dominia aſſerantur. Acquiruntur enim *cadiet, contractu, aut vſu*, non alias. Ex ratione quidèm oriuntur Leges & Iura, ſed illa generalis atque in abſtracto, & neque hunc ſpectat neque illum. Multa etiam ſuadet ratio

tio contra probatum & communem Iuris dispositionem, valet *mutuis stipulationibus*, in obligationibus, puta ad *turpia*, ad *iniqua*, siue *peccata*, ad *impossibilia*; item in *contractibus*, nempe *quibus dolus dedit causam*. Ratio enim vult, vt *ex malitia nemo portaret commodum*; item *in actionibus*, in quibus datur *repetitio*, aut *restitutio in integrum*; sed in casu nostro nihil. Valida sæpè est illa, & *mens reddatur & recuperetur*, si æquet Lex, tantò melius, si non, multa sine Lege ad arbitrium Iudicis ordinantur, plura ex dispositione principia. In istis igitur dicendis consentio, datur *actio*, & si æquis postulauerit, *restitutio*, sed si Ius nouum petiero, aut in rem alterius egero, non ratio sed constitutio est assignanda: aliàs Ius nemo possideret, nemo sanus peteret.

Proxima vicinia à domino longè distincta, sed ædibus meis & prædijs contigua est hæc valdè grauis, nam illa adiacente & interiacente, ædes, prædia & pecora mea, vario ac quotidiano damno & detrimento sunt obnoxia. Ratio vult vt ista vicinia mihi cedat, cui maximè est necessaria, & cui minùs quæ res meæ nunquam fallant, saepe quidem utar, non dominio vtile remittam, quia ob

rum

rùm commoda, Quid hoc stolidius? mitto *dominium in rem*? Propiùs accedam, nempe *ad Ius ad aliquid agendum in rem alterius*, in quo vertitur casus noster. Nec desunt mihi ædes nèc fundus, sed *seruitutes vrbana & rustica*, vt *tigni immittendi*, aquandi, &c. sine istis ruina imminet ædibus & animalibus; ratio igitur, imò necessitas exigit vt habeam, sed proximi non faciunt copiam. In Ius voco, rationes ingemino, sed màgis meam stultitiam, aliæ rationes sunt ineundæ, solâ Ratione Ius non paratur.

Humanam praxin approbat Canon sacer, vtrumque disposuit ac ordinauit Deus; sine alterutro nihil firmum aut iure validum. Diuina Iura sacro sanxit diplomate, humana *distribuit humano generi per Reges seculi*. c. *quo iure* d. 8. In diuinis qui adrogat, quærimus sacrum codicem, in humanis Authenticum Regis. Si de Pastoratu *D. Petri* litigatur: ex mandato Domini respondetur *Pasce oues, pasce agnos*. Si de Iure Apostolatus: *sicut misit me Pater sic ego mitto vos*. Si de potestate sacrum faciendi: *hoc facite in commemorationem meam*. Si de excommunicatione, & anto-

ritate Iuridicâ, forensi aut internâ; *Quodcunque ligaueritis, &c. & quorum peccata remiseritis, &c.* Sic in humanis, quo pacto? quo titulo? quauè concessione? vt clarè *Augustinus*, *Quo Iure* defendis villas? & debere seruari in omni Iure tàm diuino quàm humano liquidè constat ex cap. eodem.

Quod si sempèr in dominio acquirendo; multò magis in transferendo: nam difficiliùs res transferuntur, intellige, inuito domino, quàm acquiruntur. Quæ nullius sunt, fiunt occupantium, aut Iure communi deferuntur, vt *Thesauri inuentori, aut domino fundi, vel domino simul & inuentori*, ex præscripto Legis aut more patriæ: sed Actorem, qui rem alterius petit, oportet strictâ & expressa lege esse munitũ; non quâ Ius nouum possit concedi, sed qua Ius concessum possit reuocari. Sed quibuscunque muniatur modis, probatio ex nulla parte debet claudicare; *nàm presumptio Iuris est contra petitorem.* Locus igitùr non datur Legi obscuræ aut dubiæ, cui interpretatio est adhibenda, quià Ius dicit, *omnis ambiguitas est contra petitorem interpretanda*: & iterùm, *Cùm partium Iura sunt obscura,*

ſcura, reo fauendum eſt, non Actori. Cùm autèm requiritur, *vt ex nulla*, iſti claudicant ex omni parte. Claudicat Lex dùm obſcura eſt, non expreſſa: Claudicant illi, dùm (aduerſo Iure) interpretantur pro Actore contra defendentem. Claudicant, *dum odioſa ampliant quæ ſunt reſtringenda*: màgis, dum rationibus Ius diuinitus conceſſum faciunt iritum, & Ius nouum aſtruunt. Maximè autèm claudicant ipſæ rationes, vt etiam ab alijs oſtenſum eſt. Ne autèm inter claudicãtes diutior ſit mora veſtra, Ego claudam hunc librum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE LIBER

LIBER TERTIVS
DE IIS QVAE EX FACTO CONSTANT.

CAPVT PRIMVM.

Non probatur temporalis Pontificis autoritas ex praxi veteris ecclesiæ, præsidente sacerdote maximo.

ALIORVM *copia me inopem fecit*; sed nec inopinanti nec insperanti accidit. Illis igitur, lectori, mihique gratulandum; quibus omnia cessere bene. Illis quia vberem & fœlicem nauarunt operam; lectori, cui *abundantes* parantur *cautela* & dantur; mihi, cui promptius est monitor & obsignator accessisse quam adiutor. Neque monuisse promptum nisi multa, eaque acerrima, domi alibi nolentem instigassent. Summus Pontifex

imperauit, sed absque ratione, saltem datâ; dicite verò, Romæ quid sapiunt hæc verba, hoc Breue, *Sic volo, sic iubeo*: Sereniſſimus *Iacobus* imperauit quoque, sed non sine ratione tergemina; aliud Imperium vidimus, alias rationes non vidimus, & tamèn sereniſſimus Rex Immitis audit. Male item audiunt fidi subditi; qui Pontificis imperium non declinantes sed distinguentes, fidem Regi non indebitam sub sacramento pollicentur. Quod non audent alij? non quia non sunt fidi aut dicto Regis non audientes; sed quia dicto Pontificis nimiùm. Hinc ira Regis & pœna subditorum: quis hic silebit? non ego, etsi ad dicendum, linguæ Impeditæ; non autèm ad male-dicendum, calumnians istud æuum.

Silent sacerdotes formidine mali; silent alij quia silent illi; silerem ego, nisi ipsi Aduersarij siluissent altum dum non silent; contra spem & fidem datam. Sed magis aluerunt credulos ac suos inani spe quam fide: *expectate paulùm, saltem dum venerint vernales nundinæ?* venerunt illæ & aliæ & tertiæ, sed *expectatæ* & promissæ non veniunt. Interim tamen suos in verba Pontificis,

Pontificis, (in verba ſua quæ verè verba) Iurare cogunt; ne autem in verba Regis quæ in hoc genere valida & obligatoria ſunt, dehortantur, terrent. Prodijt in ſcenam Cardinalis *Bellarminus* ſed ſicut *Hector* vxori extra ſcenam, *feſſus & non qualis antè*. Prodiere quoque *Becanus*, *Eudæmon*, & *Leſſius*; *parturiunt montes*? aliud omnes agentes, ſibijpſis compendium, illis autem quorum inter eſt, tam principibus quam ſubditis diſpendium patiunt & tamdiu ſuos inter ſpem & metum pendere faciunt, dum pauci pendent verè; & pendebunt plures niſi maturè caueatur, aut lenitate pincipum res mitiùs agatur. *Senec.* in Troade.

Strenue *Barclaius* hanc Iurium ſecreuit confuſionem, non ſine infuſione ſapidæ inteligentiæ mille mentibus, hîc & alibî: nec minùs fortiter & fœliciter alij, & pari bono. Ego vnum meâ operâ qui vere ſapiat & vtrumque calleat principatum, ſi addidero, ſatis eſt: horæ quas locaui, tanti non valent. Sed quid de *Barclaio*, *Widdringtono* & alijs Iuris Regij aſſertoribus cenſores ſeculi? *Errant*, *facultatum ſeriem*, *Theologiæ & vim ſcholæ neſcientes*, *quod* Dignus autē *Widdringtonus* ſi ex ſcriptis fiat Iudiciū qui in ſchola præſit.

docebit Eudæmon, *docebit* Becanus, *aut sine dubio* Lessius. Sed inter tot doctores docet nemo; neq; tamen minùs crepant, quam si ad nauseam vsque docuissent.

Diximus quisque de Iure tam diuino quam humano cuncta quæ didicimus & quæ nouimus, & tamen dicenda supersunt; sequuntur quæ de facto. Qui ex Iuris huius aut illius penu prompsere, multi satis, nemo totum: Abyssus enim magna sunt Iura & profunda, siue spectemus sacrum fontem, siue humanas lacinias. Multa hunc latent quæ non illum, multa vtrumq; quæ non tertiũ, & multa adhuc manent inuoluta, sequentibus & posteris euoluenda: sed in exemplis omnem mihi ansam præreptam video: quid enim quæritur in materia facti? An factum, à quo, quouè Iure? Et in omnibus istis nihil ab alijs prætermissum vsque ad punctulum. Hinc autem lectori mihique consultum meliùs; aliàs enim variæ paginæ vnum capitulum non insumerent, nunc vna pagella varia capita enarrabit.

In exemplis largiter peccauit Cardinalis; & peccasse, accepit largiter. Neque tamen debile aut languidum reor (vt nonnullis

nonnullis visum est) quod ab exemplis & vsu petitur firmamentum: nam multa praxi inualuisse nouimus, de quibus, quando aut vbi quicquam sancitum aut statutum non constat, & multa Canonicè præcepta exoleuisse solo non vsu. Verùm non est quod *tempora* aut *mores* venditetis: si enim illa, puriora; si hos, potiores a nostris stant partibus: neque quod nos exempla, modò antiqua vereamur; nam aut nostra sunt aut non vestra. Sed hoc vobis solenne est (minutias tanti æstimatis) vbicunque sacerdotis interuenit munus aut mentio, pro vobis facit; & si proficiat, factum eius, Ius vestrum est.

Primum exemplum est *Oziæ* Regis zelo *Azariæ* & sacerdotum *repulsi, de templo ratione leprę eiecti & in domum liberam sepositi: vnde cogimur*, inquit Cardinalis, *dicere eum fuisse ad sacerdotis arbitrium separatum*, & consequenter regnandi autoritate priuatum. Cogimur dicere fractam vestram causam in grauem incidisse morbum, qui (cum aliàs non) tam deploratè a leprosis medicinam paratis. Sed quare *regnandi autoritate priuatus? quia separatus.* Quare separatus? *propter morbum.*

Cauete

Cauete principes, dum caput dolet diadema olet, ſaltem ſi morbus ſit peſtifer, aut ſacerdoti innotuerit. Sed Chriſtiani figurâ eſtis exempti? licèt figuratâ magis grauati: hoc autem Iudeorum onus, (ſolis & ſemper ſuis immitis deus,) ita *odioſa* eſt vobis gratiâ vtriuſque teſtamenti. Mentem igitur alterius principis, ſc: *Ochozia* Regis *Iſrael* Intelligo, neque in hac parte culpo, *miſit æger ad ſacerdotes Beelzebub dei Accaron*, non autem ad ſacerdotes dei ſui, ne forte lepræ inſimulantes, diem dicerent de Imperio. Quam pulchrè hæc cohærent? faceta quidem & lepida, ſed grauitate veſtrâ cauſæque indigna: non tamen magis inepta quàm quòd ſacerdotis eſt Ius dicere in caſu regni quia poteſt Iudicium ferre in cauſâ lepræ; aut ad cuius arbitriũ quis ad domum liberam ratione morbi ſeparatur, eiuſdem autoritate *ex conſequentia* Regnandi Iure poſſit priuari. Sed vt rem ſerio agamus (etſi priùs actam) Iudicium lepræ & ſeparationem leproſi ad rem noſtram hoc *conſequitur*; & hoc ſolum: ſicut ſub veteri lege ad ſacerdotis Imperium ſeparabatur leproſus a conuictu ſociali & corporali quia cohabitatio erat

erat noxia ratione morbi; sic apud Christianos hæreticus qui spiritaliter leprosus & *animarum hostis* (vt recte *Iustinianus*) ad arbitrium succedentium sacerdotum arcetur a Communione spiritali ob spiritale periculum. Nunc adde; & si sacerdoti maximo Ius erat ipsum Regem Iudeorum ratione lepræ a consortio mutuo separare: etiam summo Pontifici erit Regem quemuis hæreticum sacris interdicere, *nam omnia Iudeis contigerunt in figuris* & rem acu tetigisti.

Secundum exemplum est *Athaliæ* consensu, imò pacto procerum occisæ, *quià omnem stirpem regiam interfeciſſet & regnum tyrannicè occupaſſet*. Hìc nihil conuenit, non factum, non ratio. Primò quærimus de ipsa *Athaliâ*, an vera Domina? respondent, non; *ſed vbi regnum tyrannicè occupaſſet* inquit Cardinalis: igitur nostram causam non attingit. *Occiſa eſt?* minùs istud; nam vt non occidantur cauere, sacerdotis est. *Sed omnia facta ad ſacerdotis mandatum?* hæc omnia nihil sunt si hoc vnum desit, nempe si legitimus princeps ratione spiritalis culpæ non sit depositus aut exauctoratus. Vnde igitur hoc quod occiditur?

occiditur? a fœdere inito. Vnde quod *Ioiada* præ ceteris mandat ? vbi multa sunt mandanda, vt vnus mandet, necesse est: quare autem *Ioiada* præ cæteris, ratio multiplex est. 1. quia sororem defuncti Regis duxerat, quæ sola ex stirpe regiâ superstes erat, & regem ipsum toti regno pio furto seruauerat : in tali autem casu primas reipublicæ partes fœminæ ex sanguine proximæ esse creditas (dic quandoque vsurpatas) nunquam fuit insolens. Particeps autem autoritatis est maritus in personâ coniunctâ. 2. quia ipse regem educauerat. Ad hoc autem omnia Iurá faciunt vt ille sit rerum procurator, qui minoris est tutor. 3. quia rem primò proposuerat, & ideò meritò facinoris autor censendus. 4. quæ mihi præcipua, quia inter primarios subditos ordine & dignitate forsan *Ioiada* primus ; saltem eo tempore ille sacerdos, quia sanctitate & autoritate præcellens.

Sed *ob cultum Idolorum erat deposita?* quis sanæ mentis dixisset : cùm *Ieroboamum* Idolorum mancipium perditissimum passi sunt. Sed fortè illum ob defectum virium sicut antiqui Pontifices (quod nostri cauillantur)

uillantur) coætaneos principes? pari prorsus modo, in vtroque ineptiunt aduersarij, in priore alios, in hoc me habetote centonem. Primò hoc falsum est ex parte populi; nam præcariò regnat quisquis regnat, dum illi supersunt qui regiminis de facto autores erant, nec secùs *Ieroboamus*. Secundò ex parte *Ieroboami* falsum; nam ille nihil magis timebat quám quòd principatum eius non ferrent, *interficient me & reuertentur ad illum.* 3. reg. 12. Tertiò quòd vos suffocat, ex parte rei est falsum; nam induxit Idololatriam vt regnum firmaret sibi, *& excogitato consilio fecit duos vitulos &c.* Verùm dum ipse, *Baasa*, & *Achabus* regnant, salua res est, nos *Ioaso* & vero litamus principi, *Athalia* & *Athalici* regnent aut ringant, idem est; videat *Ioiada*, videant proceres ad quos spectat.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SS. Ambrosium *& vtrumque* Gregorium *contra nos in causâ aduocatos probamus: illi & alij omnes vsque ad an.* 1000. *sententiam nostram.*

LAVDABILE sit *S. Ambrosij* & memorabile facinus, tanto præsule dignum, tantæ autoritati congruum. *At coegit Imperatorem ad politicam legem ferendam?* probetur hoc quoque, atque in eodem casu non solùm Episcopo in foro exteriori sed cuiuis Confessario in foro interno concedatur & ex naturâ sacramenti: Hi enim sunt fructus verè digni pœnitentiæ; hæc munia solertis & verè *docti scribæ qui ex penu suo duplicia profert*; & hæc opera & obsequia a verè pœnitente humiliter & deuotè præstanda licèt diuersi generis, quæ habent ordinem & relationem ad peccata quæ sunt diuersi generis. Hæc igitur inconsultis scholâ & Animarum Pædagogiâ Cardinalem effutijsse miror; contrà enim sunt multiplex pœnitentiæ natura, variæ eius partes, vis Sacramenti & vis fori. Quæ si aduertisset Doctissimus vir

(ita

(ita candida est eius fama, ita mores, nam quædam scripta retractasse vidimus ideo scribenda subticuisset) dixisset faxo non semper spectari quid præcipitur aut ad quid reus obligatur, sed sub quapœna. Varia præcipiuntur media & remedia, quia varia sunt scelera; *quâ medicinâ* inquit *Ambrosius curàsti vulnera*? medicina *vt sit secundum artem* oportet, id est, apta ad sanandum, aliàs quiduis potiùs esset quam medicina: cum autem diuersa sint vulnera & diuersi generis, ideo diuersæ a perito medico & non vnius generis parantur medicinæ; non enim quæritur cuius generis sit pharmacum sed cui bono & quare applicandum. Quia autem ab istis medicis semper spectatur bonum spiritale & salus animæ; ideò semper & solùm tenentur morbidi, nempe Rei & pœnitentes, (ad pœnam forsan secularem) sed sub dispendio spiritali. Si donec pœnitentiam egisset Cæsar, priuasset eum *Ambrosius* Iure aliquo Imperiali, aut præcepisset vt durante vinculo palatium non intraret aut *negotijs Regni se non immisceret*, vt *Henrico Gregorius*, causam Pontificiam egisset clarè: cùm autem admirandam Præsulis magnanimitatem

nimitatem omnes prædicant atque omnem ſuam vim exeruiſſe Epiſcopalem apicem omnes narrant, & tamen ſola ſacra limina ſunt Imperatori interdicta & gratiæ ſpiritales : ſecularis veſtra Iuriſdicundi poteſtas non obſcurè euertitur.

Hìc tempeſtiuum eſt vt vnum amoliar obicem, qui multos in errore tenet; eos putà qui errare cupiunt. Sic autem oritur. Nos dicimus nullam ſecularem aut ciuilem poteſtatem competere ſummo Pontifici directè aut indirectè ; contrà, iniquiunt, eſt praxis Eccleſiæ antiqua & approbata ciuilia mandãtis & temporalia; quam probant iſti Canones c: *excommunicatos*, c: *cum excommunicato*, c: *ſi quis frater*, 11. q. 3. c: *Nuper* de ſententia excommunicationis, c: *Illa quotidiano* de electione, & c: *Statuimus*, eodem in. 6. autoritate *Calixti* Papæ, *Nicolai* 1. *Iohannis* 8. *Innocentij* 4. & aliorum editi nec non octauæ Synodi; & vim Iuris habent etiam a Canonibus. 11. 12. & 13. Apoſtolorum, quibus forſan addi poſſit Autoritas *S: Pauli*. In omnibus iſtis ſecularia præcipiuntur & tenentur ſubditi ad ciuilia, ſc: *ne cum excommunicatione maiori excommunicatis participent*

Tit. 3. 10.

cipent aut societatem ineant, putà ne cum illis loquantur, vescantur &c. autoritate ecclesiastica: si autem in istis ciuilem potestatem in subditos habuerint S: Pontifices & Concilia, aut licitè vsi fuerint, cur ijs in alijs negamus? Inter ponenda nunc est doctissimi *Widdringtoni* distinctio, quam vos intelligere non vultis; aliud est præcipere secularia, aliud disponere de secularibus. Illud ecclesiasticis semper concedimus quando temporalibus, his vel illis, vti non possint subditi sine certo periculo spiritali, aut quando illis abutuntur in perniciem animarum suarum, aut quando vsio eorum conducat necessariò ad animæ salutem; & in isto triplici casu subditos teneri volumus. Sed vt possint Ecclesiastici aut ipse summus Pontifex disponere de subditorum temporalibus *nomine pœnæ* aut vt Iudex in foro exteriori semper negamus, & subditos in eo casu non minùs liberos esse dicimus quam si non disposuissent. Dixi subditos in priore casu teneri; & volo validè: sed vt rem ipsam attingam sub sola pœna spiritali vt liquidi sunt prædicti canones, qui ligant tantùm sub excommunicatione Minore, & simili modo alios so-

lummodò teneri volumus (maiore forsan vinculo) sed sub pœna priuationis Iurium spiritualiũ & non aliâ: qui verò volunt laicos ad præceptum ecclesiasticum teneri sub amissione bonorum temporalium vel sub pœna ciuili; aut quod licitum sit Pontifici, in casu quo non paruerint, de bonis illorum disponere, erunt mihi extra Canonem & sine fide: nam non probatur autoritate Canonũ nec exemplo *S. Ambrosij*.

Proximus est *Gregorius* primus, de quo in priori diximus libro; sed nunc mores eius non monita quærimus? vos verò ineptè monita eius non mores obtruditis? nam muniat S. Pontifex Indulta sua quantis possit priuilegijs, & quacumque velit execratione, imprecatione aut terriculamento, (modò sit generale) per nos licebit: nam nullus Rex, Antistes, aut Iudex &c. amittet Ius suum dicendo *Si quis Regum, Autistitum, Iudicum &c.* aut eos componendo qui in eodem Iuris ordine non sunt positi nec eisdem legibus adstricti. Valebit forsan vt Regnum sit infaustum sed nũquam vt sit nullum: non igitur hinc *Gregorio. 7.* aut successoribus exemplum. Sed videamus tam eius mores quam monita?

Illi

Illi nusquam meliùs patent quàm dum Lõgobardos non coactus tolerat; nec vsquam ista, quam ex ratione quare tolerat: vtriq; nempe facto & facti rationi nunquam respondebitis sine vestro dedecore & pijssimi Pontificis indignitate. *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie longobardorum gens nec Regem nec ducem haberet: sed quia deum timeo &c.* c: si morte. 23. q. 8. *Potuisset insidijs & scelere proditorum* dicitis sed nefas horrens noluit, *vi verò apertâ ad Ius suum conducibili non potuit ob defectum potestatis?* pudore suffundor, quia (modò illicita tueamini) nihil vos pudet. Pius Pontifex non magis de insidijs somniabat, quàm de vestrâ indirecta Iuris dicundi facultate, nec ea ei magis nota quàm *Gregorium 7.* post annos quingentos ei successurum. Sed vnde novit *insidijs suis defore longobardis Regem & ducem*, principes futuri non moriuntur, nisi principatus moriantur; an omnibus succedenter perennem dabitis insidiatorem, his & illis? Deus Bone, supremum vultis Iudicem sed maximum & immortalem depingitis præstigiatorem, ad scelera proiectissimum, maleficijs & veneficijs assuetum,

tum, aut temere & insolenter vaniloquum. Sed potuit *genti auferre Regem & ducem*, & forsan principatum si populum vicinum contra eos consilio & operâ armasset aut si (in quem sensum vos curritis) subditum: nam proximis semper odiosi longobardi & sæpe suis, & nemo magis quàm Agilulphus. *Noluit verò quia deum timuit*; Nugaris sancte Pontifex? nullum numen timendum, dum quid liceat & expedit, saltem non illud cuius fauore licet, sicut istud permissione imò concessione, si istis credimus, diuinâ.

Conciliemus si fieri possit vtrumque *Gregorium*, primum & septimum? Septimus *Henricum* haud inimicum non fert, *quia non hominem, sed deum timuit*. Noster Longobardos Inimicissimos patitur, quia pariter *Deum timuit* non hominem. An ambo eodem spiritu ducti? quidni? ille se *miscere* voluit quia potuit; iste noluit quia non potuit. Vtrumq; falsum; ille voluit & non potuit vt exitus (optimum demonstrandi genus) indicauit: iste noluit etsi potuisset, vt eius verba indicãt, quæ satis probant quia sat probus qui dixit. Sed noster verè *Deum timuit* (& alter quoq; licèt in hoc

hoc casu abductus) & ideo noluit quia Iure non potuit: imò debuit si de Iure potuisset: nam *bonus pastor* eripit animas subditorum etsi cum periculo suæ, *dat animam pro ouibus*; malus igitur est pastor qui non eripit vbi potis est & periculum non est: imò in hoc casu *posse & nolle*, mandare est, *qui non impedit cùm possit Iubet*. Quòd igitur potuisset *Gregorius* Reges & Duces longobardorum vitâ & principatu priuare, *si in morte eorum se miscere voluisset* verum est aut ille fallax & magniloquus: Non autem potuit scelere Clandestino, quia hoc nihil turpius; tunc enim aut ille proditionibus assuetus aut proditoribus eius ædes familiares; aliàs vnde nouit? Si potuit vi apertâ sc: ope eorum qui Longobardis vicini aut subditi, *sed noluit quia Deum timuit*, tunc sublata sunt vestra media quæ tanto opere defenditis & in quibus solis confiditis. Si vero noluit quia Iure non potuit (illud & istud verum) tunc cadit Ius vestrum fundamentale, quod tanto ornatu & apparatu astruitis. Atque huc exemplo primi *Gregorij* proueniistis.

Gregorius alter est eius nominis secundus, qui *prohibuisse vectigalia in Italia &*

Proinde Leonem parte Imperij mulctasse fertur? Respondeo, nec Iure nec omnino factum. Non Iure, Iudice seipso; non enim debet Pontifex *inspicere palatium aut Iura Regalia*. Quid autem est inspicere, si intrare & asportare non sit? intrat dum agit, asportat dum subducit: hoc autem Pontifici non magis licet ex mente *Gregorij*, quã Imperatori subtrahere bona aut rescindere Iura ecclesiastica quod vos in nullo casu conceditis vt dixi suprà ex c: *Lege Imperatorum*.

Sed non omnino factum aio; nam qui fidem suadet & redditum negat, fucum facit: pœnus ille est non præsul, & punica ista fides non Pontificia; fidem autem suasisse *Gregorium* istum testantur omnes, nec minùs redditum non negasse probat summa Pontificis integritas & sanctitas. Verùm dicite bonâ fide, quomodo Imperatori absenti fidem præstat qui vectigal non soluit? prorsus nullo; nam totum negat qui totum hoc: quòd verò fidem suasit, consentiunt omnes probati autores & Gentiles, de vectigale ideò inhibito dubij duntaxat & extranei. Et dissentiunt illi quoque dum vnus *prohibuisse*, alter

alter ſolùm *diſſuaſiſſe* refert. Prohibuiſſe verò vnde conſtat? ex cedreno & *Zonara*. Vnde illis, hominibus *Græcis* & externis? ex noſtris oportet. At noſtri niſi qui ab ipſis edocti, nihil tale produnt? excogitarunt igitur aut addiderunt neceſſe eſt. Verum quid narrant? *vectigal inhibitum & Romam francis traditam*. Cur magis illud verum quam hoc? in vtroque hallucinantur. Pontifex vim & fraudem cauens Exarchalem, fidei ſe credidit francicæ; & eum Romæ Dominatum francis tradidiſſe ferunt. Sic prædam eccleſiaſticam & nimiam popularem diſſuadens; *Pontificem vectigal prohibuiſſe & negaſſe* exurgit narratio *Græca*: Sed ſi *nec tradidit*, *nec prohibuit*, vnde furor Imperatoris, periculum Pontificis, & iſta qualiſcumque relatio hiſtorica? dicam paucis ex veritate rei & mente poſteriorum, qui rem geſtam exquiſitiùs inſpexerunt & hiſtoriâ accuratiùs comparatâ veriùs retulerunt. Pontifex vectigal debitum & pluſquàm ſolitum (nam hoc exigebant orientales & cottidiani ſarracenorum Impetus) nunquam diſſuadebat, ſed vt vnà cum fide (nam iſto non

soluto, fides vt dixi non seruatur) præstaretur autor erat, vnde toto illo tempore ipse *Cæsar* in oriente subleuatus, *Cæsarei* in *Italia* aliti. Sed quia Imperatorem a prauitate dogmatica ad mentem saniorem indesinenter literis & monitis (secundum muneris sui rationem) reuocabat & tandem censurâ prouocabat Pontifex: hinc *Cæsaris* ira. Sarracenis vero in orientem magis grassantibus, in occidentem magis sæuiebat Leo, *ipsam Romam, prouincias & Basilicas vastans*. Quod diutiùs ferre non valentes aut non volentes *Itali* imperium eius declinant; sed Pontifex imperium suadet, prædam verò (quam illi *vectigal* appellabant) dissuadet: atque hinc Leonis furor & indictio census seueriſſimi capitatim, etiam ab infantulis soluēdi (quem illi κεφαλικὸν vocitabant. A censu maximum postea ipsi *Cæsari* damnū, *Cæsareis* strages; & ab ira *Cæsaris* & *Cæsareorū* malitiâ par Pontifici periculū. Vere igitur Hystoricus, *cum exactionem prædamq;* (non debitum vectigal aut proportionatū) *dissuasisset* non probuisset *Pontifex*, *eum capi & Constantinopolim duci, aut si id non successisset interfici Iubet Imperator*. In isto discri-

Naucl vol. 2. gen. 25.

mine

mine *Gregorius* vt vitæ & saluti suæ consulat, Francorum se stipat manu: vnde ipse tutus. Fidem nihilominus Imperatori præstandam suadet, etiam excommunicato (nam omnes turbæ exortæ sunt post edictum Imperiale contra sacras Imagines, ob quod a *Gregorio* anathemate stringitur & subditi sunt admoniti ne ei in errore obtemperarent aut consentirent) vt illi tamen officij & fidelitatis essent memores, *annititur Papa* (vt cum *Platina* omnes sunt autores) vnde causa nostra quàm tutissima. vestra vero non indemnis; nam aut ignorabat Ius suum *Gregorius* aut non eo vsus cum opus erat (cum enim inofficiosè se habuisse aut saltem autoritatiuè quicquam feciſſe impostura est) si illud, quis nobis fidem faciet, cùm de ipso Iure tanto Pontifici & tam docto nihil innotuit? si istud quis posteà eo vti ausus erit, cum non iste *Gregorius*? nam in maiori discrimine nemo possit esse quam fuit *Gregorius*, cuius vita & fortunæ sub alea erant. Nunc duobus *Gregorijs* Iungamus duos *Iohannes* & causa nostra quadrata erit atque vndique munita. Quid autem Pontificibus liceat aut quâ lege Imperant siue Imperare possint;

exemplis *Iulij*, *Felicis*, *Damasi* & aliorum qui *Constantinum*, *Iulianum*, *Valentem*, *Valentinianum* rigidè sæuientes, inuiti quia Iure non poterant, sed non coacti cum vires non deerant, passi sunt satis liquet. Sed hoc ab alijs verè & abundè ostensũ est, ego plura quàm necesse est non repetam, illos igitur prætereo, & vtriq; *Iohanni* notarius succinctus venio.

Primus erit qui primus; cui à *Theodorico* inimicitiæ grandes, iniuriæ non ferendæ, vno verbo dicam, odium immarcessibile, sed ei apud Rege nobiliorem, potentiorem, potiorem, sc: *Iustinum* Imperatorem gratia maxima: quem in causa communi ipse non communis, iniquitate imò turpitudine dicti Regis (ratione Pontificiæ autoritatis, ætatis aut itineris non habitâ) adire coactus est. Ratio voluit & hodiernum Dogma, vt istum *Theodoricum*, sæuissimum Tyrannum & hæreticum, si Iure posset, exauctoraret; & quoniam ipse non erat abdicando (quis enim vnquam Pontifex ex seipso) suadet moderna praxis vt suppetias ferendas *Cæsari* mandaret, saltem ab amicissimo imploraret, nec difficilis forsan rei euentus: nam *Theodoricus* suis

is valde inuisus, & non contemnendæ eo tempore Orthodoxorum copiæ. Sed religio & fides prisca suasit vt Regem iniquissimum ferrent ipse & Imperator, alioque ferocem & trucem eius animū delenirent modo, nempe vt pari lenitate perfidos Arrianos dignaretur *Cæsar*: & dignatus est, non obstante quod factum istud nostris displicet & ab aliquibus inscitè aut improbe contra fidem historiæ in dubium vocatur. Duplici bono hoc exemplum destinaui, *viz.* principum & subditorum: vt subditi cedant principi; vt principes cedant tempori & aliorum principum gratiæ.

Alter est *Iohannes* 4. *animi* si quis vnquam *inuicti præsul*, eoque nomine a Cardinale *Baronio* honoratus. Damnabat iste Pontifex subleſtam illam *fidei expositionem*, rectiùs proditionem quam *ecthesin* appellabant & vnà omnes eius cultores & fautores; & districtim ipsum, qui eam promulgari fecerat *Heraclium* Imperatorem: & non sine iustâ causâ, nam solâ eius autoritate inualuerat. Ecce Pontificem verè animosum? *Præsentiam Exarchi, Ducis & militum nihil veritus*, inquit Cardinalis,

&

Baron. T. 8. an. 641. & *floccifaciens omnia terriculamenta aduersus imperatoris edictum synodum collegit, Apostolicâ autoritate seu fulmine in terram piosternit omnem machinam ad oppugnandam Catholicã fidẽ ab imperiali potentia sublimem erectam.* Bene habet, nobis dixisti omnia? hanc machimam omni quâ potuit autoritate strauit: *Cæsarem* autem Imperiali & seculari potestate, (in qua arx ipsius machinæ erat fundata & qua inualuerat) non priuauit; quod potuit & debuit ex mente vestra. Potuit autem quam facillime si voluisset, omnibus præter ipsos monothelitas, vt, si fieri posset, exauctoraretur propendentibus. Videt *Heraclius* & veritus est, ideoque cauet malum cunctos concilians sibi, etsi non sine labe quadam fulgoris sui. Sed antiquo & pio Pontifici factum suum non esse Iuri suo æquatum religio erat; & idcirco noluit, quia Iure non potuit. Neque deterius cessit, quod à vobis animaduerti & addisci opere pretium est, quum sancti præsules terminos non transeunt suos, conatus eorum fausto omine secundat Deus: nam dum *Iohannes*, lite de Imperio non motâ, duntaxat quod Pontifici conuenit, peragit, *Heraclius*

clius quoque quod Imperatorem decet præstat, hæresim negat, edictum reuocat & fidem promouet.

Vnus manet S: *Martinus* Papa cæteris adsociandus; non vt meliùs pateant quæ de Iure & quæ de facto, sed vt pateant vestræ strophæ, quibus omnia vertitis & auertitis, nempe ideo veteres Pontifices hæreticos principes toleraſſe, *non quia Ius deerat ſed quia vires ad eos coercendos.* Demus enim quosdam paruisse tempori; in hoc tamen magis politici quam Theologi & humanis viribus magis fidentes quam potestati diuinæ: omnes autem muneri suo non defuisse ob defectum extrinsecum & accidentarium certum est. Quod verum est fatebor; vt aliqui parerent tempori, par erat; sed vt omnes non cederent necesse erat: nam quomodo constabit de Iure, quod nunquam venit in actum nec vnquam in præceptum. Illi igitur consulendi, quos constat nec homines timuisse nec sibi cauisse, quo minùs quæ ex officio Iure possent, mandarent facto licèt finem non assequerentur suum. Inter hos celeberrimus *Martinus*, qui quamuis manca & eneruis erat eius potestas si vires spectemus,

mus, tamen ipse non claudicabat, vt in cordato eius processu contra Imperatorem & patriarcham Constantinopolitanos liquet.

Non plus potuit strenuus & animosus Pontifex quoad realem depositionem contra *Paulum* Patriarcham quam contra *Constantinum Cæsarem* quorum animi & vires erant coniunctissimi & qui Iunctim autores erant vt hæreticum illud edictum nempe Typus ederetur: si autem culpæ modum spectabimus ille certe in crimine præibat qui autoritate sc: Imperator; ratio igitur postulabat vt esset prior in discrimine. Neque vt dixi magis oberat sententia depriuationis episcopo quam depositionis obfuisset *Cæsari*, eo tamen tantũ spiritaliter icto, Episcopum non solùm anathemate ferit, sed etiam quod sui Iuris erat, eum Iure & Episcopatu suo priuat & literas dat ad omnes totius orbis Episcopos vt perfidiam vitarent & Patriarcham non agnoscerent. Quæro nunc, si Pontifici in vtrumque idem Ius eademque in hoc casu potestas, cur vtrumque non deposuit, aut cur hunc potiùs quam illum? An quia Episcopus magis noxius? omnino

nò ſecùs; nam Imperante *Conſtantino* fruſtrà ablegatur *Paulus*, non diſſimilis mox ſublegandus. An quia *Cæſarem* veritus? certè non; tunc enim quî excommunicare auſus? an quia ſententiam magis validam aut proficuam fore ratus contra præſulem quàm principem? ne hilum quidem; & quî potuit, ſtante illo a quo ſtabant hic & alter & multi tales. An vt proprium caueret damnum? nec cauit, nec vt caueret veriſimile erat, nam exulabit *Martinus*, ne exulet *Paulus*. Nulla igitur ratio dari aut aſſignari poteſt, cur hunc deponeret & non illum, niſi quia vt *Bernardus*, *Tu Epiſcopum ab Epiſcopatu deponere potes* ſc: Iure, vt poſſet verò Imperatorẽ ab imperio, (quod noſtri ſomniant) ignotum erat *Martino* & *Bernardo*. Sed ſuperſunt ex parte Aduerſâ *Gregorius* 4, & *Hadrianus* 2? miror viros graues leuiuſcula tanti facere: ſuperſunt reuerà, primus vos falſi arguens; nam Imperium *Ludouico* reſtituiſſe *Gregorium* figmentũ luculentum: alter cauſam veſtrã flacceſcere faciens; nam ciuilia tractat *Hadrianus*, *& ad Carolũ Caluum minaces mittit literas*? ſed quid minatur? ſolũ anathematis vinculũ, quod contra vos eſt.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De Gregorio 7. *& sequentibus: & primò de Iure quod adrogant in aliorum Regna, præcipuè in Imperium*, Angliam *atq;* Hiberniam *& quâ fide.*

HACTENVS Pontifices *passiui*, sequuntur *deponentes*: inter quos virtute suâ, marteque feroci primus *Hildebrandus* Papa; putà assertione, Actione. Verùm quàm ab isto Pontifice primùm, non potuit istud Ius asseri magis intempestiuè: nam sedente *Nicholao*, istius *Gregorij* adsensu & autoritate Canon, *Pontificem non haberi Apostolicũ in quem Imperator non consenserit*, redintegratur; nunc interuentu vndecem annorum Ius est, eum non haberi *Augustum*, qui Pontifici non complacuerit. Sapienter pol factum? nam id Episcopatum petenti est conducibile quod possidenti & præsidenti est incommodum. Sed Romæ præsidenti & *Gregorio* (tanti erant eius spiritus) humile istud Ius quoque quod in Imperatorem asseritur, nisi etiam in omnes Reges & principes vniuersale habeatur. Et hoc quoque non inepte;

nam

nam eo modo minùs erit odiosum & magis ferendum: sed ordine progreditur *Gregorius* descendẽdo. Primò in imperiũ agit & in *Henricum* inuolat: hinc tot lites & turbæ scholasticæ & ciuiles quot anni elapsi: & in quem non? *Alphonso* Hispaniarum Regi idem per Abbatem Cluniacensem minitatur l. 8. ep. 2. & idem se posse in Regnum Franciæ *Philippo* denunciat lib. 8. Epist. 20. *In potestate Beati* Petri *est Regnum tuum*: quidni pari Iure omnia Regna? Imò ex mente eius sunt; & omnium possessiones, *vt sciant omnes si potestis in cœlo ligare & soluere, potestis in terra omnium hominum possessiones pro meritis tollere & concedere* in 2. excoicat. aduers. *Henr.* Sed qui se omnia posse venditabat, nihil potuit aut fecit, nisi quod factum doluit ipse, etiam orbis Christianus, & qui omnia adrogauit, omnia perdidit *moriens in exilio.*

Huic Iuri communi addidere posteri priuatum; cautâ quidem operâ, sed fide mala, præcipue in Imperium & in ipsum *Cæsarem*: *Cæsari* enim, si istis credimus, Pontifex non modò pater spiritalis sicut alijs principibus, sed etiam Temporalis, sc.

autor eius Iuris & Imperij: Sic Card: *Baronius, poteſt Pontifex Imperatores deponere, quia ab eo Imperium acceperunt*, Tom. 9. an. 800. & Bellarminus, *Imperium* Carolus *aut à Pontifice habuit aut nullum habuit*, & abinde eſt, quòd gloriatur Triumphus, *Imperatorem poſſe à Papa deponi quis ibit inficias? eius eſt enim deponere cuius eſt eundem conſtituere*, de poteſt eccle. q. 22. art. 3. & propria ceſſione fit quod nunc non conſtituit, nam *ipſe iſtos electores* vt eius vice elegant *conſtituit & Ius quod habent ab eo habent*, vt vult *Bellarminus*: ita tamen vt ad placitum poſſit Pontifex Ius reuocare & per ſeipſum conſtituere ſubſeruiunt hiſtoricorum nonnulli vt *Albertus Stadenſis*, *Helmoldus* & alij eos ſequentes qui ipſum *Gregorium 7.* autoritate ſuâ *Rudolphum* ad Imperium adſciuiſſe aſſerunt: Sed mentiuntur egregie, cur enim illis parcerē, cùm illi non Regum maximo? nec *Baronius* mēdacium diffitetur *Tom. 11. p. 665.* in edit venet. Hinc mutatio & viciſſitudo ſtili *Honorarij* ex parte vtriuſq; principis ſc: *Cæſaris* & Pontificis; vetus Pontificum *Benedicti* honorem defert Imperatori cum præſtatione debiti obſequij: ſed poſt *Gregoriū 7.* ſolita

lita ſalutatio Apoſtolica in Pontifice ſupponit ſublimitatem & dominatum, in *Cæſare* humilitatem & ſubiectionem. Duo primi *Gregorij* (placet enim eorum nomen atq; exemplum, & ſeptimi quoq; ſanctitas, ſed in hac vna re nimiùm faſtuoſus) Imperatores *Dominos* fatentur *ſuos* & congruo honore proſequuntur, *quod debẽt exoluunt*; iſte ſeipſum Dominum facit & *Henricum* ad famulatum & vile ſeruitium Canuſij obligat, & *quod non debuit exoluere cogit*. Primo verè magno titulare erat, *Dominis meis colendiſſimis* nempe *Cæſari* & *Auguſto*; & ſecundo, *Domino meo Leoni Iſaurico*: ſed nunc verſa eſt præambularis inſcriptio iniuſtâ iſtius *Gregorij* captione & iniquâ ſequentium vſucapione. Vnde autem captio? a deuotione *Conſtantini* & aliorum principum, qui nullam reuerentiam B. *Syluestro* & ſucceſſoribus præſtandam nimis humilem aut diademati inimicam arbitrati ſunt ob meritum & firmamentum fidei quod ponunt in *Petro*: & ab arrogantia recentiorũ Pontificum qui nullum obſequium ſibi indebitum Iudicant ob commentum feudi quod ſupponunt in *Cæſare*, vt inſulſe *Syluester* ex conceſſione *Conſtantini*, *Syluestro*

Papæ facta. Quomodo igitur nunc proœmiatur *Cæsar, tibi Domino Ioanni, &c. & fidelitatem iurat*, ita illis habita est pietas *Othonis* magni. Quem adloquitur Pontifex cùm *Cæsari* præfatur? *Henricum* aut *Ludouicum* Sa.R.Ecclesiæ Aduocatum (sic *Gregorius* 10. *Clementes* 5. & 6.) & officij monet: subueniunt, vt in omnibus, curiæ Romanæ Theologi & Canonistæ; & hinc Imperatorem esse *Domini Papæ feudatarium decernunt*. Hoc innuit *Adriani* legatus ipsi *Cæsari* & principibus dum in conuentu generali, *Si imperator ab Apostolico imperium non habet à quo habet*, quærit, *quasi sub hominio*, id est sub feudo *suscepisset imperium*, respondent Iurisperiti. Quod non facilè ferentibus Imperatore & principibus, rem verbis modificatis componit Pontifex, ita tamen vt tacitè insinuet feudum: vnde *Bellarminus, etsi Adrianus non dixit esse, non tamen dixit non esse feudum*, de Transl. Ro. Imp. l. 1. c. 3. sed aperte insinuat *Clemens* 5. dum superioritatem & potestatem adsumit ratione ipsius Imperij, *& iuris esse sui vacante imperio in ipsum* Ius succedere asserit, c. *pastoralis*, *Clementi* de sentent: & re Iudic.

Vt

Vt autem purum constituant feudum, mirâ arte vsi sunt; præcipuè in ipsa *Cæsarum* inauguratione, & dum ritum coronæ impertiunt, partem coronæ retinent, vt clarè patet in Iuramentis ab ipsis Imperatoribus præstitis: quorum varias formas vt variè inseruiant, *Romæ extare in manuscripto*, autor est *Gratianus* in c. *Tibi domino* d. 63. Sed hæc culpa vt non leuis sic nec dissimulanda; quorsum ad eandem Coronam eodem modo partam, eodem Iure tentam, eodem ritu sacrandam varia Iuramenta? responsio facilis est & expedita, vt Ius quod Religione constat, Religione cadat: tenentur Pontifices *Cæsari* religione publicâ & antiquâ; liberantur Pontifices & Innodantur *Cæsares* religione spontanea & recenti: formulæ quæ Romæ asseruantur prorsus latent, nisi vt Pontifici sint vsui, quæ passim & vulgò occurrũt expendamus.

Carolus magnus Imperium suum auspicatus est isto vinculo religioso; *in nomine Christi spondeo & polliceor me fore Pontificis & Romanæ Ecclesiæ protectorem*. Nomen non placet nec omen; imperiosum enim est & superioritatem etiam domini-

um ſupponit & portendit: nam vt ſubditi principi pareant, vt princeps ſubditos protegat loquuntur Iura, vnde dicimus, *ſubditum debere principi obſequium, principem ſubdito protectionem.* Vt igitur antiquæ formulæ ſpeciem quandam retineant ſed Ius antiquum vitent, huic nomini addidere aliud omnimò humile & obſequioſum, *Spondeo me fore Romani Pontificis & Eccleſiæ protectorem & procuratorem* cap. Romani principes cl. *de iureiurando*: munus autem procuratorium non eſt immune ſed prorſus ſubmiſſum & ſubordinatum: & hinc eſt quod *Cæſarem* vulgato nomine appellant Romanæ Eccleſiæ Aduocatum. Succeſſores *Caroli* magni vſque ad *Othonum* magnum in plura Iurant verba & in fauorem Pontificum concepta ſed in nulla quæ ſuæ maieſtati non conueniant & Ius ad placitum retineant. *Otho* vero magnus princeps optimus Iuri ſuo abſolute renunciat: *Se nullum placitum aut ordinationem quæ Romanos ſpectet facturum &* nunc *ſe fore Pontifici Adiutorem pollicetur & alij vt idem iurarent curabit*, ſed humile nihil ſpõdet. Alter vero *Otho Innocentio* 3. idem quod a ſuperioribus præſtitum pollicetur;

& Iurat insuper de patrimonio B: *Petri* custodiendo. Nunc incipit feudum & Iuramentum fidelitatis & continuatur vsq ad *Henricum* 7. qui fraudem subolens & feudum cauens negat se teneri Iure feudi *neq; se aut antecessorum aliquem præstitisse iuramentum fidelitatis*. *Clemens* 5. igitur Cardinales conuocat, qui de re vnà cũ Pontifice consulunt & *iuramentum* Henrici *& antecessorũ existere fidelitatis & censeri debere* decernunt. Sed omnia autoritate conclauis constabunt si hoc posit, aut quid ad patres Vienenses Iudicare *de iure feudi*? de bono & malo patribus coram recte disceptatur & de vero & falso in thesi Thoelogica vere etiam definitur; sed de quæstione Iuris Theologos inter inepte quæritur: huius verò genuina tractatio pertinet ad principes seculares & ad eorum Iussu Iure-consultos à quibus in comitijs Frãcofordianis, an. 1337. negatur tam fidelitas quam feudum; & Iuramentum decernitur esse *defensionis & deuotionis non homagij aut subiectionis*. Et ad hoc faciunt ferè omnia quæ Pontificatus aut Imperij specimen dicunt aut naturam: Sic antiqua glossa ad c. *Hadrianus* Papa d. 63. ostendit *patricium fuisse patrẽ*

Papæ in temporalibus ſicut Papa eius in ſpiritualibus; & tempore *Adriani* 4. dū litigatur de Iuribus vtriuſq; principis conſenſu procerum & Iuriſperitorū dominij primatus & Regalia in Italia & toto Imperio adiudicantur *Cæſari* non Pontifici, neq; eximitur ipſa Roma. Multiplicia ſunt quæ in hoc caſu addi poſſint quorū multa ab alijs addūtur, ſed ego litē inter tantos principes & in re tanta non fouebo. Hoc vnū tamen dicā, quod nunc de ſupremo dominio contēditur, ceſsione *Othonis* magni & aliorum *Cæſarum* fit, ſed Iure ſuo cedere non eſt ſeipſos ſubdere.

Dicam quod fortè mirabimini; tanta eſt Iuris facilitas & in Pontificē procliuitas, vt quod alteri paſſum non praeret pedis, Pontifici feudū pariet Regni, forſan ipſū Regnūm, puta laceræ chartæ aut vetuſtate exeſæ: Sic *Bonifacius*, *Regem Franciæ debere ſedi Apoſtolicæ recognoſcere intēporalibus ſuum Regnū* contendit quia *tale quiddā inuenerat in quibuſdā decretis*, antiquatis ſc: aut nullius fidei, ſaltē roboris: ideo tamē *Narbonēſis* Archidiaconus eius procurator Regnū Franciæad Romanam pertinere eccleſiam exertè aſſerit, *Regemq; Philippū vt à Regalib' abſtineret*

abstineret admonet. Imò vt feudum statuatur valet quandoque *nuda apprehensio* sine chartâ, traditione aut vllâ donatione. Sic quia Demetrius Russorum Rex filium suum ac hæredem S. Pontifici miserat vt per manus eius ad Regni Ius auspicatò initiaretur *promissâ ex parte Coronati debitâ obedientiâ*, hoc Regnum *tradi sedi Apostolicæ in feudum præstito Iuramento* fidelitatis autor est *Baronius*, sine fronte, sine fide; cur Cardinalibus danda venia, cum illis sceptra non verenda? Sed si hinc Ius possit extrahi vt summus Pontifex vestris *Coronis* abstineat manum principes suadeo; nam hoc si valeat ab eo inaugurari, exauctorari est. Alia & magis remota, in quibus forsan prolixus essem mittam, Angliæ, cui debeo fidem, dabo operam, nec non Hiberniæ. Veniam det Serenissimus *Iacobus*, Ius eius, quod scio esse Indubitatum, vnicum, optimum non attingam, solummodo Pontificis fictum & præsumptum exuslabo; sed vno verbo; nam verbo concidet ventispolium.

Naucl. v. 3. g: 44.

Lamb. Scaffa:

Tom: 11. an. 1075.

Hoc vnum tamen præmittam; Nulli Reges aut principes (cum illis non confero qui Romam & *Italiæ* prouincias donârunt

nârunt) plus contulere Romæ ac ſedi Apoſtolicæ deuotionis cauſâ quam noſtri, nec vlli ratione ſubiectionis minus. Neque inter noſtros vlli (nam omnia contraham) magis benefici ac liberales quam antiquiores vt Ina, offa, *Atulphus*, & *Canutus*; neque vlli magis liberi. Atque vos in hac parte nobis credere æquum eſt cùm credidiſſe & ceſſiſſe fortiſſimum veſtrum vindicem nempe *Gregorium* 7. certum eſt: nam quæ *Bellarminus* cum alijs obijcit, ille vendicabat. Vendicat ſed non probat ſc: nec Ius ſuum nec Anteceſſorum. Rex noſter negat & idem ab Anteceſſoribus ſuis fuiſſe negatum oſtendit. Ementita igitur ſunt omnia onera & vectigalia quæ a prædictis Regibus fuiſſe Impoſita aut a ſucceſſoribus eorum fuiſſe ſoluta dicuntur; nam a Guilielmo & alijs ante eum Regibus Angliæ multa fuiſſe pietatis ac deuotionis cauſâ data ſed *nihil in recognitionem Dominij aut feudi fuiſſe ſolutum* ex literis ipſius Regis ac *Gregorij* ſatis liquet. Vtrumque innuit Pontifex & vectigal petit, ſed vtrumque negat Rex & tamen ſolitam beneficentiam (vt a verbis minùs honorificis abſtineam) non minuit.

Sic

Sic enim Rex Pontifici ; *Hubertus legatus tuus ex parte tuâ me admonuit, quatenus tibi & successoribus tuis fidelitatem facerem & de pecunia quam Antecessores mei ad Romanam ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Vnum admisi, alterum non admisi; fidelitatem facere nolui nec volo, quia nec ego nec Antecessores mei Antecessoribus tuis id feciſſe comperio.* Quid magis appositum aut Iure magis validum nisi contrarium sit probatum. At *alterum admisit*? admisit, sed ex gratia non ex debito, sic enim ille; *quod collectum est per præfatum mittitur. Quod reliquum est per legatos Lanfranci Archiepiscopi fidelis nostri cùm opportunum fuerit transmittetur.* Pecuniam verò quam nos dicimus pietatis gratia datam ne Cardinalis & alij dicant nomine tributi fuisse solutam cautio est ? sed in hoc quoque sumus expediti autoritate ipsius *Gregorij*, nam legato suo rescribit, feudum non probat, fidelitatem ab vllo Angliæ Regum fuisse præstitam aut tributum fuisse solutum non ostendit & Legatum accepisse pecunias caritatis intuitu culpat his verbis, *pecunias sine honore tributas, quanti pretij habeam, tu ipse potuisti dudum perpendere*

Literæ Regis habentur inter Lanfranci Archiep: epistol: & etiam apud Baron: Tom. 11. 10. 70. 25.

lib.

lib. 9. ep: 1. Ecce quid voluit *Gregorius*, & quid largitus est *Guilielmus*, voluit *tributum cum honore* & accepit pecuniam ex charitate. Feudum asserit & tributum petit, sed quo Iure, a quo, quando aut a quo tempore fundatum aut debitum non ostendit. Quomodo vos quingentis elapsis annis probabitis quod non potuit ille? si potuisset constaret sine dubio, nam quæ pro Iure Romano faciant, Romæ seruantur sedulò. *Guilielmus* vero validè negat, dū ab Antecessoribus suis nihil tale fuisse agnitum aut præstitum allegat: nisi æquum ducitis vt Reges nostri & nos Angli vestrâ causâ probaremus quod vos Romani non potestis. Si quod igitur Pontifici in Angliam Ius aut dominium, accreuisse post regnum *Guilielmi* & ante *Henrici* quem vos in causa producitis necesse est. Veniamus igitur ad *Henricum*. Si eo tempore feudum fundatum aut Regnum traditum; aut ipse tradidit, aut ante eum alius. Quòd ipse tradidit, nemo dixit; quòd alius, ipse negat: admonitus enim ab episcopo Londinensi vt literis & monitis Pontificijs morem gereret, respondet, & eidem Episcopo vt nomine eius rescribat

(atque

(atque reſcripſit) mandat, *ſe ſacris Iuſſionibus non aliàs obtemperaturum, niſi ſaluâ ſibi ſuaque Regnique dignitate.* Quis vnquam feudatarius eo modo ſuo Domino reſcripſit? aut quid honori ſuo caueret qui ante erat *ſub hominio tentus*, aut quare de *ſaluo Regno* lactitaret, quod priùs erat infeudatum. Sed alibi & alio tempore agnoſcit ſe feudatarium? & magis indigna (quod a Rege vix fieri poteſt) agnouiſſet vt ſeipſum (veniæ forſan non indigum) veniæ tamen magis dignum, Pontificem magis mitem faceret. Verùm hoc inepte allatum; nam non attendendum quid faſſus ſit in ſupplici libello, ſed quid in Reſcripto Iuridico ſit ſtipulatus. Houeden. in Henr. 2. Bar. Tom. 12. an. 1166. 27.

At *Iohannes* tradidit? igitur feudum antè non erat fundatum nec regnum traditum; nam quare illud faceret ille dubium, quod priùs erat firmum atque certum. Sed falſum hoc quoque; de regno tradendo reuerà agit, ſed nihil realiter fuiſſe tranſactum vidimus. Sed tradidiſſe dicito? non magis tamen valida iſta donatio quam conceſſiones Pontificum quæ *ab eius creatione aut paulò poſt impetrantur*, quæ vobis ſunt Iure nullæ: irritæ illæ quia cenſentur

tur extortæ vt Pontificatum obtineant, lites componant aut damnum iniuſtum caueant; irrita hæc, quia ideo facta vt regnum retineat, vim fraudemuè vitet aut tegat. Hoc vt pactum non ſit firmum, ſatis eſt & tamen in caſu iſtius feudi minimum eſt: de quo a multis alijs & quibuſdam viris honoratiſſimis ſatis ſunt dicta, me in caſu Regum præcipuè noſtrorum non plura dicturum quam ipſa res neceſſariò poſtulauerit, mihi ipſi dixi. Hoc vnum tamen dicam, nihil in Anglia Pontifici ideò magis debitum quia *Iohannes* habuit ratum; nec *Iohannis* Ius ideo magis legitimum quia a Pontifice approbatum. Sed maior eſt difficultas de *Hibernia*,, nam *Adrianus* 4. eam *Henrico* 2. dono dedit? imò minor eſt; nam ſi ideò directum dominium vult Cardinalis potiùs penes eſſe Pontifices quam Regem quia conſtat de donatione quadam *Adriani*, minùs ſapit in terrenis quam in cæleſtibus vt eum optimum ſemper duxi Theologum ſed in forenſibus aut rebus ſeculi haud mediocriter peritum; ab hinc enim probatur Reges Angliæ veros eſſe Hiberniæ Dominos & Ius habere munitiſſimum, quod autem

Pontifex

Pontifex aliquod vel leuissimum habet aut Antecessores eius vnquam habuerunt, non constat. v: g: Initur contractus siue gratuitus siue oneros̃us (nam de onere nihil refert nec hibernicum ab *Adriano* statutum moror) inter Titium & Caium, quo Titius Caio concedit & donat Agrum Ticinum cum vrbibus putá Papiâ, villis, Pagis, Castellis & prædijs adiacentibus & appertinentibus, nempe Ius & hæreditatem Sempronij. In cuius rei testimonium conficitur Syngraphum vel adhibentur testes &c. Caius ratione huius donationis hæreditatem adit, intrat & possidet; Sempronius aut eius hæredes non repetunt, saltem non euincunt: exacto *longissimo tempore ad præscriptionem requisito* verum dominium istius ditionis Caij hædibus & successoribus acquiritur, Titio verò aut eius antecessoribus nullum ad rem Ius vnquã erat, verum vel antiquatum, Iuris titulus aut tituli præsumptio. Et ista est gratia *Adriani* & Ius Pontificis Hibernicum. Sed *Regnum non præscribitur* inquit vnus? imò nihil frequentius, etsi minora Iura contra principem non possint, putà a subdito; sed verum fatebor vt nunc sunt mores,

mores, Regnum præscribitur quando non recuperatur aliàs non. At *possessio mala fidei non procedit?* hercle non in primo possessore nec in hærede proximo aut necessario, sed legitimè in posteris & validè: in casu verò isto firmissimè, nam defuncti sunt multi hæredes & elapsa non quædam *longissima* & statuta *tempora* sed nonnulla secula. Verùm Iureconsultos in hac parte Illustrissime Cardinalis consule; nam sæpe (imò nihil sæpiùs) euenit vt etsi desit in donatore verum Ius non tamen in donatario bona fides; nec secus in *Henrico* Rege: & aliquando etsi desit concessori Ius non tamen fides, nec fine dubio nostro *Adriano*.

Verùm Reges nostri potiorem habentes, hunc titulum præsumptum abnuunt etsi per ipsos Theologos licite sufficiat ad continuationem dominij quamuis non ad inchoationem. Sed Hiberniam possederunt Reges Angliæ duobus alijs titulis veris & legitimis, neque hoc Romanæ Curiæ esse ignotum ostendam, sed hoc solum satagunt Romani, vt Pontificis efferant munificentiam, aliorum subticeant Serenitatem. Primus Titulus est Ius so-

cialis

cialis belli, quod Ius non opus est vt propugnarem cum sit casus multis Regibus & principibus nunc communis, & ex mente omnium peritorum tam Theologorum quam Iurecõsultorum valet: atque tum ex causâ tum ex medio tum ex merito. Secundus titulus, verus profectò & Germanus est inuitatio ordinum Regni & totius Cleri nempe 4. Archiepiscoporum & 28. episcoporum vt *Henricus* bellum motum componeret & Regnum Capesseret vt ex eorum literis liquet. Atque hunc titulum esse omnimodè legitimum & Iustũ contra quoscumque aduersantes defendo; nam etsi Regni Ius non erat derelictũ nec pro derelicto habitum, tamen culpa manet ordinibus non Regibus nostris; nam illi ad regni Iura inuitabant, orabant & sic Regiminis autores erant: *Henricus* verò quod fecit exoratus fecit & Ius quod habuit oblatum accepit; ad præces eorum in Hiberniam proficiscitur, & cum illis hiemat a festo *S. Martini* vsque quadragessimam. Hæc omnia vt dixi ex literis Hibernorum patent quas Reges nostri vt de Iure eorum constaret Romam transmitti fecerunt; vbi seruantur in vaticano vt testis est

Baronius. Tom. 12. an: 1171.

Quod ad *Adrianum* attinet (nam non ille prætermittendus) si quam in hac parte cum Archiepiscopis & episcopis (illi cum ordinibus) operam locauerat vt locasse puto (fidens enim *Adriano Henricus*, fidus *Henrico Adrianus*) rem certe æquam & gratam operatus est; sed regi & respectiuè suo non indebitam. Verùm quid tu doctissimus vir, nobis. Polidorum vestrum aut quemuis extraneum res nostras vt sibijpsi, suis aut conducenti prodest aut profit trãsponentem & ad libitum suffercientem obtrudis? non placet ille *Italus* nec ex alia parte alter Gallus: nolo hominem conductum, fidem locatam aut operam mercenariam.

Caput Quartum.

Facta Gregorij 7. *non sunt in praxi sequenda, & sæpe non sanctiorum: illius verò si admittantur nullum Ius alteri manebit Integrum.*

Episcopi *Galliarum Hildebrando ad Papatum electo permoueri cæperunt* inquit Scaffnaburgensis: & non culpo; nam

erat vehementis ingenij, hempe extra cathedram: sed dato cathedram, da conclaue & curiam, quem non molliebit lapidem, quem non montem? etiam erat *ingenij acris*; Iudex esto illi amicissimus *Rectus* Damiani, Index, literarum eiusdem epistolare frontispicium, *Electo scilicet apostolico* Alexandro & *virgo Hildebrando*. Magis verò indicium officiosa libertas pauorq; nostri Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, nam rationem reddituru rarum & contentionum Anglicarum, literas & Oratorem mittit *Alexandro* Pontifici & Archidiacono Hildebrando. Et vt mitteret necessum habuit, alias maius malum in episcopali illâ lite passurus ab immodesta diaconi feueritate quàm a verecunda Pontificis grauitate.

Sed Diaconum (nondum Cardinalem) quòd Archiepiscopus veritus fuerit, esse imò si hunc inuenimus parùm est: quem non veretur *Cæsar*, molitur strenuè; etiam audacter. Non igitur mirum, quod diuum Pontificatu lacessit; quem in diaconatu irritare non timuit. Irritasse autem non est dubium, nam *verba admonitionis Regis* [illegible] *dum adhuc in diaconatu erat posita*

perstricte Ingerit lib. 4. ep. 1. Imperiosum profectò hoc monitorium si minimam illius spectabimus voculam; sed totam attendemus compaginem & *verba, Admonitionis, Regia* diacono, atq; *mitti*, putà per emissarium aut vetularium quis ferret? tulit tamen Rex non acerbè, ne acerbiora acciperet ab *Alexandro* eius hortatu. Eccui placent istiusmodi *ingenij* Diaconus? minus verò summus Pontifex qui *acerrimi & bellicosissimi*: talis autem *Gregorius*, ob quod non solum Gallis suspectus, sed quia *rebus nouandis* (turbæ sequantur licet) *deditus* a plurimis minimè gratus. Totum illud tempus a primo papali spiritu ad nouissimum vsque halitum illusiue specimen sub quo sidereq; natus. Res ex seipsa aperta est; etsi sub vario virturis nomine a variis sit exposita: quidenim) in suomo Pontifice aut supremo principe a suis & assentatoribus probatum & laudatum? verum hoc cuiusque ævi bonum mihi venerandæ Pontificis sanctitas quam alijs, sed vt plurima loquuntur quam decebat diuotus, esse multa quàm mauis facere; vt dum intimo suo amico Hugoni Gluniacensi suadeat *moneret, rogaret, hortaretur* quos posset vt

ſeſe milites (nempe loricatos) *B: Petro dare vellent, & vt non haberent illo thariores principes ſeculi*, quaſi præuidiſſet inimicitias fore inter B: *Petrum* & principes, cùm eo tempore ne vnus rebellis erat: aut quaſi mallet rem prælio decerni quàm deciſionē Iuridica aut ſcholaſtica terminari; ideoque ab eodem Hugone petit *vt qui & quales eſſent certiorem faceret*. Sed maxime liquet dum Suenoni Daniæ Regi prouinciā quādam Italicam occupandam pollicetur *ſi opportuno tempore vellet aduerſus eccleſiæ hoſtes auxilium ferre*, cùm de ipſis hoſtibus nō conſtabat; eo enim tempore diſſidium inter ipſum & *Henricum* non erat ortum. Secundò eundem accerſit & maiora pollicetur libro ſecundo. ep. 75. & tertiò eadem eius filio lib. 5. ep. 2. Quando autem iſtud *tempus opportunum?* cùm paratus aduerſus *Henricum* eſſet apparatus & machina matura. Futilis enim eſt Cardinalis Baronij exceptio & nullius momenti ſc: *nihil Gregorium aduerſus Henricum niſi poſt latam ſententiam Cogitaſſe*, nam ab ipſo inito Pontificatu ſeuerius aliquid ac diſtrictius aduerſus eum decernendum & tempore commodo inferendum propo-

lib. 2. ep. 49.

lib. 2. ep. 51.

fuerat. Mittò quòd anno Pontificatus primo posthabitis rebus ecclesiasticis & alio demandatis Româ abscedit, prouincias ipse peragrat, mentes & mores magnatum & multitudinis lustrat vt exploratum haberet quid posset de proprijs viribus spondere, quid de copijs auxiliarijs & quid de alijs rationibus secularibus, quorsum principem Capuanum & Landulphum Beneuentanum sibi firmiter *sub Iuramento promittere fidelitatem & obsequium cogit & quòd Henrico* nominatim *nullum obsequium præstarent nisi saluâ fidelitate sibi & Romanæ ecclesiæ factâ* contra morem veterem & fidelitatis formulam prioribus Imperatoribus & nonnullis posterùm præstitam; & non obstante, quod eo tempore *concors erat vtriusq; studium* vt clare ipse *Henrico* profitetur *Gregorius*. Porrò cur *Salomonem* Hungariæ Regem incogitantiæ simulat etiam Impietatis increpat, quod ab isto *Henrico* vxorisuæ fratre auxilium contra Geisam petierat & *quod eum in consortium Regni accepturum promiserat*, cùm potius a sede Apostolicâ suppetias peti, *eidemque exemplo Stephani Regis Ius Regni deferri oportuisset*. Quod si fecisset, extremæ reue-

Lamb: Scaffa. Greg. 7. li. 2. ep. 12.

rà

rà dementiæ fuiſſet arguendus: nam quare non ab *Henrico* ei affinitate proxima iuncto, & ob vicinitatem neceſſario non peteret & quare non concederet? aut cur Pontifici maximà loci intercapedine diſſito, eique parum vtili Ius aliquod faceret? niſi quod hoc ſpectabat Pontifex vt tempeſtiuè cum opus eſſet *Henricum* a tergo adoriretur. Sed ferocem in *Henricum* animum taceamus? quam bellicoſus erat ſatis conſtat ex lectis ad orientale bellum 50, militum millibus, quibuſcum ipſe prælior ire parabat *vt haberent eum in expeditione & pro duce & pro Pontifice* lib.2.ep.31 In hoc ſuis diſplicet, nam in ſede Apoſtolicâ Doctorem quærunt omnes, Ducem vero ſtratioticum nemo; neq; area, quam excolendam ſuſcepit, vnquam aut ad tempus deſerenda vt inſtruatur acies.

Neq; alicui diſpliceat quòd *Gregorij* facta aſpera & mores ſæuos in cauſa negligimus; nam ſãctiorum facinora laudatiſſima in praxi non probantur, ſi inſolens quippiam inducunt aut a Iure communi diſcrepant. Atq; hoc antiquum eſt & veterum Doctorum diuerſi æui & diuerſæ claſſis vt Chryſoſtomi, *Ambroſij*, *Gregorij* mag-

ni & aliorum scito approbatum, vt nullum Ius esset firmum aut validum quod ab autoritate agentis sit petitum. Valet hoc etiam, (quod fortasse apud vos magis valebit) Iuris vestri adsertoribus: *licèt enim moses occidit Egiptium, phinees Adulterantem,* & Petrus *geminum fecit homicidium*; abinde tamen nihil deducitur vt alij eiusdem ordinis simile faciant aut de Iure adrogẽt *sed spectanda est temporis, causæ, voluntatis & personarum differentia*, si nulla interuenit, Ius tamen nullum fundatur: nam vt recte Gratianus, *quædam in veteri testamento erant licita, quæ in nouo sunt inhibita, & quædam laudantur facta quæ facienda prohibentur*; & alibi, *multa ritè præstantur quæ tamen Iure non petuntur* in 23. q. 3. in princ: ideòq; hæc ipsa exempla & alia eiusdem generis *ad canonem* reducuntur c; *Legi*, & c: *occidit*, 23. q. 8. vt essent omnia extra Canonem.

Quod si non illorum qui fere supra omnes mites, etiam zelo & pietate feruentes quales fuere Moses & phinees; certe non septimi *Gregorij*, sancti quidem, sed fere supra omnes (tam *acre erat Ingeniũ*) seueri & rigidi. Ausim dicere, si ea intuebimur quæ

quæ morem ſpectant ciuilem aut dicunt rationem ad vitam communem, ille neminem priorum ſequutus eſt, ille a nemine poſteriorum ſequendus. Fidem eius, nefas, ſi traducerem; nam omnino eadem cum prioribus, niſi culpandus quòd eam quæſtionibus commiſerit; ſed cogitata, dicta (intellige vt dixi quæ habent ordinem ad actum ciuilem) & facta eius prioribus maximè diſſona ſi poſteriorum ab illius itidem, præſertim factis non diſſentirent, nullum alteri Ius ſaluũ aut forum maneret integrum: & oſtendam paucis. Ab interna mentis diſpoſitione incipiam; non eadem illi quæ cæteris, non quæ *Gregorio* (á quo nomen ſumpſit moreſque ſimulat) eius prototypo. Nihil primo & vere magno acerbius accidit, *quam quòd* ratione Edicti Imperatorij *licitum non erat Ducibus & militibus Religonem ingredi niſi expletâ militiâ*; nihil triſtius ſeptimo, *quàm ducem quendam factum fuiſſe monachum relictâ militiâ*: Ille vt *Ceſar* edictum reuocaret aut eius rigorem conniuendo flecteret, ipſe ſuadet lib. 2. ep. 62. Apocriſario ſuo vt ille obnixe peteret mandat, *Theodoro* Imperatoris medico maximè neceſſario. Lib. 6. ep. 17. Hug. Clun.

rio, vt sæpius eum in causâ alloqui vellet, feruide consulit, lib. 2. epist. 65. & multos episcopos vt hanc rem sedulò agerent & milites officiosâ operâ susciperent, hortatur lib. 7. epist. 11. At iste tubis & turbis deditus, bellum parat, Abbati Cluniacensi arma suggerit, ipsum vt milites à vita monasticâ consilio traheret, & alios vt eius hortatu damnum a Religiosi voti susceptione ingruens cauerent, monet lib. 6. epist. 17. Cur *Gregorius* primus milites foueret multiplex & maior ratio, nusquam tutus à Longobardis, nec ab alijs: cur *Gregorius* septimus nulla ratio, nam nemo tutior si ille lites non fouisset. Non opus est verbis, apud historicos liquidum est; a nemine ille vnquam lacessitus quem ille acerbitate aliqua aut quibusdam aculeis non pupugerat, aut quem alterius grauamina non fecerant cautum.

Alphonsus Hispaniæ qui 4. aut. 5. dicitur habuisse coniuges.

Sedente illo, in totâ occidente non erat princeps secularis, qui non fidei probatæ, & qui non ferè integer vitæ (*Henricum* nec excipio nec suscipio) præter vnum qui varias habuit vxores (hunc tamen insolitâ dignatus est clementia) sed Episcopus non vnus. O fœlicia tempora si alijs accidissent

aut

aut si ille bonum suum aut publicum sapuisset? Inter omnes tamen seculares principes, ne vnus ei laude dignus, imò non vnus sat probus: *Romani verò, Longobardi & Normanni inter quos habitabat* (alij forsan non dissimiles si simul aut prope egissent) *Iudeis & paganis peiores* lib. 2. ep. 49. Inter cæteros facilior vnus *Gulielmus* Angliæ & magis placebat, vt ille lib. 9. epist. 5. & alibi fatetur, huic tamen mouet litem captiosam de Iure Regni. Episcopi etiam plurimi male audiunt, vix vnus satis morem gerens, non Hermanus Metensis: nam molestus erat rationem noui dogmatis petendo. Semper æstuabat animo, noua semper moliens, difficilia & ardua aggredi semper gestiens, iste humilitatis non dedit argumẽtũ ideò monendus, alter quia maioris tenetur criminis excommunicandus, non pauci deponendi aut suspendendi. Ad principes dat aut destinat literas, minaces nostro, indicatiuas in causa Regali *Philippo* Galliarum, vindicatiuas *Guiscardo* Normanniæ, Imperatiuas *Godefredo* Lotharingiæ, *Roberto* de Loritello, *Gisulpho* salernitano, inhibitorias *Cæsaris* familiaribus. Episcopos inter suspendendi Liemaus Bremensis,

Bremenſis, Guarnerius Strasburgẽſis, *Henricus* Spirenſis, Hermanus Bambergenſis, *Gulielmus* Papienſis, Cunibertus Taurinenſis, vix noſtri (etſi maximè audientes) à fulmine tuti; deponendi *Dioniſius* placentinus & non pauci alij, atque *Henriciani* omnes: ita vt totus eius Pontificatus, forenſis ſtrepitus aut clangor bellicus dici poſſit, vno verbo Iuge iurgium. Cur ſeipſum torquebat curque alios, duplex reor ratio, vna vt omnes ad cultum ſtrictiorem & ſanctiorem reduceret, altera vt Pontificiæ Iuriſdictionis ſublimitatem oſtenderet; ſine exemplo, ſæpe ſine conſilio, aliquando ſine culpâ ſed non ſine communi damno. Non homini parcens contra mentem pijſſimorum Pontificum, non tempori parens contra mentem & morem prudentiorum, in omni molimine ſeipſum fatigabat, alios irritabat, ideo non miror quòd *mortuus ſit in exilio*, ſed miror potiùs (peſtem illius oræ & aliorum intuens exitum) quod ſine veneno.

Dicto & paginâ ſcriptâ à prioribus ſemper varius, totus alius. Sermones & Scriptiones illorum à primo ad *Gregorio* proximum, nihil altum, iſtius nihil ſubmiſſum ſonat.

sonant. Illi nemini Imperioſi aut ſi forenſia ſpectemus & ſecularia minaces, rarò in alijs: iſte nemini ſupplex niſi *Guilielmo* Burgundiæ dum opem aduerſus *Guiſcardum* petit aut in ſimili diſcrimine, verba tamen non ſupplicia lib. 1. ep. 46. Literæ priorum *Cæſari* & Regibus miſſæ ſemper ſalutem dicunt & obſequium: iſtius (ſalute præambulari data) fidelitatem mandant & ſeruitutem, aliàs pœnam minantur & exterminium: da ſecundam quæ non, & dabo palmam. *Ex abundantia cordis os loquitur*; ideò humili Pontifici congrua epigraphe, *ſeruus ſeruorum Dei*: & *ex abundantia oris cor editur*, ideo patet *Gregorij* faſtus, vmbrâ titulari non tegente. *Os hominem indicat*; capiamus verba? *Henrico* legatos eius lautè & cum honore accipienti quam gratiam refert Pontifex? *deuotæ ſeruitutis exhibitionem agnoſcit*, lib. 2. ep. 30. *ô nimium oblite tuorum-quis talia fando?* Ecqui anteceſſorum dignationem Imperatorum aut principum eo loco habuere? ecquis princeps merita hominis ſui ligij? ecquis patronus ſui libertiæ? Ecquis ſuperbiens tyrannus ſui vaſalli? vix hic, non illi: *Gregorius* tamen illis diſſimilis ſibi ſimilis ſimilia paſſim ingerit

gerit & regerit, De *obseruantia, obedientia, fidelitate subiectione & seruitute* quoſque & vbique monet: vt *Imperium B.* Petri *recognoſcant, vt prompti ſint ad B.* Petro *ſeruiendum* ingeminat, *adiudicamus, mandamus, præcipimus, iniungimus, denunciamus, iniungimus, prohibemus, inhibemus* ſunt decretales prodromi ſingulæ pagellæ, fere paragrapho. Ex altera parte attendite priorum humile dicendi genus, vota, præces, monita facilia, manſueta, Paterna, dicetis faxo ſchemata, tropos, & ſophiſmata Nouatorum enthuſiaſtica non magis diſcrepare quoad externum dictionis corticem à veterum Theologorum more loquendi aut ab antiquâ & hodiernâ ſchola, quam iſte ab anteceſſoribus ſuis ſi inſpicimus grandem aut verba magniloquam orationem.

Sed *in factis* ſumma rei eſt. facilius enim ferenda alia ſi hæc deſint. Commenta & effata viam quidem faciunt & media parant; ſed facta ius alteri adimunt: videamus iſta. Deus bone, quid ſibi *Gregorius* de facto adtrahere, quid alijs ſubtrahere non eſt auſus? in quouis caſu Epiſcopali aut Clericali nihil veritus vt alijs deceſſio, Romanæ eccleſiæ fiat acceſſio. Et nihil

eius

eius exemplo ſucceſſores; hinc orta communis illa opinio de qua *Gerſon, eos quiduis licitè poſſe in eccleſiaſticis, mutando, transferendo, appropriando.* Hic vt in caſu Clericorum aliquid dicatur opportunum eſt & commodum; nam præterquam ſoli Papæ, Ius alteri cuiuſcunque ſit ordinis nullum manet ſaluum aut firmum. Pontifices Summos Iura ſpiritualia laxè habuiſſe & libere conceſſiſſe in Gallia & Anglia, necnon in alijs locis Clericos Capitulares & Clauſtrales a Canonica obedentia ſc: proprio Epiſcopo debita contra Iuris (vt puto diuini) dictamen eximendo video & vident alij: ſed an licitè quærimus? cui vt accurata ſit Canoniſtarum aut Docti alicuius Theologi vellem reſponſio; & expeditâ opus eſt: hinc enim abſente Pontifice, præſente Epiſcopo ſed non præſidente multa emerſere enormia. Vt igitur vnicæ cauſæ Epiſcopali inſtem; quilibet Epiſcopus Iure diuino, quatenus ad Epiſcopatum (abſtrahendo à diſtincta orbis procuratione) in vniuerſo orbe præeſt ſine termino excluſiuo; nam vt recte *Cyprianus totus orbis vnus eſt Epiſcopatus* & nullus Epiſcopus extra Epiſcopatū eſt vbicunq; eſt:

est: & consona est sacra pagina posuit *vos Episcopos regere ecclesiam Dei* quæ huic prouinciæ aut populo non alligatur. Vt autem certis locis & subditis adstringantur inclusiuè, non pertinere ad Ius B. *Petri* neque eatenus valere eius autoritatem existimo, sed ad hoc necessariò requiri publica Apostolorum vota, vt in prima orbis procuratione & partitione; & in qualibet sequenti diuisione communem prouincialium consensionem. Quod enim quisque ratione prouinciæ & diocæsis sit titularis, primò sortitò factum est & consensu publico, nam vt hæc Iure fiant rata, nego decretum B: *Petri* aut primæ sedis facere satis, sed prima diuisio, vt est notissimum, facta est communi Apostolorum calculo, & postea vt dixi prouincialium suffragijs (accedente forsan primæ sedis approbatione) aliàs Iure suo publico & concesso nemo priuatur. Nunc vt ex diocæsi (in quam quisque Episcoporum consenserint & concesserint) subditi eorum ijs inuitis possint a summo Pontifice, ratione primæ sedis aut quouis alio titulo liberari aut a communi processu licitè eximi, hanc Iuris Apostolici aut Pastoralis vim mea

fateor tarditas non capit: hoc tamen factum est in omni (quem dixi) clericatu capitulari & conuentu clauſtrali: Sed de eccleſiaſticis ſeorſim non ſtatui differere, ſcio enim quantum vobis ſordent diſceptationes laicæ; ad ſeculariũ Iura feſtino. In his autem *Gregorius* non minus Dominus œcumenicus quam in ſpiritualibus; omne genus Rei Romæ ſiſtendi, omnis cauſa Romæ dicenda, tam ciuilis quàm eccleſiaſtica, tam criminalis quam ciuilis. Si magni momenti, opere prætium eſt; Pontifex libere vacat: ſi minoris, Ius tamen ampliabit, Pontifex ideo non grauatur; ſed omnes alij valde: nam aut læſi ſunt aut in ſimili caſu lædi poſſint. Si cauſa communis, Pontificem decet qui communis pater eſt; ſic dum cauſa Imperij agitur, ad præſules & principes arma decernentes & abdicationem *Henrici* in comitijs Gerſtengenſibus molientes dat literas, *vt à conſilio & armis ceſſarent donec cauſa à ſeipſo cognita, quod æquum eſſet, Apoſtolica autoritate decerneretur:* Sed de hoc poſtea. Similiter in cauſa priuata deciſio Iuris quare non ad Pontificem qui cuique pater? ideò in caſu hæreditatis inter filios *Raymundi Be-*

rengarij Comitis Barchinonenſis in Hiſpania ſeipſum proponit Iudicem lib. 6. ep. 16. Verùm hic monitore opus eſt vicarie, *quis te conſtituit Iudicem*, qui non Dominum tuum? Ius quod ille habuit nunquam negabat, quod non habuit nunquam adrogabat; Dominum igitur habuiſſe & adſumpſiſſe aut oſtende aut tu cede.

Simili modo *de bonis naufragio perditis* cognoſcit & in cauſa Ius dicit *Baron. Tom.* 11. 1709. In quo caſu vt verè dicam quod res poſtulat, tam multa iniuſta & vere illicita cottidianâ praxi ſub Iuris titulo patrantur ſcelera, vt exorandi ſint principes vt aut quorundam rapinis nefarijs, qui miſeros naufragos (quos mare & ſæua ſaluos voluit tempeſtas) miſerè cum ſuis deperire faciunt, modus ſtatuatur; aut ex optandum eſſet vt Bulla *Cœnæ Domini* ex mente Theologorum ad omnes eos ſe extendat vimque ſortiatur ſuam. Quæ enim Reſpublica probè inſtituta hoc ferret? viator in manus prædonum incidit, qui ei monetam, gemmas, annulos, &c. auferunt, ſed viuum (vinctum tamen) cum equo & pallio dimittunt: Si iam vinctum inuenerit Dominus loci, ideone tenebit Iurè victũ, bonis

bonis quæ supersunt priuabit, & equo ac vestibus spoliabit? istud autem est Ius marinum. V. G. Naufragium patior, multa & maxime pretiosa pereunt, sed nonnulla seruantur aut operâ datâ seruari queant: ista autem (vt perditio sit maior) mihi quoque pereunt & Domino fluuij acquirunntur. *Summum Ius non sine summa cruce*, Inspectio hæc, principes, vestra est, vt quorum res seueritate legum sine æquitate mancipantur, lenitate vestra non sine pietate liberentur. Non hoc dico quasi improbem Dominium *Incertorum* quod per *alluuionem* acquiritur, nam licitum & iustũ, æquum & antiquũ est & Dominis quoq; cõceditur non maritimis *in animalibus errantibus & bonis adespotis*; sed quoniam miseri omni Iure sunt subleuandi, nefas est, scelus est, vt maiori damno quàm quod casus tulerit exponantur.

In casu Rebellionis ac tumultus nefarij, quàm seipsum ingerere nihil frequentius; & eius exemplo vt seditiones, & turbæ ciuiles ad Pontificem deferantur & à Pontifice dirimantur tam familiare quam quod sui fori. Verùm hoc pacto eorum nullatenùs (nisi ex mente principis cuius interest)

ferendum; secus ex competentia ob communem & indistinctam suam paternitatem cum dissident supremi principes. Dū autem subditos princeps coereet aut ad supplicium vocat (rabies alias futura internecina) nihil contemptum principis & pernicie populi citiùs operatur quā ad Romam prouocatio; quid enim ad Romanos nos punctim an cæsim feriamur? sine sensu sunt mali qui sine damno. Hinc multi turbones, etiam proditores, quibus aura Romana secunda, impunè ferunt aut leui luunt scelus quod nulla cruce expiatur. Non igitur accendantur nec ardeant faces populares fulmine Pontificio (quod fieri quandoque vidimus) sed ab omni strepitu sibi externo, moto aut mouendo Papa (nisi ex parte principis inuocatus) abstineat aut caueat malum. In causa etiam homicidij forum sibi sumpsit *Gregorius*: quod me legisse in eius epistolis aut in scriptionibus probati alicuius autoris bene memini sed vbi aut apud quem non occurrit neq; qui mihi externo & ignoto suggerat. Sed de potestate quâ vsus est nimiâ, dixi nimium, saltem satis; mirabilis Deus in sanctis suis: miremur igitur, non imitemur.

CAPVT

Caput Qvintvm.

Henricus 4. *nullo Iure erat depositus; à* Gregorio 7. *non omninò, nec ab alijs prætextu legis Ecclesticæ sed ciuilis.*

Cardinalis *Bellarminus* mihi dux erit & Iuris autor. Quod ex facto constat, negligit, & sæpe ego: sed Ius ex post facto elicit, & si opus esset quidni ego? Regnũ Galliæ *Childerico* ademptũ & Merouingis, *Pipino* à *Zacharia* Papa Iure fuisse concessum probat, *imò* inquit *quis ambigit?* cum euentus docuerit mutationem illã fuisse fœliciſſimã; & Translationẽ Imperij ab orientalibus ad occidentales rite & legitimè fuisse factam ex inde sequẽti bono & fœlicitate defendit: sine Iure igitur *Henrici* depositio, quã tot secuta sunt incommoda & cõmune malũ. Proinde primò quæ facta sunt indicabo verè, secundò ex post factis Iudicabo? An vobis lectores fecero satis? sanè non mihi ipsi nec causæ, primũ igitur spondeo, secundum illi renuncio: Ius enim patens quæro, elicitũ respuo & contemno. Et in causa nostra non sine causa; nam sicut *Henricum* fuisse Imperio priuatũ non nego (sed à Pontifice aut ratione excõmunicati-

onis nisi quatenus excõmunicatio vim habuit à lege ciuili non concedo) sic seruatõ iuris ordine aut æquitate omnino fuisse aut potuisse pernego. Omnia constabunt, si constet quid factum, quam ob causam, & quo Iure.

Non hæc ideò dico vt meã sententiã discrepantibus Theologis & Iurisperitis imponã aut interponã: sc. statuendo vtrũ Imperator possit deponi vel non. Cõmunior opinio est, etsi Reges nõ possint quia regimen eorum naturale est: Imperatorẽ tamẽ posse quia eius est conuentionale. Ad hoc facit confessio quorundam Imperatorum & confẽsio principũ Iuridica nec non processus contra eosdem & alios; ideo dicunt multi cum *Azone, Imperatorem habere meri Imperium* & alij multi, *non verum*, sc. sensu nostro si Imperium pro vera monarchia sumatur, secus si distinctim vt in l. 1. c. 2. Hoc tamen non obstante *Henricum* Immerentẽ Iure non potuisse defendo. Cui enim *Henricus* noxius (excipio Saxones & Thuringos) nisi sibijpsi? aut quî damnosus nisi quia non vtilis? aut quomodo captus nisi quia incautus? initium miseriæ denoto non exitum. Non nego nimium fuisse Imperiosum Saxoniæ

Saxoniæ Ducibus, patri & filio, sed quia quos tumultui populari fautores expertus est, eos fuisse autores ratus est. Populũ coercet & magis onerat; temerè hoc quidem sed non præcipitanter, nam hi sæpe malo vincendi: principes autem non domat nec victos nec vinctos; nam manes principum & procerum (si irati) sunt immanes, potuisset tamen hunc & illũ, tam filiũ quã patrẽ si alios demeruisset aut conciliasset sibi.

Hinc eius ærumnæ & difficultates omnes quib⁹ vndiq; obsessus & vbiq; pressus est; nõ quia iratus Papa nã magis immites & *Cæsares* magis refractarios passi sunt posterivultum eorũ nihilominùs deprecantes nõ execrantes, & sustinuisset hunc quoq; *Gregorius*, si ille nõ *Hildebrandus* aut iste non *Hericus*, id est, ille Pontificum, si ingentẽ spectemus animum, maximus; iste *Augustorũ*, ingenium si angustum, minimus. Salutem tamẽ forsan huius nihilominùs Iurasset hic quoq;, si contra eum principes non coniurassent: illud autem captans, tempestiuum duxit seipsã exerere noua Pontificis seueritas, quia exorari noluit prisca Heroũ comitas. Tumet etiam Papa quia timet *Cæsar*, & quid non timeret quem populus, princi-

pes, Pōtifex, filius terrēt? Terrent & fugāt; insolens illud subditis, sed nō coadunatis: timet & fugit; rarum hoc quoq; *Cæsari* sed non vni huic, nam fugit infœlix sæpe, fœlix si aufugisset semel. Sed quî potuit? nam fide suorū seruatur Rex non fugâ suâ: eo autem illa semper magis lēta quo hæc magis expedita. Fugiens igitur *cū vno Duce & duobus Episcopis seipsum fatigat* sed fatum non abigit, & fruſtrà quærens latibulum (*esto in deuio & nemore latebroso*) *quatriduanâ inediâ possit confici*, sed nō tegmine cooperiri; nam vt rectè vir sapiens, *non magis Principi quam soli latere contigit*; & quomodo lateret, quem maxima (tantus est fulgor Regius) vix abscondunt, & quē minima prodūt? præsertim si liuor sagax insectatus fuerit furorq; peruigil. Principes scorsim & spatsim siti, sed pariter dispositi vt omni periculo exponatur. Plebs mala & multa, sed nō facile mota: da autē *spiritum* id est *Ducē*, & faciet vt nullo periculo eximatur. Pontifex præbet faces, & saluâ Reuerētiâ, fatuas: nam cū vsui sint, accendunt principes, cū secùs exinguunt; quod Pontifici diuidiæ fuisse maximæ fatetur *Baronius* & indicat res ipsa, nam semel post id ambigebat qui semper

Senec. de Clement.

Baron. Tom. pag. medit. ve- venet.

semper priùs abdicationem ambierat. Hunc ego nunc *zelo lesæ Pontificiæ sanctitatis regno àmotum* dicam, cum negauerit Pontifex, desperauerit & expirauerit? amens sim si dixero, sed potiùs à principibus depositum, maius tamen malum a futuro *Cæsare* quam ab vtrisque, de quo honoris causa vt parcè loquar, tantò crimine & scelere omnium quantò pater discrimine.

Multùm dissident Pontifex & principes, & tamen (quod dissidio semper fere insidet) non conducit vt sedeat *Henricus*. Principes, modò abdicetur, de modo non multùm contendunt siuè per Pontificem siue per seipsos: *Gregorius* verò vt sola autoritate sua exauctoretur omnem exquirit modum, omnem captat momentum. Bonus Pontifex peccata & iniustitiam aliorum, nempe principum & populi ferret solus? imò potiùs quasi alienâ malitia lueret; cum ferret quem nullatenùs ferendum orbi prædixerat. Principes primò in comitijs Gestengensibus de Imperio abrogando *data acceptaque fide* consilium ineunt, sed sine consilio Pontificis nefas Romæ audiunt. Pontifex igitur, te Romam perlatâ,

perlatâ, *dat literas ad Saxoniæ præsules & principes*, vt fidem feduſque reſcinderent, ab armis ceſſarent & *Cæſarem* non priuarent *donec expectaſſent & accepiſſent ſententiam Apoſtolicam*. Sententia cito mittitur, quæ citò fertur: dormiente verò (& hoc quoque ex ſententia) non equidem reuocatâ ſed ad arbitrium reuocandâ peremptoriè in Berchanenſi conuentu principes *Henricum* abdicant & Rudolphum ſubrogant non attentâ Pontificis conſcientiâ aut conniuentiâ. Hîc nonnulli omnia ad Pontificis arbitrium fuiſſe facta cõtra rei veritatem & hiſtoriæ fidem fingunt, nempe tam Rudolphum ſubſtitutũ quam *Henricum* deſtitutum: ſed in vtroque falli aut ipſe *Gregorius* fallaciſſimus, nam hoc ſe nolente factum *Henrico* ſuadet & principes iniuriæ & crimnis arguit. Iniuriæ, nam *Cæſarem ab ẽo in præiudicium paſſus* contendit, *eò quòd ipſe in ſatisfactione poſito alium ſuper ſe Regem eleuaſſent*. Criminis; quia ſine eius autoritate, conſenſu aut reſpectu, *non zelo læſæ Pontificiæ ſanctitatis moti* fecerant. Pontifici verò fidem faciunt fere omnes hiſtorici, etiam ipſe *Baronius*, qui Bertholdum & alios ob mendacitatem

titam Hiſtoriam culpat. Et recte; nam nihil hic factum *Gregorij* autoritate aut voluntate, imò omnia quæ facta in eius cedunt infortunium: nam hinc maiores inter ipſum & principes ſimultates, & odium inter eum & *Henricum* magis acerbum. Principes quia vident eum ſoli proſpicere Iuri Pontificio, ideo illi bono Imperij & publico vigilantiùs incumbunt. *Henricus*, quia Rudolpho renunciat & tamen opem contra eum negat, ardentiùs flagrat & non ſine cauſa; nam cum ille ad mandatum Pontificis ignominiam tantæ Maieſtati incompatibilem & omni poſteritati indelebilem ſubijſſet vt Imperium firmaret ſibi, nunc in eadem cauſa ab eodem Pontifice contra fas & æquum, imò omnem fidei & ſerenitatis rationem vt Imperium retineret ſibi deſeri, quis mitiſſimæ mentis princeps indignatione non fureret aut quis ferret? nec tulit *Henricus*, neque aliquid poſt id infectum omiſit, licèt cum periculo ſuo, quo conficiatur aut ſubmouea-tur *Gregorius*: ideo omnes Imperij neruos contrahit, & tantum mouet turbinem vt amoueretur *Gregorius* ipſo non moto. Succedunt Victor & Vrbanus in Pontificatu &

noui

noui Iuris (si quibusdam credimus) asser-
tione & decedunt, *Henrico* superstite &
Imperante; neque vnquam alium præter
seipsum vidisset Imperatorem si non ge-
nuisset Impium: qui omnium machinas
sentiens & artes callens, omnem carpit di-
em vt patrem caperet vltima dies. Et ce-
pit ante diem, neque miror; nam morbo
externo languens, sc: pauxillatim defici-
entibus membris vilioribus & nobiliori-
bus nempe plebe, proceribus, & princi-
pibus, qui diutiùs stare potuit cùm pesti
internâ sit correptus. Diximus quid fac-
videamus nunc quam ob causam? Impe-
rium abrogatum eunt plebs, principes,
Pontifex & filius; sed quare? ob eius sce-
lera non ferenda? non; sed ita erat eorum
malitia, ita eius incuria & incogitantia ab
alijs principibus semper cauenda. A singu-
lis *Henricum* Iurè eximam, & ad singula
respondebo sed cum odio & flamma as-
cendendo. Ad illud me ducit sceptrum;
nam verè Tragicus, *simul ista mundi Con-
ditor posuit Deus, odium atque regnum.* Ad
istam ardentes faces, quæ oleo suffocan-
dæ non aquâ: liceat oro vt infundam. Bo-
num consilium sentum, *si hodiè populo huic*
seruieris

ſeruieris (exiguum hoc & ratione inſpectâ non indignum) *erunt tibi ſerui cunctis diebus*, perenne hoc & maxime tutum. Attendite igitur principes attendite, *minimum eſt*, ſi non fœlices *quod vos facere fœlices poteſt*; *nihil largiatur princeps*, *modò nihil auferet*, vulgares *pelliciet dulcedine otij*, Nobiles ſi non habet indigne. Plin: pan: neg:

Sed ex plebe abdicatum cupiunt *Henricum*, qui? Saxones & Thuringi; nam longobardi franci & Bauari *zelo flagrant alieno*: nec mirum, vere enim orator, *populus ſua ſponte placatus*, *ſeditioſorum vocibus vt violentiſſimis tempeſtatibus ſæpe attollitur*, addam ego ex eodem (cauete populi) *vicino igitur turbine vt vi ventorum* hos *fuiſſe agitatos non eſt iniquum*. Sed quare illi? quia eos præter morem ad onera aſſuefecerat vt ſubleuaret Sueuos. An hoc capitale? imò capitale Ius eſt, principale & intrinſecum: nam vere Romanus, *ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum optime inter ſe congruunt*. Regi horum opera eſt vtibilis, illorum opes? vtriſque, vt fert occaſio vtatur, ſed cautè; nam ſcite alius, *tanta ſtudia nunquam aſſequeris eorum quibus dederis, quanta odia eorum quibus ademeris*; Tac: 13. ann:

meris; quem enim quisque odit *perijsse expetit*; sæpe desunt vires, semper tamen captatur occasio & expectatur tempus. Verum est quod vulgò dicitur, *non est in vulgo consilium, non spiritus*; Principibus igitur non discrimen, non periculum nisi nimiùm emunxerint: tunc autem *vulgus præceps*, etiam *sine Rectore*; alioquin verè dictum, *nihil ausuram plebem principibus amotis*; hos sibi conciliēt, & saluæ res sunt.

At non conciliauit *Henricus*? sed quos non? non Ottonem Ducem Baioriæ, non Vtonem, Dedi, Egbertum, marchiones, non Fredericum, Adelbertum, Ottonem, Conradum, & *Henricum* Comites, non Bucconem, Wernherum, Hezelum, Eilbertum, Imet & Fredericum episcopos, viros maiores, Moguntinum & Colonienſem, nec principes Rheni, nam hi cæteris se adsociant licèt tardè & oscitanter. Sed quare indignantur hi? quia *Sueuos & externos nullis maioribus ortos ad ampliſſimos honores extulerat*, putà ad præfecturam Aulæ & Regni Administrationem illis posthabitis. An hoc quoque flagitium sacro piandum Diademate? quis Iurium gnarus dixisset? nam princeps *familiares & præfectos*,

ctos, comites & duces quos vult & quousque vult legit, legere quos non vult non ligatur. Reuerà qui sibi sapit & Regno studet, hos solùm vult quos expedit; sed stricto Iure hoc qui Regi præstruit, Regnum destruit: nam rectè Historicus, *Reges sunt Domini rerum temporumque, trahunt consilijs cuncta, non sequuntur.* Est hoc Iustum & Ius principes vestrum sed non tutum; nam qui semper trahit & nunquam sequitur, ipse Imperium destruet & seipsum. Caueant igitur principes, exemplo *Henrici* caueant, est hoc malum malo peius; dum *Henricus* alienigenas & nouos suis sumptibus sibi adornauit, indigenas & nobiles contra se subornauit; seipsum fecit egenum, Indigenas alienos; & quid ei profuit Nouitiorum leuitas & immaturitas, cùm obfuerit Nobiliorum grauitas & radicata stabilitas. Et caueant citò ne serò doleant; nam sapienter de principatu qui principi a consilijs, *gradibus non retroitur, quibus ascenditur; inter maximam enim fortunam & vltimam nihil interest.* Loo. lib. 9. Senec. de Benefic: c:33.

Sed quare fulminat Pontifex? an quia *Henricus* hæreseos fuligine atratus? insania mera: nam sicut eos nihil spirasse præter

ter rabiem semper putaui qui *Gregorium* eiusdem accusarunt, sic nō minus qui *Henricum*. Sed *Abbatiam fuldensem vendidit pro adulterio & forsitan episcopatum prosperto*? non miror, quis enim non mœchabitur cum lenonìam egerint præsules? *ejcitè primum trabem de oculo vestro & melius videbitis festucam* Henrici. Verùm si ob hoc exulabit *Henricus*, quid illi fiet qui quatuor vel quinque aluit concubinas? quid illis *Gregorio* charioribus, (si vera narrant) qui thoro illegitimo Iuncti? Sed delinquit Alphōsus, delirant *Mathilda* atque *Azo*, plectetur *Henricus*: probū hoc tamen & æquatum Iuri? At *Episcopatus vendidit strasburgensem, Augustensem & Ratisponensem ex pacto*. Caueat emptor; nam *sicut in medio compagmis valus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiatur Ecclesia* eccl. 27. Sed quanti vendidit? *progladio*; quis pacati cerebri dixisset? vendidere illi gladium & carè; sed *Henrici* venditio datio est; & vtinam vestri gratiâ eo pretio Episcopatus & Abbatia venderentur hodiè. Istæ minutiæ vestram minuunt fidem, eneruant causam. Quibus autem vendidit? episcopis; bene hercle

Dodechin: an: 1080. in addit ad marian. Scot.

hercle factum quod scortis non dedit, & bene cum episcopis actum, *Quod res suas captas redimant minimo.* Non retinuit sibi, nec donauit Aulicis (vitium forsan huius seculi) nec alio alienauit modo, & tamen grande peccatum & non ferendum? hebetudo mea hoc non capit. *Cæsares* posteri aut *Cæsari* pares episcopatus & episcopatuum Regalia appropriarunt sibi & tamen Catholicissimi audiunt, nec immeritò: *Henricus* episcopatum nec appropriauit sibi, nec alijs donauit sed in ipsos ecclesiasticos pro re nihili contulit, & tamen neque Catholicus, neque Rex; vbi Iuris æquitas? Romæ fingitis & refigitis. Sed aut omnes damnate aut hunc eximite; non illud, quia tunc vestra gratia nulla: si non istud, vestrum Ius nullum.

Carolus, 5. episcopatus traiectensem & vltraiectensem & eius filius Regalia Cameracensis.

Sed quare succenset filius? quia Iure non potuit quod de facto fecit: nam sicut a tanta hostium cateruâ ipsa Salus non potuit seruare *Henricum* patrem, sic a tanto scelere non ipsa *dea flexanima suada* eximere *Henricum* filium. Istam Them istoclis Diuam parui facio & totam gentem oratoriam, etsi non contemno; sed nomen alterius Deæ nempe *violentiæ* vestrâ causâ

principes horreo. Ambæ natæ ſunt vt vobis deſeruiant, ſed nactâ opportunitate ambæ ſæpe, fere ſemper, vt in propoſito, deſerunt. Prior illa non adeo cauenda, *nam auctionantur vbiq; logi*, & linguam ſuam dabit venum, ſi manus veſtra dabit penum: ſed *violentia* vinolentia eſt, & cunctos ab infimâ plebe ad principem Coronæ proximum inſanire & furere facit, vt verè varij veteres. *Nihil in vulgo modicum; in Nobilibus nihil modeſtum*; & *imperium cupientibus nihil medium inter præcipitia & ſumma.* Eorum vos munite monitis; *Coercete plebem* aut cauete; ſi illud, impune contemnuntur, ſi non, ſine diſcrimine non metuuntur, *multæ illis manus ſunt, principi vna cervix*: ſibi ipſis non timebunt modò ei noceant, *nam omnes contempſit qui mortem priùs*; vidimus, heu vidimus Reges magnos ſæpè ſæpiùs & nuper vnum magno Maiorem manu miſelli occidiſſe. Secus cum Illuſtribus agendum: ſeruiant priores aut non parebunt, parebunt iſti, non ſeruient. Spectet princeps parùm ſeipſum atque iſtos; & ab origine. Herus eſt ille & proprie iſti autem Heroes: Si ille Dux hi comites; comitate igitur prouo-

cet non terrore, *Incorrupto tamen Regis ac Ducis honore*, vt non desit reuerentia nec deficiat Amor. Si ille modum non seruauerit, neque hi modestiam, putà in hoc casu, nam *quicquid modestum ignauiæ habet speciem. Pudoris & modestiæ eadem est magistra*, inquit alius sed vere consularis; si igitur principem non pudet hos indignè habuisse, hos non pigebit principem cum indignis perijsse. *Populo vitam eripit qui pecuniam, magnatibus qui honorem*; dignis autem aufertur quod indignis datur. Procerem male agentem comprimat Imperator quemcunque, etiam secundum & tertium, modo pœna sit legalis, causa Iusta & priuata, non socialis; nam neminem subigit nisi subigendos & cæteri dabunt operam: sed non tertium cum *Henrico* promoueat ignobilem aut externum nempe Immeretem; nam causa communis est, nobiles & Gentiles supprimit, neq; deinceps dabunt fidem. Quo se vertet Iurgia si intercesserint? illos non ferent quia Nouos, & magis non seipsum quia causa causæ: & tunc comperiet illud *Anarchicum* esse verum de facto licet non de Iure, *tantum*

valemus nos, quantum vos. Imò ad perniciem magis, nam ille eos *omni alloquio & blandimento inuitabit*, perlectabit; illi eum nullis verbis, *nullo officio inuocabunt*, ſed ſerò cum veteri Romano & cum *Henrico* ſentiet, *multorum odijs nullas poſſe opes reſiſtere.*

De Pontifice & filio quid dicam? vt nihil, ſuadet vtriuſque ordo: vt aliquid horum exorbitantia. Inter Regnantem & Regnaturum quid intereſt? tempus; ſed tempori parendum? ergo contra hunc datur exceptio. Inter Pontificem & Regem quid? diſpar Regnum; ergo huic negatur Actio. Pontificem igitur monentem audi, minantem quare? At neutrum ſucceſſori concedendum? ille artem Imperatoriam diſcat antequàm tempus, vt ſolium capeſſat & ſubditos ex vſu regat, quando tempus.

Hactenus quid Contra *Henricum* factum, & quam ob cauſam: videamus nunc quo Iure, ſc: An Iure & quâ lege? de priore ex dictis ſatis conſtat & tamen quædam dicenda ſuperſunt, ſed præcipua difficultas eſt in altero, ideò hæc primò erit expedita. Quæſtio eſt, qua lege ſit

priuatus

priuatus ſc: ciuili an eccleſiaſtica? & Reſpondeo, non vi legis Eccleſiaſticæ aut ſententiæ qua eum Imperio priuandum decernit Pontifex, ſed prætextu Legis ciuilis ac Imperialis quo eum poſſe priuari præſumunt principes. In hac quæſtione diſcuienda præ alijs mihi Hiſtoricus erit *Lambertus* Scaffnabrugenſis, tum quia eodem tempore vixit quo *Henricus* & *Gregorius*, tum quia eum ob probitatem & integritatem ſuam omnes ſuſcipiunt: præſertim illi qui *Gregorio* & cauſæ Pontificiæ operam dant maximam, nam eum Cardinalis Baronius tanquam fidiſſimum Ducem ad indagandam veritatem nobis & omnibus proponit atque commendat. Tom: 11. pag. 660. in edit: venet.

Et non ſine cauſa ſeligitur probatæ fidei hiſtoricus; nam non vllos aut vnquam magis impingere fecerunt ſtudium atque odium, quam eos qui huius Pontificis & Imperatoris vitas & geſta narrant. Et non mirum: admiſſo enim facinore inaudito & litigantibus *orbis* (vt eos appellant *Hiſtorici*) *principibus* quæ gens non mouetur, qui ſcriptores non trahuntur & pro-

fectò trahuntur quam plurimi, mandato, lubidine aut insolentia facti : Qui Imperatori plus æquo studeant, proh hominum fidem, *sceleris*, *hæresis*, *Blasphemiæ*, imò quo nigro (vt a verbis atrocioribus abstineam) Pontificem non inurunt stigmate? istis Benno (mihi verò ad historiam texendam excardinalis) Architectonicus. Qui Pontificis sequuntur partes Imperatorem quibus mendacijs non conspurcant, historiam quo fuco non colliniunt? sequuntur autem plurimi, quorum pauci placent; inter quos non Bertholdus, qui eodem tempore vixit. Sed multi displicent; inrer quos *Albertus* stadensis & *Helmoldus*, quibus cautè fidem adhibendam prænoneo, nam omnia ad Pontificis arbitrium facta innuunt: etiam Rudolphum eius Iussu electum, cum illum Pontifice inconsulto ad Imperium adsciuisse principes nihil certius. Quod fatetur Baronius, fatetur ipse *Gregorius* & fuisse factum eius iniussu ringitur.

Baron: Tom:11. pag.664. Grego.7. lib.4. ep. 23. & 24.

Rudolphum sine dubio potiùs promouendum Consuluisset Pontifex si ab eo consilium petijssent quam quemuis alium vt in processu litis patet, & ideò for-

sitan

ſitan faciliùs in eum conſentiunt principes: hinc Regem Pontificis ſcito imò mandato datum temerè effutiunt præfati autores. Similiter cùm perſpectè vidiſſent principes *Gregorium totis* vt aiunt *viribus* in hoc incumbere vt exauctoraretur *Henricus*; abdicationem quam in Gerſtengenſibus Comitijs priùs decreuerant, Triburiæ accelerant, aut vt acceleretur ſatagunt: hinc a Pontifice Imperatorem depoſitum clamitant eccleſiaſtici; cùm reuerà quòd luit *Henricus* viuente *Gregorio*, a principibus erat. Poſtea quòd ærumnas ſentit, a filio erat.

Opem autem, etſi non petunt (nam hoc a nemine ſi bene memini traditur) a Pontifice verò oblatam non negligunt; ſuo tamen Iuri poſtferunt, & autoritate duntaxat vtuntur Pontificiâ, vt ſuam iniquam & iniuſtam ſanctiore titulo honeſtarent. Hoc clarè patet ex eorum verbis, *Clariùs* ex reipſa. Ex verbis eorum; dum *extremæ eſſet dementiæ*, aiunt *obvijs vt dici ſolet manibus non excipere & quod Iam Diù præmeditatum ſit vt agatur, tam opportuno tempore non agere cùm leges humanæ & Eccleſiaſticæ ſinant,*

cùm locus & tempus arrideant &c. Pontificem verò ſibijpſis manifeſte poſt habent dum *leges humanas eccleſiaſticis* præferunt: dum autem poſthabent cauſam Pontificis eneruant plane. Et tamen Pontificem idem molientem ſi non admiſiſſent, erraſſent ſupinè; Iuncta enim autoritas & vnita, viz: illorum & Pontificis *Cæſari* abdicando eo tempore Impar erat (quod a vobis notari cupio) nam etſi Dominium non erat natalibus debitum quia oberat Imperij conſtitutio, tamen Imperatorem Ius nulli erat exauctorare quia deerant præſtitutæ leges: ſin aliàs; non nouas & Iuris dubij exaraſſent, ſed iuxta antiquas & Iuris probati Iudicaſſent.

Sed hoc vt dixi Clariùs liquet ex reipſa. Quod vt meliùs pateat, conſiderate mecum ſi placet, qui *Henrico* in cauſa tunc erant aduerſi & a quo tempore. De perſonis ſæpe diximus, ſunt Pontifex & principes, de tempore vt conſtet faciam. Principes a longo tempore in eum inimico & obfirmato fuerant animo ſc: ab ipſa eius pubertate, moti *Saxonicâ* clade & quia illi principes & epiſcopi male habiti: ideo

ideo ſtatim poſt litem à Pontifice intentatam dicunt *hoc ab illis diu præmeditatum vt agatur*, & quod nunc reipſa actum, in conuentu Gerſtengenſi egiſſent eundemque *Rudolphum*, vti nunc, elegiſſent, ſi ipſe magnopere non contraſtetiſſet. *Gregorius* verò ante quartum ſui pontificatus annum nihil *Henrico* aduerſum minitatur aut palam parat (ſecus clam eum & præoccupanter, *etſi concors tunc erat vtriuſq; ſtudium* vt præ ſe ferebat ipſe Pontifex) ſed cum aggreditur hominem, ſerio adoritur & Impetuoſe, ſeriò item principes & feſtinanter. Pontifex 4. vt dixi anno Imperatorem citari facit, *vt feriâ ſecundâ hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima ſeipſum Romæ coram Synodo ſiſteret, de criminibus quæ obijcerentur cauſam dicturus, alioquin ſciret, ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum.* Moras nectit Cæſar, excommunicatur; anno ſequente non purgat, iterum anathema dicit Pontifex & vnâ ſententialiter Imperio priuat. Principes qui vtriuſque mentem & mores callebant, ſc. *Cæſaris* & Pontificis, vttiuſq; (vt ferret eorum opportunitas) faciunt ſibi vtibiles, præſer-

præsertim Pontificis: nam hoc illis & posteris in *sententijs* pontificum *odiosis* semper solitum; aut fastuose negligunt vt in casu *Frederici* & aliorum quos silebo; aut ad tempus rejiciunt & sententiam tempore terunt vt in casu *Ludouici*; at quando tempestiua, admittunt vt in casu *Othonis*; aut ad omnem rei euentum callidè vtuntur & abutuntur vt sibi consulant aut odium vitent, sicut in casu istius *Henrici*. Nam excommunicationis vim ex professo non sugillantes, nouam istam & secularem pontificis potestatem parui, imò nihili faciunt. Atque nihili feciſſe nisi quatenus, vt dixi, insolentiam suam sanctitate quadam honestarent liquidum est: nam sententiæ Pontificiæ Invaliditatem supponentes cõmuni eorum decreto sanciunt, *vt si intra annum ab anathemate non sit absolutus, Regnum sine vlla retractatione*, & iterum, *sine vllo restitutionis remedio amitteret*. Atque vi istius decreti, (cui illi vim & nomen *Legis* tribuunt, asserentes *quod legibus vltrà administrare annuam passus excommunicationem non posset*) non ratione pontificiæ depositionis eum Regno mouent; quod ostendam aperte.

Si

Si non istâ *Lege* priuatus, Quæro primò cur Duces viz. *Rudolphus Sueuiæ, Guelpho Baioriæ & Bertholdus Carinthiæ omnes vias & omnes aditus qui in Italiam mittunt quos illi vulgato nomine Clusas vocant* durâte Anathemate *appositis custodibus anticipant vt nulla illic Henrico copia transeundi ad Pontificem foret*, sc. per annum; nisi vt eo modo Imperator intra statutum tempus ne absolueretur, cauerent? Pontifex qui vice dei præest ad annum aut sesquiannum non tenetur aut intra cancellos temporis vt sententia eius Iure valeat non includitur (nec pontifice minor ac subordinatus) sed si intra annum, valebit ad omnem Iuris intentionem eius remissio anno finito. At principes decreto suo legem dant & concludunt tam hunc quam illum, sc. tam pontificem quam *Cæsarem* vt ex parte pontificis relaxatio eius qualiscunque post annum elapsum ad Regni Ius nihil conduceret. Et vt *Cæsari* post idem tempus exactum Actio non esset de Iure suo repetundo. Ideo *Henricus aditibus sc. clusis* præclusis, per aliam transire viam cogitur nempe per Burgundiam, in quâ quinque Episcopatus ditionibus eius ante subditos perditum

tum ibat & alias insuper non leues difficultates Regiæ celsitudini insuetas subibat & maximam hiemis inclementiam, vt eo modò non pontificis nodum, a quo postea cœlo clemenriore potuisset liberari, sed vt principum (sicut ille suis Italis referebat) solueret vinculum qui stricte ad vnum anniversarium obligassent.

Secundò quæro, si non vi istius *Legis* cur in publicis comitijs *Wecilo Moguntinus* Archiepiscopus *Imperatorem a principibus præiudicium passum contendit quia illo a Papa in communionem* sc. ante diem statutum *recepto, alium super se Regem elevassent*? vt habet vrspergensis. Si enim hoc ideò factum quia (etsi *Henrico* sacram concesserat Pontifex communionem) ei ab eodem munia erant Interdicta Imperialia aut si vllo pontificiæ autoritatis intuitu quod factum erat feciſſent, cur pontificem non causantur principes, intentato hoc ijs crimine a collega & primæ sedis Antistite?

Tertio si nutum aut decretum pontificis expectabant aut si ad *Henrici* abdicationem necessariam putabant, cur legi suæ hanc clausulam apponi faciunt, *si quid horum*

rum (nempe in legi prædictâ contẽtorum) *prænaricetur tum non expectato vlterius Romani pontificis Iudicio, ſe quid Reipublicæ expediat communi conſilio viſuros.*

Quartò quæro, cur ipſe *Gregorius principes eum regno amoviſſe* queritur (nempe ſe inconſulto, aliàs cur queritur?) *eoſq; feciſſe non Zelo Læſæ Pontificiæ ſanctitatis percitos* quare culpat? nam ſi eius conſilio quod factum eſt feciſſent aut eius reuerentiæ cauſâ, tunc ſine cauſa queritur, quia in cauſa non læditur. Sed ſi non eius conſilio factum, tunc liquide non eius autoritate aut arbitrio.

Quinto quæro, cur ipſe *Henricus*, ſe Canuſij contemptiſſime habito, communionem tamen a Pontifice demiſſiſſimis precibus petit, impetratque licèt non ſine læſione maieſtatis ſuæ? reſpondet ipſe amicis ſuis indignantibus, quia aliàs ab anathemate intra annum non abſolutus, *Deinceps iuxta palatinas leges pro aſſerendâ Innocentiâ ſuâ audientiam non poſſet mereri.* Igitur *a Palatinis legibus* cauet *Henricus* non ab Eccleſiaſticis.

Sed hic non leuis oritur ambiguitas, ſc: quæ leges ſint dictæ *Palatinæ*, quorum

ſcito

ſcito datæ, & a quibus ſortiantur vim: nam Eccleſiaſtici forſan has palatinas a pontifice latas innuent; aut ſaltem obtinere robur ſuum, non minùs quam illa quà dantur Electores? in illa errant planè, in iſtis ſi mutirent, delirarent putide; videamus tamen quænam ſint hæ leges, a quibus latæ & de quibus datæ.

Palatinæ leges (nam quæ dicturus in pauca contraham) veteribus dicebantur quæ communi Imperialium conſilio erant ſancitæ; in quibus decernebantur ad quæ teneretur *Cæſar*, ad quæ principes, proceres & Imperij fideles ſeruato cuiuſque ordine; quibus fortunæ omnium eſſent ſubiectæ; & ſecundum quas proſcriptio, exilium & pœna vltima poſſet irrogari. Sedula hiſtoriæ lectio abundè hæc docebit: nam paullo poſt initium Occidentalis Imperij ſc. Imperante *Ludouico Caroli* magni filio tales leges & inſtituta per Imperium obſeruanda in conuentu Aquenſi conſenſu principum & procerum fuiſſe lata paſſim apud hiſtoricos habetur de quibus poſt alios *Nauclerus vol.* 3. *gen.* 38. ſed ea autoritate pontificis fuiſſe firmata aut eius conſenſu approbata nemo refert & ridi-

culus

culus esset qui referret. Illas autem antiquas leges postea fuisse pari consensione antiquatas aut certe non vsu dubias mihi hinc constat (quid alijs ex Archivis *Cæsareis* pateat ignoro) quia Imperante *Frederico* primo de momento huiusmodi legis inter eum & Imperij principes litigatur. Principes antiquam esse legem contendunt, *quod Imperator non possit Ducem aut alium principem Imperij fidelem condemnare aut eis principatum & terras abiudicare nisi in terrâ illius principis natiuâ placitum statuendo*: hanc autem *Fredericus* in processu aduersus *Henricum* Ducē Saxoniæ Iuridico expresse negat; ideoq; postquam Curiam indixerat primo *Wormatiæ*, secundo *Magdeburgi*, tertiò *Goslariæ*, Ducem hâc lege munitum nihilominus condemnat, & non obstante quod cæteri principes *hoc iniuste factum asserebant, quia eum ad obiecta in Curiâ responsurum citauerat contra* dictam *legem quâ cauetur vt principes extra suos terminos ad Iustitiã faciendam aut obiecta crimina diluenda non euocentur*: De quâ lege non incōmode lis erat mota; nam cōtra eam sunt omnes Iudicandi mores & ipsa ratio. Vt homo plebeius aut minoris ordi-

ordinis Nobilis in Ius vocetur aut domi puniatur, periculum non eſt & ſæpe terroris cauſâ commodum; principem vero intra ditiones ſuas aut in medio ſuorum ad pœnam vocari nemo tutum duxit. Hanc autem non allego legem vt iudicetis, dubia ſit vel non? ſed vt videatis, cuius ſit generis,& vt ſciatis ambiguitatem illius vel pluriũ legum nobis non obeſſe ſed valide prodeſſe: nam dubiæ leges bene probant eo tempore tales fuiſſe leges.

Sed vt alios brevitatis cauſa mittam hiſtoricos, in ipſo Scaffnaburgenſi *de palatinis* legibus ſatis conſtat: nam iſte *Henricus* de quo agimus principibus Saxoniæ conventum indicit, locum deſignat & diem dicit *vt Iuſta examinatione habitâ puniat conuictos vel abſoluat Innocentes ſecundum leges palatinas.* Et idem alio tempore, *Epiſcopum Magdeburgenſem, Epiſcopum Merſeburgenſem, Epiſcopum Miſenenſem, Ottonem magnum Ducem & Fredericum Comitem palatinum ab exilio reuocat quos vltimo ſupplicio potuiſſet plectere Iuxta Palatinas leges.* Nunc igitur omnia clara nihil dubium. Iuxta leges Palatinas Imperiales cuiuſcunque ordinis *puniuntur vel abſoluuntur*

vuntur. Pœna iſtiuſmodi; minorem tacebo, *ad exilium damnantur*, *ab exilio reuocantur*, *vltimo ſupplicio plectũtur*. Iſtæ leges communi conſilio ſunt datæ, iſtis legibus pœnæ mandato *Cæſaris* ſed conſenſu principum ſunt irrogatæ: ſecundum iſtas leges Iudicantur principes ab Imperatore & nunc Iudicatur Imperator a principibus iuxta eaſdem. A põtifice non eſt quod *Cæſar* Iudicat principes; a pontifice ergo non eſt quod principes iudicant *Cæſarem*. Vtrumque iudicium ſecundum eaſdem leges; earundem legum eadem autoritas; eiuſdem autoritatis eadem qualitas. Cum igitur *ſecundum leges Palatinas* obtenditur abdicatio, leges ciuiles intelliguntur, leges Eccleſiaſticæ excluduntur.

Sed dum Laruas & inania terriculamenta, ſcilicet ſententias principum & Pontificis diſcutimus, triplex adhuc reſtat difficultas priuſquam ad filium a quo pater perterritus & reipſa Imperio priuatus, veniamus. Prima eſt, an ob nullitatem aut inualiditatem decreti aut facti principum, Pontificis ſententia ſit ſuper-adiecta aut ideo poſtadmiſſa?

nam hoc nō ſuppoſito fruſtra ſunt Aduerſarij quicquid conentur. Scio aliam eſſe a Pontifice latam & contra *Henricum* intentatam, ſed ſi non ideo admiſſam & irrogatam probaverint, futiles ſunt quicquid allegent. Secunda an iſta *Henrici* abdicatio ſit legi (quâ obtenditur) Palatinæ de facto conformis. Tertia, an ipſa lex ſit Iure lata.

Ad primam reſpondeo quod non: nam etſi gravatè pontifici accidiſſet, quod non expectatâ in omnibus eius voluntate Imperium *Henrico* tam citò abdixerant, *Rudolpho* acceleraverant; non tamen vt iterum conuenirent, aut vt Ius ſuum & ſententiam agnoſcerent potiorem aut haberent mandat. Neque ſi mandaſſet, obtemperaſſent principes: nam primò vt *Henricus* quovis modo abdicetur properant; ſecundò Iuri ſuo & Imperij (quantum per ipſorum odia & ſimultates liceret) proſpiciunt; tertiò de Iure pontificis nouo & inaudito non quærunt. Illius opportunitatem & conuenientiam arripiunt, ita tamen vt eius inſolentiam & inde pendentem autoritatem, ne admittatur aut poſtea ſtabiliatur, callide & valide

valide vitent: nam eodem tempore quo abrogatur *Henricus* ſubrogatur *Rudolphus*, cui confirmando apud pontificem dant operam exorbitantiâ ſuæ contra *Henricum* ſententiæ non agnitâ neque ſecundâ de *Rudolpho* electione factâ, imò non notâ in eum conſenſione datâ. Iſtis actis moritur *Gregorius*, & cum eo iſtius Iuris pro prima inſtantia aſſertio. Succeſſores eius ſententiam excommunicationis confirmant & repetunt, ſententiam depoſitionis horrent aut præ horrore, ſaltem verecundiâ tacent: ſed *an ſit ab illis renouata vel non, variant ſcriptores*, vt vere Albert. Krantius. Hiſt. Sax. lib. 5. Cap. 18.

Secunda eſt, An Iure abdicatus *Henricus* ratione iſtius *Legis Palatinæ*? & dico ſimiliter quod non? nam quî poſſet eo ante diem in lege ſtatutum ad communionem recepto. poſtea adverſus eum ſententiâ iteratâ (Anathemate intra annum non relaxato) valere poſſit; ita tamen quòd hâc conceſſâ excluduntur *Gregorius* & ſucceſſores, & eorum ſententiæ qualeſcunque: ſed iſta fundamentalis deſtructio qua impetitur *Henricus*

& de facto ſubſtituitur *Rudolphus* (a qua totum oritur malum & quam tot a tergo ſequutæ ſunt turbæ vt ſi ea nunquam inchoata fuiſſet aut ſi infecta fieri potuiſſet, (fremat & meditetur inane licèt pontifex) tam enormem molitionem ne cogitatione quidem vnquam inceptaſſent principes) omni Iuris prætextu deſtituitur.

Tertia eſt, An ipſa lex ſit Iure valida? & dico etiam quod non: nam primò, pleno Imperio, nullubi feruntur leges decreto principum aut ordinum niſi accedente Imperantis aut Regnantis autoritate, quæ dum ipſe vivit regnatq; principalis eſt. Secundò non poſſunt principes aut ordines leges condere quibus obligetur iſte Imperator qui de præſenti regnat, ſecus forſan futurus Rex aut Imperator; ſed non ſceptrum actu tenens quia ea lege ſceptrum non ſuſcepit, & quia ſubditi dum ſubditi non habent Imperium in principem; multò minus leges dare poſſint quibus amoveatur; nam hoc cõceſſo, tunc conueniendo legemq; ferendo, ad libitum poſſent eum amovere: quod principi (loquor de principe dato non nato) in ſubdi-

tos primarios non conceditur ſed tenetur ad leges præſcriptas. Secus forſan vt dixi vacante Imperio, quia in eo caſu penes eos ſuprema & poteſtas eſt ſola, ideo autoritate eorum tunc leges dari poſſint quibus teneantur futuri Imperatores aut Reges, qui hac lege eligi ſolent vt præſtent Iuramentum de legibus latis obſeruandis. Sed ſaniorem puto opinionem & Iuri atque Regiminis naturæ magis conſonam, ad leges condendas ſemper requiri plenum Imperium. Cum vero hæc lex lata ſit *Henrico* principatum tenente ſed conſenſum non præbente, omni Iuris prætextu orbatur; nam Imperatori vt dixi non conceditur magnatem aut virum Illuſtrem proſcribere niſi ex præſcripto legis antiquæ aut pleno conſilio approbatæ, multo minus non ſubditis (licèt principibus) abdicare Imperatorem: iſta ergo lex nullatenus contra *Henricum* valida, & inſuper eſt ipſo Iure nulla. Non igitur *Gregorio* rebus turbidis defuit numen, ei quid in Imperio futurum eſſet [illegible] præmonſtrans ſc. *eo anno Regem falſum morituru*m, ſed ſeipſum ſuo fefellit interpretamento; nam non *Henricus* verus Imperator quem ille morituru-

rum prædixerat, sed moritur *Rudolphus* sine fide se ad regnum promoveri sinens, sine Iure regnum sibi adrogans. Falsus fide vanâ spe rescindendo, falsus Ius regni sine titulo capessendo. Dum dextra, quam contra suum dominum armaverat, abscinditur, pœnâ periurij luit. Dum vitâ quam *Hen* ob priuata sibi beneficia & toti fereq; soli genti suæ cõmunia a longo tẽpore debuerat amittit, pœnam summæ iniuriæ solut.

Nunc ad filium ventum est cuius vnius scelere pater Imperio cadit & vitâ: nam vt diutiùs staret Impossibile, qui diu externa tabe languens, ab intestino exeditur. De quo me pauca dicturum præmisi; & ante me pauca dixere alij: nam vere vir probus, *Bellarunt in se germani aliquando fratres, pugnarunt in aduersos coniunctissimi, sed filium insurgere patri res est sine exemplo*, & Cinus sine patrono; ideo desunt blandiloqui qui laudent, desunt Historici qui probent, deerant eo tempore principes aut præsules qui suaderent, etiam plebeij, ed forsan mali, qui se vltroneos darent: sed vdẽs ipse filius põtifici & principibus placturas quas faceret turbas, omne fas & nefas transgreditur, vt in Historia liquet.

Exter-

Externã nihilominus præ ſe ferebat ſanctimoniam: nam *Epiſcopis & prælatis eccleſiaſtica tractantibus niſi rogatus non ſe immiſcebat*, eorum tunc veneratus poteſtatem ſcilicet, ſecus verò poſtmodũ: ſed patrem regno deturbat, ſacroſanctum eius Imperium & maieſtatem nihil veritus. Habuit tamen exemplum pietatis & probitatis non mortuum, nempe *Conradum* fratrem maiorem veræ ſerenitatis & Religionis principem, cui (vt eius minor & mens leuior poſtulaſſent) animum ſuum & ſtudium addixiſſet, ab omnibus bene; dum autem aſpernatus, ab omnibus male audit. *Cauebadus patris mores & vitia*, inquit vnus, *deteſtatus, nullum tamen coram ſe male de patre loqui ſinebat, ſemper illum Dominum Imperatorem appellans*: ſed *Henricus* patrem coram alijs traducit ipſe, & vt (patre eximperatore) alios in partes deducat ſuas, æquum & filiale ducit. Et in hoc quoque vult eſſe probus; nam *ſub obtentu melioranda reipublicæ & reſtauranda Eccleſiæ* tragediam & funus incipit. Etiam *in lachrymas effuſus*; quid enim non effinget vesana dominandi lubido? præſertim cui comites tremor pauorque qui huic erant cottidiani: nam

(quam probus castigator & quos castigauit statim videbimus) sceleris sibi conscius, cum ad manus conserendas ventum erat, funus horret, scelus fatetur suum & Ius patris, *Pater est, Dominus est, Imperator est, vertamus gladios in vaginam, consilio pugnemus non armis*, id est arte & technis, sc. (nam hoc cogitabat vt est in Historia) vt pater spõte cederet non vt in acie caderet, & si caderet vt manu alterius, licet dolo & ductu suo.

Omnia vt dixi sub zelo & religionis velo tegit & hâc fronte *patri insurgit*: veritas verò historiæ est, *filius Henrici a patre auersus, quoscunque potest, secum ab eo auertit, & in partes trahit suas*; sed *trahit* nam sponte obuiam veniunt nulli. *Saxones reperit voluntarios*; petiti igitur se dant, vltro non dedunt: cæteros verò volentes non inuenit sed facit. Non autem mirum ei præsto fuisse Saxones, qui ab inito Imperio patri semper fuissent aduersi. *Noricos* idest, Bauaros & Austriacos *conciliat sibi*, sc: præce aut pretio. *Suenos quoque consociat & nobiles ex francia orientali*, putà deditâ opera sua aut suorum; nam vt dixi deerant qui eius imperio operę, voce, aut voto

voto nisi ducti obsequi vellent. Sed e contrà nunquam defuere nec desunt qui illud tam de Iure quam de facto verbis acerrimis grauique censurâ de industriâ sunt insequuti, ijque viri sanctissimi, fidissimi & probatissimi, tam quia sine fuco quam sine fraude, inter quos vnus verè pius (ecclesiasticus quoque) *ei tot accidisse aerumnas tot miserias* (non quia summum Pontificem & colendissimos præsules contemptim & nequiter exceperat) *sed quia patrem miserum fecerat* ratus est. Werner. de sex. ætat. mund.

Videamus nunc quam bene ipse moratus, quos mores castigauit & quorum? ad omnia respondebo breuiter. Ecquid boni ab eo sperandum qui patris Imperium contemnit? hercle non; cui enim parcet qui non patri. Minus ab eo qui Imperium a patre arte & fraude euincit? sed prorsus nihil ab eo qui patrem ob improbitatem, vt aiunt, abdicatum malitiâ & improbitate superat? talis *Henricus* Iunior. Præsertim si spectabimus Ecclesiasticos; nam eum sola eorum gratia perstringam, vt agnoscant iniuriam *Henrico* patri intentatam & vt videant quomodo deus sæuitiâ illius filij vltus sit Insolentiam *Gregorij* in

filijs

filijs ſuis id eſt in ſucceſſoribus & *Clericis*: nam quos leui manu agitaſſet *Henricus* pater, eos pugno & manibus contractis exercet *Henricus* filius, vt verè dicam *minimus eius digitus patris dorſo groſſior*. Vi: *Henricus* pater quoſdam præſules fugat, ſed non Papam; nam ex ſeipſo fugit ille quia *Cæſarem* eo tempore fugare non potuit. Quoſdam etiam Iuxta leges proſcribit, quoſdam tamen ex gratia (ex metu inquiunt illi) ab exilio reuocat. Sed *Henricus* filius *ipſum Summum Pontificem paſchalem* 2. pacis amantiſſimum, & *Cardinales ſatellitum manu capit*, captiuos abducit, Incarceratos detinet, *Clerum ſacris veſtibus ſpoliat*, *quoſdam Iuxta Aras occidit*, reliquorum iugulos vt cruore eorum Pontificem & Cardinales expiaret mox peciturus, *niſi ipſe Pontifex & Cardinales pro omnia* in licitis & illicitis ei *parauiſſent*. *Henricum* patrem Epiſcopatus vendidiſſe fama eſt? hoc crimen ipſe purgabat aut vt coram principibus purgaret paratus erat. *Dic Domine Moguntine, dic Domine Colonienſis quid accepi*? Sed dic accepiſſe? quid demum? rem nihili & triobularem vt amplas & opulentas conferret prælaturas.

Sed

Sed quibus tandem confert? ipsis Episcopis ad quos de Iure pertinebant. Religiosus princeps, cui nihil prius aut Augustius quam vt sacra a sacratis possideantur? sed filius per omnia dissimilis, *Ducatum franciæ qui ab antiquo ad Ecclesiam Herbipolensem pertinuisset, Conrado Nepoti suo concedit Aulico.* Ecce Aduocatum vestrum Ecclesiastici? Probe vos vindicat dum ad carcerem & crucem vocat. Et res vestras bene procurat, dum in laicos confert.

Concludo igitur cum patre & Imperatore de eius ad Imperium accessu; *manifestum est eum non diuinæ Legis zelo vel Romanæ Ecclesiæ dilectione sed concupiscentia regni, patre iniuste priuato hoc incepisse.* Dico cum patre & Pontifice de eius in imperio incessu; *Ecce virum iniquum, virum sanguinum & dolosum?* Et dico vaticinium eiusdem Pontificis de eius ab Imperio decessu esse verum, *obiit in medio dierum suorum, neque prolem vidit, neque senium attigit, neque temporum meruit tranquillitatem.*

In literis ad principes morantes Coloniæ in castris. Pasch. 2.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Ius bonum orabat Otho sed non exorabat; putá vt sibi prodesset : nam facilè repudiant, in quem non facilè consenserant. Imperio priuatur quia prælio, non placito destituitur.

CASVM *Othonis* expediam breui, & contra Pontificis potestatem. Neque tamen illis, qui de *Othonis* Iure nullo arguunt, adsentior : nam principem *nullarum virium*, quem ideo ridiculum habuit Rex Galliæ, quia, etsi electus, id ambiret; *nullarum opum*, nisi quas ab auunculo *Iohanne* Angliæ impetrauerat; & quem omnes putabant Imperio imparem, duobus modò ex septem suffragijs Imperium adeptum, & in iniuriam *Philippi* filij & fratris *Frederici* & *Henrici* Imperatorum: præsertim cum hi duo qui nominantur postea relicto *Othone* ad *Philippum*, non autem tanquam ad rite electum sed tanquam ad nobiliorem & potentiorem transeunt, mihi [illegible] Neque verò Historicis fidem abrogo; hoc enim semper prauum duxi: sed fortasse ex septemuiris qui primis Comitijs

mitijs intererant duo tantum pro *Othone* ſtabant, nec plures pro *Philippo* certum eſt; nam eccleſiaſticum principem in eum conſenſiſſe nuſquam conſtat. Ex quatuor verò ſecularibus *Bohemus* eo tempore neque Rex erat neque pleno Iure princeps elector. Ex duce Rex factus eſt in iſto *Othonis & Philippi* Schiſmate, & plenum Ius Electoratus poſteà Imperante *Carolo* 4. *Bohemi* filio ei defertur; *editâ deſuper Bulla in quâ ſimul declaratur* Bohemiæ *Regem inter ſeculares principes primam habere vocem*, cùm ante id ſolum habuerat votum deciſiuum *cæteris paribus vocibus inuicem diſſidentibus*. Ex tribus reliquis vnus erat *Henricus* comes palatinus *Othonis* frater, qui totus incumbebat vt promoueretur *Otho*; igitur duo tantùm ex electoribus ijque ſeculares pro *Philippo* manent. Vnde autem conſtat nullum Eccleſiaſticorum a *Philippi* fuiſſe partibus? hinc non ambiguè; quia in hiſtoria paſſim habetur, *ſecularis potentia eum* Philippo *videbatur, eccleſiaſtica pro* Othone *ſtabat* & idem patet ex c: *venerabilem* de electione, dum Pontifex neminem eccleſiaſticorum quaſi *Othonem* in Iure Imperij inquietauerant culpat

Krantz. Hiſt. Sax. li. 9. c. 29.

culpat sed solummodò Ducem Carinthiæ & principes *Bauariæ* atque *Sueuiæ*, Sed ex Ecclesiasticis pro *Othone* qui stabant; an solus *Colonienſis*? quid dici possit ineptius, *ecclesiasticos fuisse cum* Othone, cum vnus tantum eum elegisset, duo *Philippum*? ideo necessario dicendum ex tribus duos ad minimum eum elegisse aut in eum consensisse si non totum Triumuiratum. Si autem duo, satis est: tertius enim cum *Philippo* non erat, sc: Conradus Moguntinus, *nam eo tempore aberat in peregrinatione ad terram sanctam* & in reditu moritur prope *Antiochiam*. Ad demortui principatū aspirant Sifridus & Lippoldus; ille *Othoni* fauens, hic *Philippo*: a Pontifice verò præfertur *Sifridus* quia sibijpsi & *Othoni* vtilis. Sed vt hanc difficultatem absoluam; *Otho* dicitur *a duobus electus*, quia præcipuâ, strenua atque indefessa *Adolphi Colonienſis* & *Henrici* fratris operâ electio ei cesserat, & non quia deerant alia vota ad legitimam electionem, saltem ad dubiam sufficientia. Dicitur quoque *Philippus a maiore principum numero* Henrico *fratri patrique* Frederico *subrogatus*, non quia a maiore Septemuirûm parte electus, quo-

rum

rum sola autoritate res eo tempore non adeò strictè agebatur, sed quia ab omnibus *Bauariæ, Sueuiæ* & *Franciæ* principibus quorum tunc magna autoritas, ad Imperium certatim erat postulatus. Eorum autem autoritatem hac in parte eo tempore fuisse magnam clare probo; quia *Innocentius* 3. vt Imperium *Othoni* firmaret, ad Ducem Carinthiæ *vt a Philippo recederet* scribit, cuius tamen suffragium stricto Iure erat nullum, c: *venerabilem* suprà. Verum dic eum, viuente *Philippo*, duobus tantùm suffragijs sustinuisse litem? at post mortem *Philippi* omnes in conuentu *Halberstadensi* pleno adsensu in eum conuolant an: 1208. exceptis Bauariæ, Sueuiæ & Franciæ principibus qui tunc aberant, sed postea in comitijs Francofordianis pleno cõsensu in Ius eius eunt. De *Othonis* igitur Iure nullatenus dubitandum. Locatus nunc est in solio maiestatis suæ, votis certe & suffragijs principum sed non sine Pontifice. Deiectus etiam est; hercle non sine Pontifice, sed ad arbitrium & placitum eorundem principum, quod nunc ostensum eo: nihil interim tacens quod a Pontifice factum & quare; quid a principibus

pibus admissum, quo tempore & cui bo-
no? quibus dictis patebit Pontificem nunc
vt sæpe, principibus vsui fuisse, vt finem
honestarent suum, aut vt impotentem a-
bigant Imperatorem; principes nunquam
Pontifici paruisse vt eius agnoscant pote-
statem, aut vt Pontifex de autoritate su
certioretur, quo nihil contra ipsum in cau-
sa possit esse magis exertum. Dissidium
inter Pontificem & Imperatorem sic pri-
mò oritur *Otho* acceptâ coronâ & Bene-
dictione, de Iure statim suo licèt in inju-
riam eius Pontifici mouet litem, sc: *Mathil-
dis* amitæ suæ *Comitissæ potentissimæ here-
ditatem, quam illa Ecclesiæ legauerat vendi-
cando.* In hoc autem arguendus *Otho*; nam
Dominia & possessiones quæ a fœmin
possidentur Iure proprio & libero, (puta
sine vinculo primogenij aut familiæ) non vi
deo quæ Iura obstent quin a fœmina
tantâ præsertim principe disponantur. D
primæuis porro donationibus vere Reg
um & fulgoris sui Serenitati congruum
duxerunt omnes principes aureo illo pa
chalis Papæ effato non contrauenire. (Pr
mæuas reor quæ intra annos post *Carol*
quingentos sunt donatæ) *Ecclesia primi*

uis temporibus, quum sanguine Martyrum diffluueret, apud deum floruit, inter homines conculcata. Succesſere tempora, quibus Reges & principes in eam verſi, munificentia plurima condecorarent, prædia & poſſeſſiones in eam conferentes. Habeat mater Eccleſia Dona principum, diſpenſet, conferat; tribuat quibus de Iure poterit & voluerit. Hanc hæreditatem duplici Iure ſibi aſſerit *Otho*; 1. *quia legitimus hæres ſuæ amitæ* 2. *illo autem Iure non extante directum dominium vacantis feudi redibat ad Imperium.* Hic etiam merito culpandi Eccleſiaſtici, forſitan ſummus Pontifex; terras poſſidebunt, ſed vacabit feudum, licèt onus contraxerit quàm minimum. Non hoc dico quaſi æquum cenſeam ſummum Pontificem teneri ad obſequium perſonale quod in feudis frequens eſt, (ſecùs alij quantiuis fuerint) ſed vt præſtet *munera Realia* ad quæ obligantur dominia eius vtilia, & non vt dominium vtile Pontifici donatum aut Eccleſiæ, ſemper tranſeat in directum. Sed ego pergam.

Neque Romanæ Eccleſiæ prædia iſto titulo inuadit tãtum, armiſque infeſtat, ſed etiam in Apuliam vertit agmina, quam

Predericus Henrici Imperatoris filius. Impuber Iure materno tenebat. In minutis cur tempus tererem aut vos tenerem ? de omnibus commonefactus *Otho*, ab alieno non abstinet manum; quod ergo fieri assolet; *Anathemate* percutitur. *Ille ab iniurijs nihil temperat*; igitur quod proximum est Romæ deponitur, depositio principibus significatur, Sifrido Moguntino Archiepiscopo (qui primarius princeps) vt indicto cõuentu ille & cæteri de debita sententiæ executione cogitent, & vt de nouo eligendo videant, Iniungitur. Hic Pontificis contra *Othonem* processus, hæc periodus; cui quid sit ab *Othone* dictum contrà, quid a principibus & quam validè, eâdem breuitate videbimus.

Otho cui in Pontifice quondam maxima, nunc spes nulla, principum, quorum interest, serenitatem implorat, & de Iure informat: *vestri Iuris esse fatemur non Romani Pontificis Imperatorem creare & simul destituere*. Et profecto ad rem orator probus: nam dic Imperatorem ex causa posse destitui, certé hoc Ius Pontifici competit aut principibus collectiue sumptis, non vtrisque. Vt possit ad huius aut illorum arbi-

trium

trium destituí facit a consensu exiliens Imperij constitutio; vt ad huius pariter & illorum possit, contra est per consensum exuperans Imperialis celsitudinis fastigiũ: nam si quem supra omnes sc: homines & ordines posuimus & colimus, si infra omnes subsequentis ordinis nempe Regij tantum supponeremus quantum fingimus vizt illi ad nullius arbitrium amouentur, hic ad plurium in diuiso, nihil est consilio principum indignius, nihil viris principibus deformius. Vt autem *Cæsar* casu aliquo exauctorari possit licet maior, Reges non possint etsi minores? vitari non potest, quia illorum Regimen est naturale, huius (abstrahendo a Regio) conuentionale est, Cum autem a conuentione sit, ad quid valeat Ius eius; ex conuentione etiam est ad quid teneatur Ius eius. Eum verò supra omnes euehi & plusquã omnes oneribus premi, aut ad plura teneri quam necesse est, ridiculum est, ignominiosum est. Imperatorem igitur ad quorundam censuram in composito teneri si velint necesse est, quia eorum consilio eum dari compertum est: sed pluribus in diuiso subijci inconsultum est, non verebor dicere, turpe

est, honorantibus & honorato; nam eum in maxime Sublimi locarunt solio vbi nihil solidum, & in quo se solum in lubrico positum & contemptui expositum contempletur.

Vni igitur cuidam, singulari aut collectiuo istud Ius (quo *Actio* in Imperatorē possit intendi) competere verisimile est: vt pluribus competat, stupidum est. Istud autem vnicum ex natura rei ad principes pertinet non ad Pontificem; indicant etiam verba Imperatoris, docet Imperij positio, *nam quorum est constituere, eorum est destituere* & insuper exempla eorum, qui legali modo fuere exauctorati nec postea ad audientiam admissi, probant. *Carolus Crassus Ludouici* pij nepos, nascente Imperio, (quando autoritas Pontificis in Imperium præsumitur fuisse Maxima vt pote ab eo si istis credimus nuper datū) a proceribus sine interuentu Pontificis, *quia displicuit*, in quit vnus, veriùs puto *ob defectus corporis Imperio priuatur anno sui Regiminis vndecimo, ei subrogato Arnolpho* Carolomanni *filio*. *Adolphus* etiam Nassouiensis ab eisdem destituitur; *ob superbiam* inquiunt

Frising: lib. 6 c. 9.

quiunt nonnulli, verius puto quia *male erat fidei & turpi luero deditus*: nam 100 millia marcarum in rem Imperij impendenda acceperat ab *Edwardo* Angliæ Rege vt in omnem rei euentum a copijs Imperialibus ei forent contra Galliæ Regem ſuppetiæ. In vtroque falſus, Imperij fit exors. Iacturam facit æris ſui Rex noſter; principes ſpei; ſperabant enim ſicut erat conuentum, nummum in vſum publicum fore erogatum, ille ſibijpſi it emptum Comitatum; Adolphus fidei & Imperij. Abdicatur item *Wentzlaus* Caroli 4. filius, *ob ignauiam & deſidiam* inquiunt multi, verius puto quia *Iura quædam Imperij cum conſenſu patris vili prætio vendiderat, quædam etiam eripi paſſus eſt.* Quis in caſu horum querulus Pontificis, vt remedium adhiberet, perculit aures? aut vt amouerentur opem eius emendicauit? aut quis Pontifex vt ſuper his videret aut de cauſa cognoſceret Iuſſit? ne vnus quidem; ad principes ſpectat hæc cognitio, a principibus pariter decernitur depoſitio.

Sic Pontifex impetiuit *Othonem*, ſic *Otho* repulit Pontificem. Nunc reſtat

vt videamus quid principes, quorum eſt placita admittere vel excludere; hunc abrogare, alium ſubrogare; ſuper his viderint ac ſtatuerint: nam fruſtra Romæ a Pontifice Imperio priuatur, qui in Germania autoritate principum Imperij potitur.

Pontificis ſententia, vt dixi, Sifrido Moguntino Archiepiſcopo tanquam principi primario exequenda mandatur. Quid ille? principes conuocat, depriuationem Romæ factam publicat, de ſententiæ validitate differit, de executione vt curent rogat. Quid illi? omnes reclamant, Imperatorem quem nunquam magni nunc pluris non faciunt, Imperium tamen deſerendum non ſentiunt, ideoque de Pontificis Iure nullo conſentiunt. Et conſentiunt omnes præter ipſum Archiepiſcopum & *Hermannum Thuringiæ* Comitem. Sed an acquieſcit Moguntinus? non; ſed de Pontificis autoritate, *Othonis* indignitate regerit. Quid iterum principes? nudis verbis prius, nunc dentatis & vimineis reſpondent; ipſum Sifridum tanquam Imperij proditorem vniuoci habent, vnanimes adoriuntur,

riuntur, in eius principatum irruunt, ipsum Archiepiscopum fugant; qui cæteris exosus ad Hermannum Thurungiæ fugit, eius solius fidei sese credit & tutò latet. Quis nunc fuco aut Cauillo locus, cum Pontifex nullâ *Othonis*, quem Imperio indignum putabant, habitâ ratione, sed solius Iuris intuitu excluditur? an quia postea alius subrogatur, Pontificis Ius de nouo firmatur? nihil minus; nam primò Pontificem omni Iure Exuunt; quo excluso, *Othonem* quoque post amouebunt si expediat aut prout inter seipsos conuentum erit. Ideo considerandum dixi, *quid a principibus admissum, quo tempore & cui bono*: nam non Pontificis Sententiam primò admittunt, contra ipsum Pontificem post excipiunt; sed primò Pontificem excludunt, posteà de reipsa Consulunt. Et *cui bono* noua fit substitutio? vt ecclesiæ melior fiat prouisio? quis dixisset cum *Fredericus* sit subrogatus, quo iniquiorem (si seipsam spectabit) Ecclesia vix vidit? adde, cum hunc passi fuerint Pontifice magis quam contra *Othonem* fulminante, eumque passuri

vsque ad vnum Nestoreum si tamdiu vixisset ; Quod mihi leuiter prætereundum non videtur.

Notandum igitur est quod ego sæpe in rigidis principum aduersus Imperatores decretis obseruaui ; viz: eos semper magis ad Imperij fulgorem & maiestatem quam ad strictum Ius in illis collimasse : ideoque Imperatoris indignitatem aut impotentiam magis inspectasse quám exorbitantiam. Cur enim abdicatur *Carolus* ? ob defectus animi aut Corporis? quosputas, veteres an aduentitios ? si illos ; culpâ eorum electus, non ob suam reprobatus. Si hos ; de defectu extrinseco, aut de Gibbosis reor leges non cauere sed cauent principes præter Leges. Quia verò legali modo fuerunt Hic & alij abdicati, de Iure eorum repetundo nullæ turbæ, seditiones inde oriuntur nullæ. Cur etiam Adolphus abrogatur? quia Regem Angliæ frustrauerat, aut Comitatum sibi emerat? Tricæ; de illo videat Rex, istud cõcederent principes si ferenda alia; sed quia sordidus, tantoque honore indignus : & similiter contra *Othonem* erant mediocritas eius & Impotẽtia,

Imperij

Imperij maiestas & amplitudo. Multum etiam ei oberat, quod *Fredericus* eligendus proponitur (cui ad Imperium nonparum conducebat generis nobilitas) *Henrici* Imperatoris filius, *Frederici* primi Nepos: quæ enim *Othoni* objiciebantur vivente *Philippo*, magis obsunt æmulo *Frederico*. Non tamen contemnendus *Otho*, stemmate paterno ex ducibus Saxoniæ ortus, ex Regibus Angliæ materno, etsi in lineâ Imperiali alteri postponendus.

Sed maxime obstabat quod vires eius fractæ & bello attritæ: atque hoc modo. *Fernando* filio Regis Portugalliæ, Comiti Flandriæ cũ Galliæ Rege erãt Inimicitiæ; ille a Regis potentiâ viribus suis haud satis munitus, se in manus ac tutelam dat Regi Angliæ; is *Othonem* ad arma contra dictum Regem vocat. In martem omnes compromittunt; res prælio decernitur: Gallo cedit victoria. *Fernandus* capitur, incarceratur per decennium; *Otho* infœliciter fugit, aufugit tamen & *in Saxoniam reuertitur, sibi indignatus* inquit vnus, *quod consilium sumpserat oppugnandæ ecclesiæ:* non equidem inficior, sed magis arbitror

quia

quia vires & copias quibus seipsum sustentaret alteri subveniendo attriuerat. Hinc ruina *Othonis*: nam res eius deploratæ, & perditæ, *Frederici* vero domi agentis & rem suam seriò sapientis validæ, auctæ. Ab hinc in *Fredericum* omnes suspiciunt, *Othonem* omnes despiciunt. Et iam ruit alias forsan regnaturus; *nam qui vsque in eum diem pro eo senserant, nunc eum deserunt.*

Caput Septimum.

Litẽ sustinebat Fredericus *quia* Cæsar *quam sustinere non potuisset si maiestate non munitus: nã omnia ea oberant, exceptis vnctione sua & fide suorũ.* Illa sancta in nõ sancto, ideo non violanda: *Ista firma in infirmis, ideo Imperium illi manebat firmum. Perdidit operam suam Pontifex, non ius suum Imperator.*

LIs *Frederico* ab *Innocentio* intentata nobis non officit; quoniam vero adhuc sub Iudice, causam vestram medullitus conficit: nusquam enim melius aut magis patet quam valida sit Pontificis vera & realis Iurisdictio aut quousq; penetret; neque quam languida & ipso Iure inualida

aut

aut quam facile excutiatur ista ficta & vsurpata potestas quam in vnico *Frederico*. Et tamen si vnquam Iure mota aut fortiter acta & quasi ad vmbilicum perducta, in vnicum certe *Fredericum*; serio adnitentibus Gàlliæ & Angliæ Regibus sed in propria aliorumque principum capita vt subsequentia sunt documenta, quibus supersedeo, quia vnius *Frederici* nunc agitur causa. Videntes præfati pij principes, quibus nihil erat *Augustius*, quam pietatem colere & matrem Ecclesiam (cuius lac melle dulci dulcius tenelli suxerant) nunc viri facti attollere & ornare; *Frederico* vero eiusdem matris aurâ lætificâ & salutari nuper præ socijs afflato nihil prius quam eidem matri *Parapherna* detrahere, & eius facultates ad furcas rapere: omnem mouent lapidem vt ei ponant obicem. Et quia Pontifex atque Ecclesiastici erant persona læsa, ille autem qui ex officio eorum Iuratus vindex, de facto periurus mastix: ideo autores sunt vt illis cederet punitio & animaduersio quibus acciderat auersio & accesserat perditio: non autem principes in re consulunt aut ad partem Iuris vocant, ob duplicem rationem.

Prima

Prima eſt, quia haud mihi conſtat ſupremos principes hanc poteſtatem ſubditis (quãtiuis ſint vt de principe ſuo Iudicent) conceſſiſſe. Et profectò hoc loquuntur omnia iura, ipſa ratio ſc. primaria, licèt particulares leges aliud caueant. Secunda, quia pontifex & Eccleſiaſtici erant læſi non principes, ideo illis dant operam non iſtis. Præcipue pijſſimus *Ludouicus*, qui vt ſicut dixi, a Pontifice & Prælatis, quibus illata iniuria, decernatur vindicta, non modò conſilium dat ſed vbi tutò conueniant locum præbet nempe lugdunum, *& eorum quæ ab illis aduerſus* Fredericum *in cauſa forent decreta ſe propugnatorem ſpondet*. Hinc fit quod *Ludouico* cauſam orat Imperator non Pontifici (quod notandum propono) quaſi Ius ſortita fuiſſet ſententia depoſitionis a potentia *Ludouici* magis quam ab autoritate *Innocentij*, vt patet in eius literis ad Regem miſſis in quibus ſententiam ex parte pontificis nullam eſſe contendit ob triplicem defectum: primũ ponit in incõpetentia iudicis, & recte; ſecundũ & tertium in mala fide litigãtis, quos ego prorſus mittam, quia ab alio & alio tempore allegantur *Cæſare*, niſi hoc

vnum

vnum tantùm indigetando; cauſam *Cæſaris* eſſe Iuſtam & Iure probandam hinc conſtet, pontificis vero Iure enervem & omnino dubiam; quia ille rationibus & litis conteſtatione cauſam paratus eſt tueri ſuam; Pontifex vero viribus Regis fidens, ſola vi & manu armata ſuam propugnare nititur.

Sed hîc vnum occurrit dubium, quod niſi explicetur nobis officiat multum; nimirum *Ludouicum* & alios principes qui *Innocentio* in cauſa adhærebant contra nos ſenſiſſe & pontifici legitimam de Imperatore Iudicandi poteſtatẽ feciſſe? concedo, nam res aperta eſt nec diffitenda; ſed eos niſi in ſolos Imperatores hanc poteſtatem conceſſiſſe aut agnouiſſe non conſtat quod magis contra vos eſt: nam hinc manifeſte probatur hoc Ius eſſe priuatum non commune, & eſſe diſtinctas quaſdam rationes cur de iſtis Iudicarent & non de alijs. Hic ex parte noſtra non leuiter prætereundum eſt quod antiquiores Papæ poſt iſtud exortum dogma ſolos *Cæſares* de facto agitarunt & eorum Iura pauxillatim & raptim vellicarunt, ſaluis interim alijs principibus & eorum dominijs. Sic

Gregorius

Gregorius 2. Iura Italica (si aduersarijs credimus) *Leoni Iconomacho* subtraxit, sed in hoc ineptiunt; ad rem verò est quod *Iohannes* 22. Iura mediolanensia Imperante *Ludouico* conatur auferre, necnon eius successores regnãtibus *Carolo* 4. & *Wentzlao* eius filio. Sed missis istis, etsi hanc pontifici potestatem in Imperatores concesserint alij principes; non tamen *quia Cæsar feudatarius Domini Papæ*, nam hoc Cardinalium & patrũ Viennensium scitum est, non horum; neque his vnquam venit in mentem vt patet ex responsis *Ludouici* & *Philippi* Regum Galliæ ad *Fredericum* & *Ludouicm Cæsares* & ex literis ab eodem *Philippo* ad Pontifices missis, in quibus nihil tale insinuatur, sed ob duas alias rationes, veras quidem (intellige in quibus tenent & ad quæ dãtur) & a pijs non negligẽdas, stricto tamen Iure non validas. Prima est, quia ad fidei exemplar & normam obligatur *Cæsar* nempe vt sit Catholicus, non autem alij principes; & Electores de tali eligendo tenentur: quod secùs est in successione aut substitutione aliorum Regum aut principum. Secunda est, quia constitutiones Imperiales Pontifici potestatem faciunt

faciunt de Imperatore electo cognoscendo, eius electionem ratihabendo & ob Iustam causam frustrando: nihil autem tale Iure communi ei competit neq; tale concedunt patriæ leges aliarum gentium in principem inauguratum aut inaugurandum. Neque obest quod hæ leges & cautiones Imperiales sequutæ sunt hanc litem (sc. Imperante *Carolo* 4.) non præcesserunt: nam hanc potestatem pontifici nunquam negabant principes, neque eorum decretum tempore quo editur, hanc prius Pontifici fuisse illicitam indicat sed potiùs fuisse licitam, verùm quia va cãte Imperio in ipsũ Imperij Ius seipsos immisissent Pontifices & plura quam æquum erat vsurpassent, ideò nunc ad strictiora sc. ad solum Ius & æquum obligant. Quod ad primam rationem attinet; cùm hic vnus nempe futurus *Cæsar* ex vniuersa Christiani principatus coronâ collectiue sumptâ sit selectus, cumque orbi Christiano tanquam Christianæ fidei præ alijs patronus & vindex præficiatur, in isto requiritur vt sit moribus probatissimis conspicuus, fideq; integerrimâ, sc: *Non Tyrannus, non hæreticus, non sectarius*, quod in alijs principibus accurate

accurate aut ex officio non quæritur, ſed in *Cæſare* ex neceſſitate, atque adeo ſtricte vt (quod ſedulò eſt conſiderandum) nunquam principes negauerint ſe ad hoc obligatos vt principem probum & ſolum Catholicum eligerent, ſicut manifeſtum eſt ex articulis Francofordianis in celeberrimo Imperialium conuentu & non ſine conſilio aliorum principum editis inter quos intererat Rex Angliæ *Imperio nihil debens* inquit Hiſtoricus. Neque Electoribus (vt laxius habeant ſuum Ius) prodeſt, quod non pauci hæretici & ſectarij ſe Catholicos dici geſtiant, quaſi per hanc variam nominis acceptionem non teneantur ad vnius generis Catholicum: nam is in hoc caſu Catholicus cenſetur qui Romano Pontifici, cuius conſenſus & approbatio attenditur, eſt Catholicus. Sin vero Iudice Pontifice in hac parte peccauerint Electores ſc. ei non Catholicum præſentando, tunc eidem Pontifici (quod ſecundam attingit rationem) Ius habetur declarare Electionem illam eſſe irritam & ipſo Iure, dictante eodem, nullam; & tenentur principes ad vota tranſire ſecunda. Sicut etiam (quod notatu quoque dignum eſt)

est) Electores neminem queant valide eligere nisi Catholicum, sic etiam Pontifex in neminem debet consentire præter Catholicum. Quod non negat *Benedictus* Papa toties admonitus a Rege Galliæ in causa *Ludouici Bauari*, vt *secundum exempla Antecessorum ab Hæretico benedicendo abstineret manum*: (vnde etiam cōstat quā ob causam hanc in *Cæsares* potestatem Papæ concedunt alij principes) neque negabat Papa ad hoc se obligatum, sed hoc solum in Rege culpabat; *quod hodie ei est hæreticus, qui pridie non erat.* Cum autem ad Pontificem secundum Imperij leges spectat vt de Electo cognoscat, vt Electionem de hæretico aut sectario factam non habeat ratam; & cum ad eundem Pontificem de hæretico verè & proprie pertinet Iudicium (sc. vtrum sit hæreticus vel non) adde quod mores *Frederici* hæresim, etiam quandoque atheismum dicebant, aut ad ad vtrumque parabant viam: non mirum est putasse pios principes ac Reges hoc de Frederico Iudicium ad Pontificem & concilium pertinere non ad principes; præsertim cum in casu Heresis præsumptio est pro Pon-

tifice. Sed re penitius inſpectâ cum ab initio ex parte principum valuerit electio, & ex parte Pontificis ſolus conferatur Coronæ ritus & Benedictio: ſi *Cæſar* quondam legalis aut probus, euaſerit *Iuris diuini & humani violator* (quod de *Frederico* dicitur) non ſufficit iam quod reclamat ſummus Pontifex cui adclamauerat, aut quia execratur quem prius benedixerat, ſed expectandum eſt eorum Iudicium (ſi Iudicium ſit penes vllos quod ego vix credo) a quibus datur, non eius a quo benedicitur: nam ſicut Pontificis conceſſione non datur *Cæſari* poteſtas, ſic ad eius cenſuram non tollitur Ius; ſed vt dixit *Adrianus*, *ab electoribus datur Imperium* (ſecus eo Iudice *Imperatoris nomen*) ſic ab Electoribus (ſi ab vllis) auferetur Imperium & non ſecus nomen: nam acceſſorium (dato quod ſit acceſſorium non coniugatum) principali adhæret, principale comitatur, vnaque perit; & patet in *Frederico*.

Si autem vt dixi vnquam hanc litem ritè intentarunt Pontifices, fateor in *Fredericũ*? cum autẽ fruſtra fuerint in caſu ejus fruſtra eſt quicquid pro iſto Iure poſtea aut

aut posteri verbis conceptis orauerint. Si etiam ob culpam sine lege licuisset pœnam decernere, quæ non in *Fredericum*? cui Iura humana & diuina, non Iura non limites. Verùm non satis est quòd Iura transgrediuntur aut limites transiliuntur; sed requiruntur leges, vt irrogetur pœna: aliàs *vindicta soli Deo est*, qui modum culpæ & qualitatem personæ intuetur, ad leges aut decreta non tenetur. Atque hic casus est noster, in quo supremis principibus asserо priuilegium. Et asserо constanter: nam vt scitissimè B. *Ambrosius* de Regibus delinquentibus, *ad pœnam nullis vocantur legibus tuti Imperij potestate*, (dico ego ex mente illius & aliorum) *Maiestate*; hoc enim eis competere ratione *Maiestatis* non *Potestatis* non est ambiguum, quia *Maiestas* est quæ in illis semper est sacrosancta & intemeranda, *sancta in non sancto* vt diximus ex Canone, non *Potestas* quæ sæpe ratione temporum & amicorum intenditur & remittitur, flaccessit & est eneruis; atque patet in *Frederico*. Vbi ille deliquit, ego incipiam; in quo & a quo ille non decidit, ego desinam.

Fredericus πολυγλωττος, quod in eo recte notat *Philippus Melanchthon*, ſuis nec placuit nec profuit; nam cum linguis peregrinos didicit ritus ſicut cum lingua Sarracenica mores externos & incultos ad ſui ipſius & orbis Chriſtiani non leue damnum. Quæ enim Chriſtianis in illo ſpes, cui Sarraceni tam chari erant? aut quid ab illo expectandum cui ſacra erant infidelium capita, fidelium vilia? Si pubertatem eius & primum virile Iubar intuebimur, nihil quod non pudicum quod non pròbum inveniemus; ſed hoc Conſtantiæ matris ſuæ principis optimæ, *quæ prudentia & conſilio eum diu vitijs cohibuit* inquit Hiſtoricus *pietati* dandum, non probitati ſuæ. Verùm ſi ſequentem inſpectabimus vitam, multa occurrunt principe ſplendidè nato, pie educato, eximijs animi & corporis dotibus imbuto, in optimis artibus erudito indigniſſima, putà Ingrata, turpia, ſceleſta, ſacrilega, inhumana. Vna deërat hæreſis, non tamen hæretici mores; ratione quorum maius ſibi ſuiſque a principibus imminebat periculum, quam a ſummo pontifice ob alia delicta cuiuſcunque

que generis. Neque deërant mores suprà quam in principe Christiano autumare fas est, Ethnici, adeo vt istis attentis, potiùs inter principes Mahometanos, aut semichristianos, quam inter sacratissimos *Cæsares* & *Augustos* Christianorum vindices sit locandus.

Ingratum est quod Pontifici cui pupillarem regiè & optime locatam debuit ætatem multa mala et molesta infert. Et cuius vnico voto factum fuit quod dum de Imperio consulitur in votis principum solus erat; & cũ assidua eius opera, vt multi postea, qui *Othoni* prius studuissent gnauiter, in eius transirent partes, impetrasset; huius vt esset oblitus aut huic vt nihil concederet, noluit Regia serenitas.

Turpe est & Imperiali fulgore indignissimum, non quod ditiones alienas & oppida vastabat, quædam nullo Iure occupabat; nam hoc speciem quandam maiestatis possit habere, sed quod opibus & bonis aliorum sordidè inhiabat. Exemplum habemus in *Hassiæ lantgravio* principe optimo & ditissimo; qui postquam ad bellum sanctum maximo & splendissimo ornatu & apparatu se parauerat, pro more ad *Cæ-*

ſarem totius exercitus Ducem ſe confert, Brunduſij illo ægritudinem ſimulante vnà moratur, ſed æſtatis caumata homo *Germanus* non ferens moritur. Vice pompæ funebris quâ tantus honor tantaq; principis virtus ornari & efferri decuit, *in eius equos, arma, argentum, aurum et ſupellectilem lautiſſimam* non honoris ſui, imò non vulgarium morum habita ratione inuolat *Fredericus* & dein Brunduſio ſoluit: non vt muneri ſuo aut ſuorũ votis ſatisfaceret, *ſed vt prædæ odium declinaret.* Soluit & in expeditione illa maieſtatis ſuæ fulgorem diſſoluit; ſimulat, diſſimulat, moras nectit, remoras fingit, deniq; reuertitur nihil quod viro principe aut homine cordato dignum perpetrato.

Impium eſt, ſceleſtum eſt, quod expeditionem ſanctam aggrediens *Raynaldo* Siciliæ adminiſtratori mandat *vt omnes eccleſiaſticos* (pontificis puto odio) velut aduerſantes haberet. Magis quod Oratores cuiuſq; generis & ordinis, nobiles & doctos vt de re communi & terrâ ſanctâ viderent, a principibus & ciuitatibus miſſos terrâ, mari intercipit; captos ad carceres trahit, incarceratos in vrbem protrahit, malitiæ

ſibi

sibi conscius aliorum consiliũ suum suspicatur periculũ. Magis adhuc (si magis scelestum quod magis infestũ) quod fraterno *Guelphorum & Gibellinorum* dissidio Italiæ & Italis damnosissimo causam dedit. Sed huius rei dubia est fides, cum autẽ summo opere foviſſe non est dubiũ. Maxime autẽ scelestum est, si criminis reatum spectabimus, quod belli intestini osores sc. qui neutrius erant partis sed almæ studebãt paci, *nõ minùs quam qui* diuersarum erant partium depopulatur.

Sacrilegũ erat & non tacendũ quod Monasteriũ Cassinense a S. *Benedicto* fundatũ, tot tyrãnis & hæreticis principibus sacrũ, non diruit quidem (hoc recens & huius seculi excogitavit prauitas) sed irruit nõ minùs quam in alia loca sacra, vasa aurea & argentea exsacrat, frangit, in nummos redigit vt proh scelus Sarracenos alat. Inhumanum erat & intima naturæ Iura soluens, *quod filiũ interfici iubet; eruentũ Imperiũ* inquit vnus *quod suis visteribꝰ nõ parcit*, quòd vero filio optimo & bene merenti nõ parcit crudelis pater, scelus est atrocissimũ & non sine sanguine (suo dicam ex euentu) expiandum. Quem filium si fuisse ad Im-

periij Ius vocatum & rite inauguratum considerabimus, nunc rex est, vnctus est, in quem quicumq; peccauerit, in caput suum peccat: ideo hoc crimen non ferendum sed in ipso *Frederico* pœna vltimâ protinus castigãdum etsi patre, nisi quòd *Cæsarea (quæ fuit)* majestas eũ exemisset, quod vos scio adnotabitis. Vna deerat dixi hæresis sed nõ hæreticæ simultates nã tamdiu ille & *Conradus* ejus filius fautores & protectores erant *rusticis illis & friuolis prædicatoribus in Sueuia donec pene omnes nobiles eos deseruisset*, & *Cõradus* filius ejus coactus sit de provincia clã egredi. Sed ei rem nihili fuisse & nulla sollicitudine cauendã ne hæreses & prauitates dogmaticæ pullurarent abunde cõstat, dũ sedes Apostolica ejus culpâ amplius sesquianno vacat; & tandem assiduo & indefesso *Baldwini* Imperatoris *Cõstantinopolitani* & *Raimũdi* comitis *Theloſani* intercessu fatigatus, ægre tamẽ Cardinalibus licẽtiã & copiã cõueniẽdi facit et eligẽdi: satius imò satis consultũ populo Christiano æstimãs, vt eis deforet pastor, modò sibi castigator. Atq; hoc ego semper in *Frederico* maxime mirandũ cẽsui & ideo ejus exorbitantiã fuisse majorẽ duxi, quod ipse

Catho-

Catholicæ fidei per omnia amplexator, tamen nec Ecclesiasticorum quos prece aut pretio in sua vota trahere potuisset (traxerunt alij) ope, nec propria autoritate Pontificem dedit vt *Henricus*, *Ludouicus* nec non alij, sed orbem Christianum membro principali & patre suo orbari passus est; non quòd Pontificem Rei Christianæ minus vtilem ratus est hic quam illi, sed quia inter Ecclesiæ præsules ne vnus erat quem sibi fautorem sperabat aut tam malitiosè delinquenti futurum causæ Actorem. Et rei exitus indicauit: nam mortuo Celestino, post 20. menses eligitur Sinibaldus *S. Laurentij* Cardinalis *Friderico* amicissimus hoc vnico intuitu, vt *lites inter Cæsarem & Ecclesiam motas componeret*; fertur tamen respondisse *Fredericus*, *bonum se amicum Cardinalem in acerrimum hostem Romanum Pontificem permutasse*. Quo dicto, vicem anxius, suam innuit malitiam, cui deditissimum Pontificem fore amicabilem desperabat.

Sed ad Ethnicismum mores eius conducere dixi? & res aperta est dum Tunetein Regis Africæ fratrem Panormi baptizari cupientem prohibet. Quod non ideo

factum

factum innuo quasi *Frederico* placuisset principis Infidelitas, sed quia magis placuit vt Infidelis ante Baptismum periret quam vt post baptismum *Romam ad Pontificem accederet*. Sed magis patet dum Sarracenos inuitâ Christianâ fide ac pietate adeò charos habuit & necessarios: Languidum Imperium, & nisi ipse Deus Sanctitatem & maiestatem Coronæ respexisset non principis, inauspicatum, quod opem paganam in medio terræ sanctæ petit, captat, fereque eâ nititur? Sed ferendum equidem censuissem si Sarracenis fauisset modò; nam hoc modo vt recta eos ad cultum Christianum duceret, Præsumptio esse posset: cùm vero eos opibus, honoribus, imò magistratu auxerit, quid aliud est quam gratiam principis ambientes (ambiunt autem semper plurimi) ex Christianis Sarracenos facere? Neque hic eius Beneficentiæ modus aut finis; sed amotis Christianis, ciuitate eorum donat Sarracenos, sc: Luceriâ Apuleiæ, quæ postea Luceria Sarracenorum appellata est. Neque solùm ciuitate & mœnijs eos cingit sed lege munitissimâ; ad rem certe accommodatissimâ, reipsa vero maximè iniustâ

fiue

siue spectabimus Christianos siue ipsos Sarracenos, nempe *vt contendentes cum illis impunè occidantur*, puta si possint capi, si verò non possint, *vicina regio vbi quæstio haberetur, homicidium aut dissidium æris summâ lueret.*

Deus Bone quanta fers mala vt tua suggerantur magnalia? Imperat Christianis qui demptâ Coronâ non dignus est vt viueret inter homines; & sacra sustentatur Corona a sacerrimis, plebeijs & alienis; quæ demolitur a Sacratissimis, Nobilissimis & intimis. Atque manet sacra non de facto solùm (quod cauillantur Aduersarij) sed etiam de Iure; nam veritas sunt eloquia tua, *Regnare facis Impium & Hypocritam*, quare? vt habeant Pontifex, proceres, aut populus quem deponant? putidè; sed vt discant Pontifex, proceres & populus cui pareant aut saltem manus abstineant: si verò non, *Regnare* tamen *faciet* Deus, inuitis illis & contranitentibus. Quibus fidit *Henricus* in *Italia?* Sarracenis. In Germania qui fidi? Reuklingenses; & hi *Henrico* subrogato non cedunt, *sustinent nec sunt superati ab illo.* Moritur iste, accitur alter, nempe *Guilielmus* Hollandiæ Comes,

Comes, princeps inclytus & Bellicosissimus ; qui primam coronam petiturus, Imperium ingreditur, præliatur, pellitur: a quibus ? ab Aquensibus , fideli potius quàm forti operâ. Cæsar certe vix vllo munitur Iure, qui primâ coronâ destituitur, quod a vobis notandum est. Domum igitur regreditur *Guilielmus*, mox quidem reuersurus, sed maiore cum infortunio; ideo imperat *Fredericus* maiore cum gloria & firmiore Iure, humilibus & infirmis validè causam eius orantibus aduersus principes & potentes.

Sed hic occurrit quædam difficultas, imò primò aspectu contrarietas ; fouet Sarracenos *Fredericus* & sinunt subditi tam Nobiles quam plebeij ; fauet modò hæreticis, nō sinunt nec hi nec illi. Hoc ad illud conducit quod priùs dixi sc: quantopere *Cæsari* cauenda sit hæresis. Subditos siuisse illud nō hoc certū est, & non absque ratione duplici: Imperio & subditis ne occupet error, ab hæreticis grande periculum est; ab ethnicis nullum est, aut leue est. Altera quæ præcipua & ad rem nostram quoque facit ; Sarracenos alebat in *Italico* solo & natiuo Regno, sed Hæreti-

cos

cos in ſinu Imperij; aliud verò eſt Dominium Regis, aliud Imperium *Cæſaris*. Præterea ſi Sarraceni aut quiuis alij *Cæſari* fuerint vtibiles in *Italia*, principibus placent; nam quod ibi infæliciter euenit *Cæſari* perit non illis, ſed ibi aucto *Cæſare*, per hoc acceſſio fit Imperio : quod verò male ſe habet in *Germania* aut perditum it, ſibijpſis damnoſum eſt aut perit. Ab vtriſque igitur tam Sarracenis quam hæreticis malum quod ſe attingere poſſet videt *Fredericus*, & quid vtriſque faciendum perſpectè cernit; ideo Sarracenos lautè curat, ab hæreticis prudenter cauet. Et cauet omne malum quod vitæ ſuæ, animæ, aut Imperio ſiue de Iure ſiue de facto imminens putabat. Contra Pontificem in Iure Imperij excipit; vnde patet quam eneruis & non verenda eius ſecularis poteſtas. In reatu animæ placat; vnde etiam conſtat quam validum & venerandum Pontificis ſpiritale Ius : nam iniuriam prætio æſtimabilem ei illatam compenſat, & inſuper multa ſupererogat; & ideo inter auctores Pontificij Dominij ſemper habebitur. Nobiles conciliat; inſidias vitat, non minùs Imperij quam vitæ ſecurus : neque priùs illud

illud amiſit quam hæc, & vtrumque forſan diù Fœlix tenuiſſet (nam ad omnem regiam ſe compoſuerat ſerenitatem) ſi externà vitans mala, domeſtico non perijſſet ſcelere.

De *Frederico* & eius Iure ſat dicta ſunt, ſi Eccleſiaſtici illis acquieſcerent quæ alijs abunde facerent ſatis. Sed plus apud illos valet vna ſententia a Pontifice lata, (ſit de re competenti & in foro ſuo ſiue non) quam mille Doctorum hominum ſenſus & tota Imperandi ratio. Quid enim Iure *Frederici* magis liquidum? omnium ſuffragijs eligitur, Pontificis voto maximè auſpicatur. Sed execratur Pontifex quem priùs benedixerat? ergo maledictus poſſidebit Ius ſuum qui fauſto potuiſſet omine. Et quare non; nam quid aliud execrando poteſt inferre, quid aliud ex ipſa execrationis vi elici? ratione Pontificiæ Benedictionis Ius ſuum non accepit, quo pacto eo execrante amitteret? Sed vna cum anathemate Pontifex eum verbis conceptis regno priuat? nihil agit; nam aufert quod non dedit, cum contrà ſunt ratio, natura & omnia Iura. Verùm ad mandatum Pontificis Electores, a quibus Ius ſuum accepit,

eo

eo destituto alium atque alium substituũt? Hìc vnum occurrit de quo non sine causa conquerar; Imperium Pontifici esse subordinatum non credo, sed historiam esse cerno. Non hoc dico *Historicos* falsi arguens, sed quia omnia non narrant culpo, nempe vtrum omnium quorum intererat votis hic abrogatus, illi subrogari; si non omnium, tunc quotæ partis & quorum, vt de validitate Electionis Iudicetur. Alios fuisse subrogatos ex historia constat, nec minùs maiorem partem principum secularium toto tempore a lite incepta & potiorem a *Frederici* stetisse partibus. Sed dic elegisse? *Frederico* igitur Iurè abdicitur Ius suum? non sequitur nam secundum leges acquisiuit Ius, secundum leges oportet vt amittat, alias non. Neque obest quod in schismate sit electus cum Ius postea acquiratur, eumque habuisse verum nemo dubitauerit; aut igitur leges proferant principes iuxta quas abrogarunt illi aut alius, aut abrogatum non dicant illi nec alij. Sed Iure consultos manet hoc Iudicium, sc; vt dicant cui Imperium Iurè abrogatum, cui Iure delatum: nam is est Imperator (præsertim post mortem litigantium)

gantium) qui Iure consultis est Imperator, id est, eorum est dicere quis secundum Iura & leges tenuit Imperium & cuius Edicta vim habent legis, cuius non. Et licet Pontifici Ius esset Imperium abiudicandi, tamen Iureconsultos maneret Iudicium vtrum Iure factum vel non; nam vacillat sententia, quando materialiter vel formaliter defecerit Iudex: & in hac ipsa lite *Fredericus* excipit non modò contra iniustam Pontificis sententiam sed contra iniquum processum. Consulendi igitur nunc sunt inter alios Iure consulti, si quid apud illos de Iure *Frederici* post sententiam depositionis a Pontifice latam forsitan constet. Si nihil constaret, causa tamen nostra potior ob dictas rationes; si quid vero constet, res pro nobis clara est: constat autem luculenter. Quod vt vobis melius pateat, quædam sunt ordine repetenda de Pontifice & principibus, sc: quid ab illo & istis factum *Frederici* gratia vel ingratijs, de Iure ipsius *Frederici*, *Henrici* & *Guilielmi* viz: adiudicato & abiudicato: & quædam insuper addenda, sed omnia quam breuissime.

Fredericus ab Honorio Romæ Coronatus

natus, post acceptam Benedictionem Pontifici vale dicit. In discessu multa a famulis eius & satellitibus in Pontificis iniuriam patrantur; *Cæsarem* de Iniuria monet Pontifex: ille suos non inhibet, nec ipse abstinet. Pœnam minatur Papa; *irridet ille & magis aduersatur. Anathemate eum percutit Pontifex; ille exardet magis & insanabilis permanet. Imperio igitur a Pontifice priuatur & subditi a fide liberantur.* Contemnit *Cæsar*, sed de Imperio cauet.

Lite nunc motâ principes cui fauent? *Frederico* opera deditissimâ. Maiora autem quam quæ contulerant, in ipsum *Fredericum* conferre non possunt; in filium gratiâ eius possunt & conferunt: *Henricum puerum decennem, inuito Pontifice, in Regem Romanorum eligunt.* Nec dissentiunt principes ecclesiastici quorum interest; nã *ab Engelberto Colonienſi Archiepiscopo Aquisgrani coronatur & benedicitur.* Sed postea forsan *Pontificiæ autoritatis zelo moti Fredericum* deserunt & Papæ in eum amouendo studeant? non; sed pergunt *Cæsari* in Iure Imperij fauentes magis. Potioris Iuris quàm quod accepit *Henricus* nec illi autores possent esse, nec ipse viuente patre

erat capax, sed erat vxor eius tam Iuris quam Honoris? hanc officio potissimo promouent: nam in conuentu maximo & si splendorem & numerum principum spectabimus, omnium celeberrimo viz: præsentibus sex Archiepiscopis, *Moguntino, Treuirensi, Colonien si, Salisburgensi, Magdeburgensi, & Bremensi cum suis suffraganeis, Duce Austriæ, Duce Bauariæ, Duce Brabantiæ, Lotharingiæ, Duce Carinthiæ, Comite Palatino Rheni, Comite Flandriæ, Lantgravio Thuringiæ & multis alijs principibus dicti Henrici vxor in Reginam vngitur & Coronatur.* Tantum igitur aberant principes (non sine consilio Iure consultorum quo ei firmarent Imperium) a *Frederico* ad Pontificis mandatum extrudendo aut de eius Iure dubitando, vt quantum in ipsis erat Imperium ei facerent hæreditarium satagunt.

Sed principibus *Frederico* vt dicitur fauentibus qui euenit quod ad mandatum Pontificis subrogantur alij? Subrogatos fuisse *Henricum* & *Guilielmum* credo sed a quotâ Electorum parte non video & fuisse a legali aut sufficiente non censeo; in eos enim seculares principes non consensisse mihi

mihi pro explorato est, saltem non in *Henricum*: nam eligitur, ridetur, *Rex Clericorum* dicitur. Nec in *Guilielmum* omnes Ecclesiasticos consensisse mihi non minùs certum, viz: non *Colonienſem*; probatur quia prima corona negatur, cuius ille tatione principatus sui fere semper custos, ac Dominus. Atque hæc sunt quæ a te Grauis lector serio examinari vellem 1. qui vnquam legitime electi & primæ coronæ non potiti? 2. quid de Iure eorum sentis aut sensere alij qui nudè designati aut in schismate electi, primam coronam non sunt adepti? scio de Iure nullo respondebis; ideo hi duo Historicis non magis *Cesares* quam si non nominati fuissent, Iure consultis non magis, quam si non nati: ab illis in *Cesarum* albo non locantur; ab istis, quod vtrique factum est pro non facto habetur.

De Iure eorum nullo sat dictum est. Nunc si ostendero *Friderico* suum, etiam post depositionem ex mente Iureconsultorum mansisse verum & validum, quæ contrà afferentur euanescent singula. Ostendam autem *luce* vt dicitur *Clarius* aut in arte sua, atque re grauissima & maximi momenti

momenti errarunt omnes Iureconsulti ab eo tempore vsque nunc: quod qui temerè effutierit, hunc ego mihi dari cuperem, vt sibilis accipiendum vobis cordatis exponerem. Cum varia & diutina fuissent bella inter Imperium & quasdam ciuitates Lombardiæ tempore *Henrici* 6. & durante minore ætate ipsius *Frederici*, cum dictis ciuitatibus iste *Fredericus* post depositionem pacem init; & vt inter Imperium & dictos Lombardos firma maneret Autoritate *Cæsareâ* in ciuitate Constantiæ sancit. *Quæ pacis Capitula* habentur pro lege, non obstante quod post depositionem erant sancita: & allegantur a DD: ad L: *Imperium* ff de Iurisd: omn: Iud: & ab aliquibus (inter quos *Baldus*) ad hunc modum allegantur *Capitula pacis post depositionem facta*; non quasi minùs valerent aut obtinerent quam leges priùs editæ, sed vt scirent omnes ea non minus esse valida & obligatoria quam si ante depositionem fuissent lata. Si ille non *Cæsar*, istæ non leges; si istæ non leges, errarunt legistæ omnes & errare alios fecerunt; si errant in arte sua, vertatur forum in aruum & de Iure respondeant Rustici. Nunc igitur

ora veſtra Eccleſiaſtici æternum opprimite; ſi viuida & Iure valida Pontificis ſecularis poteſtas cur non in *Fredericum*? cũ non in *Fredericum*, certe in neminem aliũ.

Caput Octavum.

Secùs in caſu Ludouici; nam eum exemiſſet cauſæ æquitas etſi priuatus, & ſolummodo quia Cæſar, impetitur ab inimicis, inuitis legibus & ipſâ Theologia. Cauſam proinde eius loquuntur Iura & ipſi Theologi, nec non vnus, Pontifex, metu tamen & exemplo factus Aduerſarius. Sed Deo probitati cauſæ & ipſius Cæſaris fauente, obeunt Clemens, Iohannes, & Benedictus Pontifices. Imperat Ludouicus.

SI omnia quæ in iſto contra *Ludouicum* proceſſu occurrunt accuratè euentilabimus, Pontificibus ſunt aduerſa, ipſi *Ludouico* ſecunda; ita erat probitas principis, ita cauſæ. In illo nullum crimen, intellige tanto piaculo delendum aut diluendum; ſed dogmatis prauitas prorſus nulla. Quòd hæreſeos arguitur, quaſi *Cæſari licere orbi Chriſtiano dare Pontificem* dogmatizaſſet, friuolum eſt; inſimularem *potiùs* ipſum Pa-

de Immortalitate aiæ.

pam eius inimicum nempe *Iohannem* & in re grauissimâ, (nam insimularunt non pauci nec mali) sed eum posse excusari puto, *Ludouicum* verò posse credo. De facto reuerá Antipapam dedit; sed excusatur a Benedicto, *quod fecit, prouocatus fecit* & ardentiùs non feciſſe miror: eum enim suprema potestate munitum & tantâ maiestate vnum e suis ad Papatum prouexisse non rarum? sed maiore molimine non promouisse præsertim cum Papa se alium daturũ *Cæsarem* toties minitatus fuerit, est rarissimum. Sed membratim sunt omnia tractãda, verũ breuiter, quia pauca occurrunt difficilia, quo verò nos premamur, nihil. Primò autem monendi estis, mihi dum Regem orno; omnes esse priuatos qui primâ & suprema potestate non sunt donati putà ex debito aut gratia: & video alijs itẽ fuisse, sc: omnes *qui Iure nõ muniũtur vt possint supremæ resistere*; & alios nõ solũ hominum conditionẽ sed bonà ita distinxisse, nempe in Regia & priuata. Illis *fides bonũ commune* est, etiã nunc mihi, qui debet, priuatus est; cui debetur, Rex est. Illius Ius quantũcunq; fuerit, *auferibile est*, disputabile & dependẽs est; huius licèt (si amplitu-

Waremand: de Erenb: berg: de fœder: N. 242.

dinem

dinẽ ſpectemus) minus ſit, potius tamẽ eſt, intrinſecũ eſt, & ſubiecto ſaluo auferibile nõ eſt. *Ludouicus* verò ſi ſolo dependẽti aut ſubordinato fultus fuiſſet Iure, tamen ſine iniuria non cecidiſſet, tanta erat cauſæ æquitas.

Sed de vero *Ludouici* Iure *Cæſareo* ambigunt nonnulli ob defectũ tam in electione quã in cõfirmatione? Hoc nobis nõ officit; nã ſi nõ verè *Cæſar*, tunc eius exẽplũ nihil ad rem: ſi autẽ vero Iure Imperator, & nullo Iure neq; omnino, (Põtifice toto in hoc incũbente) factus eximperator; tunc cõtra Põtificẽ nihil magis, nihil magis pro nobis, quod nunc oſtenſũ ibo. Et vt ſit oſtẽſũ oportet; aliàs inania de Ludouico exauctorãdo tot litigia, & futilis tota iſtius capitis ſtructura. De cõfirmatione ſat dixi ſuperiùs has quæſtiones explicãdo, *an Corona a Põtifice adepta ſẽper dat titulũ*, & *an electio principũ coronâ a Põtifice non petitâ aut non impetratâ dat Ius & titulũ*. Sed fortaſſe de *Ludouico* cõfirmato vix ſatis. Ius *Cæſari* cõfirmatur dũ triplex Corona adipiſcitur & ne quis de Iure ſemi-pleno argueret, triplici donatur *Ludouicus*. Primam accepit Aquiſgrani ope Archiepiſcoporũ *Mogũtini*

& Treuirensis; secundã mediolani, sacrãte episcopo, auxiliãte Galeatio; tertiã Romæ, vbi a Stephano Colũna Coronatus est autoritate senatus Romani.

Sed vt *Cæsari* electo Ius plenũ & firmũ acquiratur, requiritur vt *S. Pontifex* cõfirmet aut vt habeat confirmatũ; *Ludouicus* vero ab eo nec cõfirmatus, nec approbatus? resp: vt Imperator plenũ Ius obtineat, nõ necessaria est Pontificis approbatio, neq; vt ab eo habeatur confirmatio, sed necessario requiritur vt ab eo petatur cõfirmatio & vnà Corona; si vero (*nisi manifesta causa obstiterit*) confirmare negauerit, cæremonia Coronæ nõ adeò strictè ei manet obligata, quin ab alio possit haberi, sicut habuit *Ludouicus* (postquã negasset Papa) a Senatoribus Romanis *hoc Ius sibi competere asserentibus in casu quo noluerit Pontifex.* Imperante verò isto *Ludouico* in celeberrimis comitijs hoc Ius eis ablatũ video, (nã tacita lege aufertur, quod sine lege cõstat, licèt forsan nõ sine Iure) nec tamẽ soli Pontifici delatũ, sed *cuiuis Catholico Pontifici* cõcessũ *in casu quo negauerit Pontifex* his verbis, *Electus insinuetur Romano Pontifici* quòd sit *princeps Catholicus, Iustus, Imperio dignus petatur*

In concil: francof: Krantz: li: 9. c: 15.

petaturq; Coronatio; quæ si negatur, sumatur consecratio a quouis Catholico Pontifice. Sed antiquis Cæsaribus Pontificia Causæ cognitio aut approbatio non adeò videbatur necessaria vt patet dum *Henricus* & Conradus Pontificem non adeunt neqne Coronam petunt & tamen Iura Imperij in solidum capessunt. Et reuerà approbatio Pontificis ad Ius Cæsaris administratorium, quantum ego capio, nunquam erat necessaria; ideò Basilienses ad pœnitentiam in foro exteriori vocati post mortem istius *Ludouici*, quia ei non confirmato paruissent, recte respondent & non sine consilio Iure consultorum, *quemcunque Imperatorem Electores nobis dederint hunc recipimus, etiamsi nunquam Papam requirat*: nam *vt requirat* curatio non ad subditos sed ad Principes & Electores pertinet, quorum est (si non requisiuerit) ab electione factâ resilire & ad vota secunda atque meliora transire. Electo interim Iure electionis Ius administratorium competit: nam in ipsis comitijs in quibus statuitur *vt Pontificem adiret & Coronam peteret*, potestas administrandi datur, *Electus a principibus aut maiore parte*

te administrationem habeat. Sed in hac parte non deliquit *Ludouicus*, nam tam a *Iohanne* quàm *Benedicto* Coronam submisse non semel sed sæpe petit, omne crimen diluit, hereseos suspitionē purgat, & quod ex parte *Cæsaris* fieri decernitur, *defensionem, deuotionem & humilitatem se Iuraturum spondet.*

Ludouici porrò Ius inualidum ob defectū in electione cōtendunt. Et primò totū electionis processum sugillant; ratio, quia Electoratus *Rudolpho* duci superioris Saxoniæ Iure vero pertinebat, & ideò *vt electio haberetur legitima, foret ille aduocandus non iste?* *Resp.* Si neuter interfuisset aut vocatus fuisset, electio non minùs valida; alias sine Iure Imperabant *Cæsares* 50 *annos*, nam per totum illud tempus *Ecclesiastici principes fere soli de Imperio constituerant* non evocatis Electoribus secularibus, saltem non omnibus, nam *inter Albertum secundum & hunc* Rudolphum *trinepotem, nullus Saxonum electionibus interfuerat aut suffragium dederat.* Atque hæc causa dissidij inter dictos principes, quia ob desuetudinem eligendi incertum erat cui competeret, sed Ius *Rudolphi* credebatur fuisse potius.

potius. Præterea personalis est iste defectus non realis; nam dum verum Ius habet Dux Saxoniæ, non refert vtrum hic aut ille, adde quod neuter forsan in *Ludouicum* consensisset, sed non consensisse *Rudolphum* certum est. Cum igitur defectus non sit realis sed personalis, voti ambiguitas *Ludouico* non obest, secùs forsan *Frederico* qui eo nitebatur.

Secundò Electionē de ipso *Ludouico* factam ipso Iure esse eneruem contendunt ob hanc causam. *Electi sunt in discordia Festo S. Lucæ* 1317. *Fredericus* Austriæ & *Ludouicus* Bavariæ, ille a Colonienſi, Palatino, & Saxone; hic a Moguntino, Treuirensi, Boemo & mandatario Brandeburgensis mandatum habente, vt dicitur, speciale *vt in Fredericum daret vocem*, ille autem ex seipso eligit Bauarum. Sed hoc nullubi constat neque facile credendum, mandatarium principi suo contraiuisse ausum, præsertim cum in hoc casu votum eius esset nullum. Neque obstat quod *Waldemarus Marchio* hunc mandatarium domum redeuntem incarcerat (incarceratus fame & pædore perit) hoc enim fecit, non quia ei mandatum generale

rale non dederat ſed quia eius culpâ tot turbæ in Imperio & mala inteſtina exorta erant; nam ſi in Auſtriacum conſenſiſſet; electio minime fuiſſet dubia: quæ nunc dubia eſt non quod eadem vota *Ludouico* non ſufficerẽt quæ *Frederico*, ſed quia Boemi votum eo tempore vix validum aut reſpectu reliquorum minus validum putabatur, & quia Papa, Rex Galliæ, Rex Hungariæ, Rex Apuleiæ, Sueui & nonnullæ ciuitates Auſtriaco fauebant non *Ludouico*; ideo leuiſſima cauſa litigandi, maxima cauſa bellandi fuit. Sed in re manifeſtâ verbum ſat eſt? votum mandatarij eſt ſatis validum cum contrarium non ſit liquidum.

In Ius miſi *Ludouicum*; poſſeſſio probanda manet. Litigant, vt dixi, præfati principes, & rem prælio decernendam dedunt. Atque decernitur; nam *Frederico* victo & incarcerato, Imperium cum victoria Bavaro cedit. Cedit autem ſublatâ omni Iuris ambiguitate: *Fredericus* enim *ad præces principum & vt ſe captum redimeret, omne Ius ſibi competens permittit* Ludouico, *interpoſito Iuramento de nunquam reſiliendo*; quod feciſſe *Fredericum* facilè

facilè credo, sed credidisse *Ludouicum* horum temporum leuitatem intuens miror. De Iure igitur eum verè & legitime fuisse Imperij potitum scio iam constat; eum nunc neque Iure neque de facto (pontificis excommunicatione & depositione nihil operante) fuisse Imperio privatum si ostendero, quidni classicum canam? vt autem ostendam nihil est promptius; nam causam eius vt dixi loquuntur ipsa Iura, Theologi & vnus Pontifex, scilicet quatenus de Iure: de facto etiam, ille Imperio non defuit, Imperium non illi viuo aut mortuo.

Rem omnem narrabo nudè; quia ab ipso *Ludouico* operâ Iurisperitorum & Theologorum; scilicet quorundam fratrum Minorum habemus scitissime expositam. Nam cum *Iohannes* Papa Mediolanum Imperio detrahere voluisset ipsumque *Ludouicum* de hæresi & Iure invalido intimans regno pellere, ille ad appellationem & publicam sui defensionem conuolat: *quam insigniter conceptam vbique publicari fecit* inquit Historicus. Hæresis in nullo crimen leue est, sed in *Cæsare* vt dixi non dissimulandum; ideò huius maculam primo

mo diluit. Et diluit clare. *Fidem quam docet & tenet mater Ecclesia profitetur*; ad sufficientem cuius rei probationem prouocat ad Concilium (tribunal ex mente doctissimorum Theologorum in causâ hæreseos & fidei supremum & ausim dicere, quando Pontifex Actoris suppleuerit locum, vnicum) ad quod provocatio Regibus & viris principibus ex mente omnium est licita. 2. Ius Imperiale asserit, *eiusq; autoritatem esse Immediatè a Deo & acquiri sola electione* ostēdit. Quod ex multis Canonibus probat, ex c. *cum ad verum* & c. *si Imperator* d. 96. & glossâ ibid. ex c. *legimus* d. 93. & gloss. ibid. & *contrarium Iuri ac rationi obuiare* monstrat. 3. Papam non habere vtrumque gladium docet, ratio quia *in temporalibus ad Pontificem non datur Appellatio*. Appositè hoc quidem & argutè; nam nihil supremo principi magis intrinsecum, quam vt ad eum subditi possint appellare, aliàs enim non supremus: ideo in hoc casu præscriptio nihil valet, nec reverâ concessio principis, nam hoc ipso euerteret principatum suum. Probat autem quod dicit Imperator autoritate Alexādri 3. ex c. *si duobus* de appellationi-

bus

bus &c. *quo iure* d. 8. & autoritate *Innocentij* c. *Nouit* de Iudicijs. Ex quibus infert *nullam esse Pontifici in temporalia Imperij autoritatem, sed Imperialem potestatem esse penes se ratione electionis.* 4. Electionem de se factam defendit, & Pontifici vt eam faceret irritam Ius negat, simulque Administrationem Imperij ei & Romano Pontifici vacante Imperio Iure non competere disputat; quia contrà sunt *Iura Imperij, iura & libertates eorum ad quos vacante Imperio pertinet electio, iura & libertates principum Alemanniæ, & consuetudines ab antiquo rationabiliter introductæ.* In reliqua parte inualiditatem sententiæ ob illegitimum processum & alios defectus arguit *Dat. Aug. 8. an. 1338.*

Causam igitur *Ludouici* loquuntur *Iura*, loquuntur *libertates principum & consuetudines Imperij*, loquuntur etiam Iureconsulti & Theologi, quorum opera hæc *iura, libertates & consuetudines* nobis notabiliter asseruantur: ego vt aliquid adderem superuacaneũ censeo, nisi hoc vnũ tantùm; sc. quid in causa eius locutus sit vnus Pontifex viz. *Benedictus* 12. Quid ille sensit, omnibus fere notum est: nam causam eius

agere

agere non est veritus coram assertoribus sententiæ Pontificiæ & coram oratoribus Regis Galliæ; sed causam eius actu confirmare veritus est: non autem ob reuerentiam defuncto Antecessori debitam, sed ob malum quod a viuente principe metuebat. Postea quidē, causam *Ludouici* orante eodem *Philippo* Galliæ, præ se ferebat Pontifex quasi aliquid seuerè in eum cogitasset; sed communis opinio erat, *Rex quod noluit simulauit se velle, Papa quod voluit simulauit se nolle.*

Iure igitur *Ludouici* nihil possit esse patentius, nisi forsan ipsum Ius principum commune si omnia in illius defensionem scripta mansissent integra: nam fuisse librum de potestate Papæ & Imperatoris, (sc. vt eorum distinguerētur Iura & vt vnus ab altero vindicaretur) scriptū & an. 1324 editū legimus, sed ad manus nō peruenisse nostras scimus. Vnde quam cauti ne quid Iuri Pontificis obstaret fuerunt Ecclesiastici constat; illorum ideo dogma inualuisse, contrarium defeciſſe non est mirum. Vnum adhuc vt ostendam restat, sc. Imperium; ei de facto vsque ad vitæ terminum mansisse saluum. Mansit vero non sine fulgore

gore maximo, etiam quod Imperium Illustrat magis, summopere contranitentibus duobus & primarijs principibus sc. Bohemiæ Rege & eius patruo Archiepiscopo Treuirensi: nam ipsa comitia, in quibus *Ludouicum* fore destitutum proposuerant, Iussu eius erant indicta, & eius autoritate dissoluta. Mortuus est Imperator, sepultus est Imperator, *Monati tumulatur* inquit Historicus *more Regio* sc. sicut Imperatori post mortem etiam ei tãquam Imperatori manfit memoria sacra, senatoribus Basilienfibus Ius eius contra Pontificis Aduocatos publicè defendentibus vt dixi supra.

CAPVT NONVM.

Depositio principum sepositio facta est credentium, magis quam scissura aliud licet maxime Incompatibile. Ponderatur, qui primò (quoad posse suum) deposuit, Religionem & fidem maiori periculo ac damno exposuit, quam qui Dogma Imposuit maximè nocium. Damnum non aliàs reparandum nisi dogma sit reuocatum.

RECTE & scitè *Iohannes Gerson* (vbi enim incepi ibi desinam) dum hanc

opinionis prauitatem *Pestem* appellat: nam grassante hac egressi sunt principes, nec redibunt retrò, nisi Domus, scilicet Ecclesia ab hac *Peste* fuerit purgata. Res ex seipsa clara est; nam ante istud dogma exortum contentio inter Pontifices & principes inter rarò contingentia, ita enim *Augustum* eor principum & ita aliorum consilio munitum, vt etsi exorbitarent & delirarent subditi & minores, tamen error eorum ad sceptrum non pertingeret, nec lapsus eorum Principi aut Pontifici periculosus. Nam opes amicabili subueniebat Pontifex principibus, opes conducibili succurrebant principes pontificibus: & succurrissent puto vsque ad hunc diem, si de Iure principali non mouissent litem. Rosea vero nihil frequentius quam lites & iurgia inter Pontifices & Principes; inter ipsum *Gregorium* septimum & *Henricum Cæsarem*, inter eundem & Regem Galliæ, inter eundem & Regem Angliæ & quos non? inter *Paschalem* 2. & *Henricum* 5. *Hadrianum* 4. & *Fredericum* 1. *Alexandrum* 3. & *Henricum* Angliæ, *Innocentium* 3. & Othonem, *Honorium* 3. & *Gregorium* 9. *Innocentium* 4. & *Fredericum*

Succes

Succedit intra paucos annos *Bonifacius* 8. & nullum Ius intactum reliquit, nullum illæsum. Nunc pullulant hæreses; quæ fauore & autoritate principum propagatæ invalescunt. Emergunt Albigenses in Gallia, illis fauent Comes Tholosanus & alij eiusdem ordinis principes & propugnant fortiter. Istis domitis exurgunt *rustici & friuoli* (nam a verbis historicorum non possum recedere) *prædicatores in Suevia*; & istis patrocinantur *Fredericus* & *Conradus* ab ipsa hæresi alieniſſimi; hac sola ratione moti quia causam eorum coram populo egissent, & quia in pontificem erant rabidi: & exemplo *Frederici* & *Conradi* eisdem ineptis hæreticis fauebant alij principes quos tacebo, & tuebãtur palam. Inferiùs non descendam nec opus est: nam *istis friuolis, ridiculis* & indoctis homunculis (quid enim origine hæresum insulsius quid insscitius) omnem posteram fero hæresim, omnes sectas. De quibus vere *Lessius* (nũc enim ille me expediet) in has sectas ivere principes & inde manantem *doctrinã complexi sunt, non quia ratione convicti eam veram iudicarunt, sed quod eam vel rebus suis stabiliendis & augendis, vel doloribus*

vlciſcendis vel ad voluptates & licentiam vitæ commodiorem cenſuerunt. De Antichriſt. præcurſ. diſp. 2. Hic ſi omnia quæ mihi vltro occurrunt perſequerer, ad Iuſtum volumen excreſceret iſtud caput; ſed priori prolixitati ſpero veniam (neque tamen materiâ conſideratâ puto me fuiſſe verboſum) ſed in paræneticis vt non eſſem ſuadet modeſtia, perſuadet Pontificis & principum ſuprema dignitas. De Schiſmate autem dum loquor, omnia quæ rem noſtram attingunt conſtabunt, ſi iſtæ quæſtiones explicentur, viz. vnde homines lapſi ſunt, quare, & quò. Omnes abſoluam paucis, ſed tertiam vno verbo; nam non ſtatui vllius hæreſis aut ſectæ vitia & nuditatem detegere: tantùm ſi placet conſiderate mecum communemune earum primordiũ & progreſſum. Facillimum eſt quiduis negare? hoc autem hæreticis proprium eſt & primum eſt; Priùs credita & priùs tradita non credunt, & hac fronte deſerũt: noua aut exoleta aſtruunt, & hac fronte inſurgunt. Quod ad primum attinet, videte vos qui ſapitis; an conſultum ſit ijs quæ communiter a probatæ fidei & eximiæ pietatis viris ſalubriter tenentur,

nentur, & ab vno, ſaltem a paucis, ſæpe profligatis, ſemper hominibus refractariis in dubium vocantur renunciare? ita autem eſt in caſu cuiuſque hæreſis originali. Quod ad ſecundum attinet; *Deus dedit Paſtores & Doctores in ædificationem Eccleſiæ*: qui igitur cum iſtis non cooperatur, deſtruit non ædificat. In hoc caſu paſtoribus attendendum: ſi igitur nouum quid aut diuerſum a non paſtore ſit introductum, nullius fidei eſt quiſquis ille ſit aut quicquid illud. Si ſit paſtor qui induxit, non teneor parere illi niſi ille paruerit ſuis, ſi ſit ſubordinatus; ſi non ſit ſubordinatus ſed ſupremus: non tamen teneor audire illum ſi contrarium docuerit; nam etſi ille ex officio tenetur ad docendum, *Paſce & confirma*, ego tamen, ſi contradixerit, teneor ad cōmunitatem non ad illum, *qui vos non audit me non audit*. Atque iſte eſt caſus hæreſis. Videte progreſſum. Noua vt dixi ineptit, vetus fœtet: exempla ſunt omnes veteres hæreſes, putidæ, male olentes & extinctæ. Adde, ſecta ſi ſterilis, nulla eſt; ſi fœcunda, miſerrima eſt. Patet liquidiſſimè in hæreſi omnium maximâ, fœcundiſ-

ſima, & ad ſolidam hæreſis notitiam prototypica; nempe Arianâ, quæ in ſolâ ſuâ prole infœlix. Vipereum genus hominum hæretici? ſi numeroſi, in ſectulas excrescunt, parentes ſuos exedunt & exenterant ſinguli. In poſteris (nam eos præteribo) hoc qui non videt, nihil videt.

Proxima quæſtio eſt, vnde lapſi ſint qui in Schiſmata & ad ſectas tranſeunt? reſpondeo a fide, ratione cuius fidelibus in articulis fidei & doctrinâ credendâ periculum, quod animæ ſalutem ſpectet, prorſus nullum. Vnde hoc vnum libere quia verè dicam, me ne vnum quidem vel mediocriter doctum vnquam conueniſſe, quin agnoſceret quod fideles Catholicæ fidei quam Romana Eccleſia profitetur adhærendo ſaluari quirent. Experiamur (nam reddere rationem fidei cuiuis licet & in quouis eſt laudabile) in difficillimis. Angelos & ſanctos inuoco? quare? vt mihi opitulentur. quâ ope, propriâ an impetrata? hac equidem; ergo nihil Deum aduerſus molior aut cogito. Tu Deum ſolum adis, ego Deum ſolum ſed non ſolus; alios vt meâ cauſa adeant precor: tutior & cautior

eſt

est hæc via. Sed operam perdo, nam sancti non audiunt, ideo non adeunt? igitur opera perit, sed fervor mentis pergit: & pergit verè; nam apud Sanctos & Angelos non moratur Religio mea sed ad Deum tendit, & videt ille etsi non sancti, atque propitius erit. Sed in lingua ignota orant homines? Tibi sat est quod Deus intelligit; si non, quid impedit quo minus tu ipse intelligas, linguam addisce: vtinam omnes essent docti, quia tunc hæreseos caligo & sectarum nebulæ euanescerent! Sed si non addisces, facilis tamen est intellectus; non variantur aut ad libitum mutantur in Ecclesia præces horariæ sicut apud sectarios, sed certæ sunt, statutæ & in vnum quodque Idioma versæ: igitur si velis, non possint esse ignotæ nisi tibi ignota sit lingua propria.

Sed Missa forsan versa non est? quære igitur a Sacerdote & dicet tibi sensum Missæ; & refer ad sectarium vt scias an verum dixerit vel non: si mentitus fuerit, a mendaci caue; sin verum dixerit, a sectario transi ad pastorem verum. Sed panem in Eucharistia adoro? Stulte, pa-

nem non agnoſco, igitur non adoro. Sed agnoſcunt Lutherani & Proteſtantes in Anglia & tamen adorant? rectius ab illis quam a te factum aio, panem vident, ſed Deum colunt. Sed bonis meis operibus mercedem ſpero? vnde eſt quod ſpero? a ſanguine Chriſti; ſine hoc nego meritum: quæ non ab hoc mercedem nolo: ecqua hic iniuria ſanguini Chriſti? ego bona opera ſector & mercedem ſpero; atque pro me ſcriptura eſt, *non perdes mercedem* & *ampla tua merces erit*. &c. tu bona opera non ſectaris & tamen ſperas; caue tu, mea nihil refert. Quod Chriſtus operatus ſit hanc gratiam, & quod me hac dignatus, mera eſt miſericordia: quod mihi vtilis non erit niſi ego adnitar, vera eſt Iuſtitia, & quod vtilior erit quo magis adnitar, miſericordia eſt & Iuſtitia; ecquid tu hic culpas? ecce totam tibi enarraui Catholicam fidem. Sed Imagines colo? quid lignũ & lapidem? nihil minus. An hanc quam cerno effigiem? neque illam crede; eſt illa mihi ſacra & non temeranda; ſed cultus ad ſanctos tranſit. Sunt autem illi *Honorandi* & ſi ſcripturæ credimus, *nimis*, id eſt, non poſſunt nimio, modò

modò honore ipsi deo debito non colantur; hoc autem execror: ergo nec deo manet iniuria nec mihi periculum. Sed summum Pontificem non posse errare credo? concedatur; ecquod hinc animæ meæ damnum? etiam magnum inquies, nam noxia tibi suggeret si credes: in quibus credam? an si contraria illis insinuaret quæ supra posui? falleris non magis ei crederem quam tibi, nec in re minima si Iuri diuino obuiaret; ei igitur credendo animæ meæ periculum nullum. Sed in rebus dubijs eum consulam; & vt consulerem, autor est mihi ipse Dominus, autores sunt Doctissimi patres qui ita Dominum intellexerunt, & Sanctissimi Doctores qui ad eum prouocarunt vt *SS: Cyprianus, Ieronimus, Augustinus*, necnon alij. Ratio etiam ipsa quare illi prouocarunt apud me valet sicut apud illos; & viget etiam ipsius Cathedræ autoritas quæ inter Apostolicas semper prima, & nunc successione non ambigua Apostolicarum sola. Eius igitur oblatrante quocunque attendam verba; nam stetit ille fidus & firmus dum vniuersæ oblatrantium & oppugnantium turbæ in rabie & perfidia sua perierunt: quod

stetit

ſtetit ſole *Clarius* eſt; quod ſine fidei naufragio mihi non dubium, quia aliàs non ſteriſſet, nam ideo non ſteterunt aduerſantes. Iudicio igitur eius Iudicium meum & has quas expoſui meditationes humillime ſubijcio.

Vltima quæſtio, Quare deſertâ antiquâ & patriâ fide in ſchiſmata lapſi ſunt & noua dogmata? reſpondeo, quia ipſa eſt inimica eorum moribus, aut quia ſupremus Rector inimicus eſt eorum Iuribus; nunc enim de ſolis ſupremis principibus loquor, a quibus pendet præcipuum bonum & totum malum, nam *qualis eſt Rector ciuitatis tales inhabitantes in ea.* Eos autem in noua dogmata conſenſiſſe ob vnam ex iſtis duabus rationibus ex ipſo Leſſio colligo, qui *eos ideo amplexos* ait *quia ea rebus ſuis ſtabiliendis & augendis, vel doloribus vlciſcendis, vel ad voluptates & licentiam vitæ commoda*: quo minus autem Iura eorum & res ſtabiliantur aut augeãtur per minores non ſtat, nam illi Iura eorum niſi Iuſſu ſummi Pontificis non Impetunt; & dolores quos ſentiunt, vlciſcentur probe illis non obſtantibus: igitur a ſummo Pontifice eſt, quod principes in ſchiſmata lapſi ſunt non

a mi-

a minoribus. Quod ad vltimam rationem attinet (nam prima erit discussa) si eam apud multos homines valere non putarem, stolidus, si vero cum principibus, stupidus essem: nam quas tu in sceptro voluptates somnias, aut quas tu Regibus negas? si vis vt communi hominum more ad eadem obligentur, iniquus es; si quæuis, ne onere & sollicitudine Coronæ obruti succumbant, non concederes, modò publica Regni negotia permittant & peccatum non admittatur, inconsultus es. Omnis Corona aut dum adipiscitur aut dum possidetur molestias contrahit & difficultates: difficultates & ærumnæ Coronam Cœlestem non comitantur, igitur semper præcedunt; terrenam molestiæ & onera forsan non præcedunt sed semper comitantur: coronatum igitur quantum poteris, voluptate & lætitiâ subleua, grauari noli. Bonum est consilium prophetæ & a vobis pœnitentiarijs scio consideratum, peccata sua eleemosinis redimat Rex (& habent singuli eleemosinarios) non à lucundis abstinendo. In manibus eorum sunt *adiumenta virtutum* de quibus *S. Ambrosius*, sc: *opes & honores*, quæ alijs desunt, ea conferant in animæ

animæ ſuæ bonum ; alij quibus minores copiæ & maius otium, Ieiunijs & alijs anguſtijs ſe aſſuefaciant : ita generi humano proſpexit deus, qui non poſſit hoc modo, debitum delicti compenſet alio. Igitur ob hanc rationem principes deſertæ fidei iniuſtè arguuntur. Sola igitur ſupereſt altera ratio, & ſoli hìc ſunt arguendi ſummi Pontifices, nam autoritate eorum alij faciunt ſi quid faciunt. Et ſane meritò arguendi aut in hac parte iuré deſerendi ſi in hac re ſimiles eſſent *Gregorio* 7. nam ab eo non diſcedam niſi ad ſucceſſorem poſtproximum ſc: Vrbanum 2. Pontificem certe ex ſeipſo non immitem ſi cum anteceſſore ſuo (non reapſe ſed in canone ſeueriſſimo) nimiùm non participaſſet. Vtrumque Pontificem verbo tantùm attingam, quia ita vult verecundia & quia ad finem propero. In *Gregorio* proponam exemplum cruenti principis ; in *Vrbano* immitiſſimi Iudicis. Illud ab omnibus Pontificibus vitandum ne ſeipſos vitent alij ; hoc ab omnibus execrandum, nam maior licentia, imò Ius ſceleri dari non poſſit quam quod per hunc canonem conceditur. *Gregorius* Hugoni Cluniacenſi mandat vt Alphonſo Hiſpaniarum

niarum Regi Pontificis nomine denunciaret, *se eum nisi culpam suam correxerit excommunicaturum*; probum quidem hoc & Pontifici conuenit, & *quotquot in Hispania essent fideles* S. Petri *ad eius confusionem sollicitaturum*; Hoc sacerdoti maxime inconuenit: sed dedecet quod sequitur, *qui si minùs præceptionibus eius obedirent, non grauem ipse existimaret laborem ad Hispaniam proficisci, aduersus eum quemadmodum christianæ religionis hostem bellaturus.* Hoc si defenderemus quomodo non religio, & omnes qui hanc profitentur, non essent principibus non modò pro desertis sed odiosis, cùm Pontifex subditos aduersus suos principes si excommunicatos, animauerit & armauerit: quod si ex voto non succederet, ipse bellum contra eosdem parabit. Sed vt promiscue deficerent homines hoc ex mẽte *Vrbani* non solũ se extendit ad principes sed etiam vniuerse ad omnes: sic enim rescribit ad Godefredum Episcopũ Lucensem; *Non enim eos Homicidas arbitramur qui aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse contigerit. Quandam tamen pœnitentiam ijs iniungendam censemus, ne forte aliquid*

quid duplicitatis pro humana fragilitate contraxerint. Iuo: parte 10. cap: 54. Quis alter *Vrbanus* aut *Clemens* Pontifex genium huius Reſcripti reddere poſſit mitem? nam perpendite ſi placet; primò eos non *Homicidas* arbitratur, qui vllum excommunicatum ratione excõmunicationis interfecerit, eos igitur a peccato mortali eximit; quandam tamen pænitentiam iniungendam cenſet ne forſan reatum contraxerint venialem; ſed quomodo contrahent? ſi non vnico excommunicationis intuitu occiderint, ſed ob priuatam inimicitiam aut aliam ſimultatem, nam hoc vult *duplicitas & humana fragilitas*. Si quis igitur *excommunicatum* quatenus excommunicatum *trucidauerit*, eum ab omni pæna & culpa eximit *Vrbanus*. Neque hoc reſcriptum de in bello publico interfectis poſſit intelligi, nam ob eiuſmodi cædes non ſolum pænitentia non iniungi ſed indulgentia præteritis criminibus ſolet concedi. Hæc cõmuniter improbantur, vtinam cum iſto quod diſcutimus dogmate publicè reuocentur. Tu Beate Pater (nam nunc finio) a Domino ſi placet diſce, *ſit onus tuum leue & iugum ſuaue*, vt omnes ad te veniant qui Dominum

minum cupiunt. Vobis ſupremi Principes geminum propono regnum; vnum extra vos, alterum intra vos eſt. Vtrumq; ad vos pertinet; illius eſtis poſſeſſores, huius participes. Regnum quod extra vos promoueat Regnum quod intra vos; & regnum quod intra vos coronabit regnum quod extra vos. Ego qui vtruinq; principatum (quod ad Regalia) pro viribus expoſui, vtriq; principi, adiuuãte principe principũ, manebo ſemper fidelis. Vt vterq; principatus ſtet integer & illæſus; vt vterque princeps vigeat fœlix & ſaluus, oro & ſemper orabo. Atque alij vt orent, autor ſum.

CANDIDO LECTORI.

OPERA tua Benquoſe lector imploranda eſt: ſubueni modo & ſubuenies ſolus. Mihi itineranti fere omnia defuerunt quæ ſcribenti commoda. Libros nuſquam inueni vſuarios niſi Louanij benignitate vnius ſacerdotis & fratrum Minorum. Habui mecum priuatas quaſdam annotationes & vetera emponemata vt quo irem irent; in his copiæ mihi auxiliares, in his totus apparatus. Ex illis quæ tibi voveo deprompſi ſingula, ideo vt itati idoneus venio fide tuſſor; nam nihil tibi ſuggero quod mihi propria non ſuppediauit lectio. Error forſan occurret in computo quorundam annorum & in nomine vnius Imperatoris, ſed maioris momenti ſpero nullus. Me in aliorũ allegationibus citandis accuratorem opes librorum & amicorum qui eos mecũ cauſã reuiſerent fore ſperaba; nam in commentariolis quæ proprio vſui compoſuiſſem conſtat de autore, forſan de libro ſæpe non de capite nec paragrapho, ſed in vtroq; vanus

fui

sui. Et in [illegible] alia mihi obstant difficultas, eaque maxima, & quâ tu premi possis sola, transcribente & imprimente (vtroque latino Charactere insuetis) verba mutantur, vnctuntur, puncta transponuntur, expunguntur, atq; adduntur; et decrat typis qui praesset, in hac parte gnarus. Istis emendandis quantum per tempus et otium licuit properaui; mendæ tamen supersunt, forsan non paucæ, facilitate tua eæ corrigantur.

IN præfatione, p. 11, l. 18, horem lege horum, eloqui eloquio, p. 15, l. vlt. imperatus, imparatus. Angelis, Anglis, p. 17, l. 16, sue, sine.

In lib. p. 3. l. vlt. Princeps, principes, p. 7, l. 12, deficente deficiente, p. 28, l. marsilium marsilium: p. 31. l. 1. Ireneo, ex treneo, p. 36, l. alij, aliis, p. 50, l. 16, dicetur, diceretur. p. 51, Carolus, Carolus p. 53, l. 26. piuari, priuare, p. 75, l. 15, fuerit: fuerit p. 90, quaerimus, quærimus, p. 91, l. 7, illorum, illarum, p. 130, credo, credo p. 138, l. 3, concuclatam, conculcatam, p. 149. l. 4, obsiti, obscuri, obscurioribus Anstites Antistes p 188 l 19 possunt, possint p 219 l 18 Papa Papæ, l 25 liberis liberi p 234 l 15 potest posit p 240 l 8 nsi nisi p 255 l 12 principes principis p 265 l 11 noluerint noluerunt p 266 secundo, secundo p 269 l 12 monuit monuerit p 276 l 19 poralia temporalia p 275 terrna terrena p 277 Bernardus, Bernardus p 282 poerant poterant p 285 l 15 licitum licitum p 290 l. 26. verbis ex verbis p 295 l 16 alterus alteras p 296 l 9 Hirile Herile p 301 l 20 protudit protrudit p 306 l 11 potest possit p 307 l 11 illud istud l 15 Doctioribus Doctoribus p 331 l 12 occupandum occupandam p 336 l 2 nomine nomine; p 369 vsn viu p 373 l 9 iritum irritum p 332 concilium concilij p ead concilij lege concilium p 336 l 16 arrogantur arrogarunt p 377 l 1 uere uere p ead. præscit præsit p 394 Hystoricus Historicus p 396 machimam machinam p 408 conueniant conueniant p 417 l 3. conctractus contractus p 420 l 10 nobis. p 422 nouiss. nouiss. p 432 l 5 impeninat impeninat p ead l 9 dele inlungimus p 442 extingunt extinguant p 448 episcopatus episcopatus p 451 l 20 Immeretem Immeretem p 480 clemenriore clementiore p 480 oritur, patitur. p 482 l. 1 filius. filius p. 503 l couf conf. p. ead ne p 504 Tholos Tholos p 510 l 2 amisit amissum.

BIBL. CANT. ACAD.

